

DE LA LIBRERIA
 DEL REY COLEGIO MAYOR
 de Santa Cruz
 Santa Catalina.
 N.º 36N. 3

UNIVERSITY OF
 CANADA
 379


IACOBI *R/8321*
 SIMANCAE

PACENSIS EPISCO-
 PI, COLLECTANEORVM
 DE REPUBLICA
 LIBRI IX.

*Ex illustribus Theologis, Legum latoribus, Iuris
 consultis, Medicis, Philosophis, Poëtis, Histori-
 cis, aliisque bonarum artium peritis.*

OPVS studiosis omnibus vtile, viris autem politi-
 cis necessarium.


*In hac tertia editione adiecti sunt ab auctore plures
 quam mille loci memorabiles.*




ANTVERPIÆ,
 Ex officina Christophori Plantini
 Architypographi Regij.

M. D. LXXIII.

Dn Joseph Lúdro de Orcoya Bedoya





DE LA LIBRERIA
 DEL REAL COLEGIO MAYOR
 Reunido de Santa Cruz, y
 Santa Catalina.
 E. G. C. 36 N. 3.

Library of the
 University of
 Toronto
 379

IACOBI *R/8321*
 SIMANCAE

PACENSIS EPISCO-
 PI, COLLECTANEORVM
 DE REPUBLICA
 LIBRI IX.

*Ex illustribus Theologis, Legum latoribus, Iuris
 consultis, Medicis, Philosophis, Poëtis, Histori-
 cis, aliisque bonarum artium peritis.*

OPVS studiosis omnibus vtile, viris autem politi-
 cis necessarium.


*In hac tertia editione adiecti sunt ab auctore plures
 quam mille loci memorabiles.*



ANTVERPIÆ,
 Ex officina Christophori Plantini
 Architypographi Regij.

M. D. LXXIII.

Jn Joseph Lizaro de Orco Bedoya



PHILIPPO SE-
 CVNDO HISPANIARVM
 REGI CATHOLICO,
 TOTIVS OPERIS IACOBVS SIMANCAS
 ARGVMENTA. EPISCOPVS PACENSIS.

- Liber primus: De urbe, ciuitate, & ciue.*
Liber secundus: De rebus publicis.
Liber tertius: De Monarchia, & Rege.
Liber quartus: De Legibus.
Liber quintus: De Magistratibus, & eorum virtutibus.
Liber sextus: De his que vitanda sunt a Magistratibus.
Liber septimus: De republica Hispanie.
Liber octauus: De prefectis urbium.
Liber nonus: De Regni gubernatione.

SAEPE NUMERO MECUM ipse reputaui, Philippe rex maxime, cum eam artem quisq; probè norit, in qua diu, multumque sit versatus: quam obrem tot philosophi (Ciceronem excipio) qui nunquam rempublicam attigerunt, tam multa libris editis de republica disputauerint: nemo autem iuris consultorum, quorum ars ferè tota reipublicæ est, de rebus publicis vnquam (quod sciam) scripserit: cum de plurimis, variisque rebus volumina ingètia confecerint, & in cognoscenda, & gerenda republica multam magnamque curam feliciter, & præclarè adhibuerint. verùm vt illos omittam, qui in

otio quidē literato, sed in angulis edu-
cati, omnium rerum diuinarum atque
humanarum naturam, causasque sese
nosse profitētur, siue iuris consultis ea
causa fuerit, quòd Plato, Aristoteles,
Cicero, aliique illustres philosophi tra-
ctationem hanc præoccupauerint: siue
quòd (vt est utilius) de singulis reipu-
blicæ partibus, quã generaliter, ac vni-
uersè de rebus publicis differere, & cõ-
mentari maluerint: siue causa alia que-
piam: id quidem exploratum est, reipu-
blicæ totius cognitionem viris politicis
omnibus admodum necessariã, ex nul-
lo iuris consultorum libro, ne ex ipsis
quidem philosophorum scriptis, satis
perspectam facilè cuiquam fore. Itaq;
vt hanc ego rem pro virili parte com-
plerem, ex multiplici variãq; bonorum
auctorum supellectile, operis succi-
siuis, ea collegi omnia, quæ ad subie-
ctorum tuorum rempublicam cogno-
scendam, conseruandam, atque ampli-
ficandã, quoquo modo pertinere posse
mihi

mihi visa sunt: aliorũ autem dicta, inge-
nuè decerpere, & contexere malui, quã
mea effutire temerè. nec enim is ego
sum, qui nũc tandē aut noua, & memo-
rabilia inuenire, aut eleganter, & nouè
de republica dicere possim. Quòd si col-
lectanea isthæc nō omnino malè dispo-
sui, equidē quod institui, præstiti. Ea
verò Catholicæ tuæ maiestati optimo
iure dicare institui: quicor, caput, & spi-
ritus optimæ reipublicæ sis: quam sum-
ma religione, & iustitia, summa pru-
dentia, atque probitate sustentas, nec
dubito, quin fronte illa planè diuina,
qua iam diu librum nostrũ de Catho-
licis institutionibus hilarè suscepisti,
eadem nunc excepturus sis opus reipu-
blicæ non pænitendum: & eo magis,
quòd in publicis negotiis maximis,
quæ tuo iussu confeci, fidelitas mea ti-
bi iam potest esse probatior. Deus opti-
mus maximus te fœlicissimum quã
diutissimè seruet, florente, ac beata re-
publica.

DE TOTIVS OPERIS

METHODO.

MULTI sententias aliorum, vel in locos communes vel ordine alphabeti, non sine utilitate collegerunt; nec enim omnes volunt aut possunt, librorum plurimorum lectioni vacare, ac sententias in eis contentas in numero habere, aut memoriae commendare: sed nemo eorum (quod sciam) ita sententiarum, doctrinarum, & exemplorum congestit aceruos, ut unum aliquod opus continuum, & sibi cohaerens, ex collectaneis confecerit. Ego verò plusquam tria milia earum rerum, quae ad rempublicam quoquo modo pertinent, ea via, & ratione cõtexui, ut quo ad fieri posset, methodum quandam seruauerim, & non temerè omnino confusam, & indigestam mixturam facerem, tametsi non nunquam ea, quae tam dispersa singula erant, omnia inter se congruentia, & cohaerentia reddere ipse nequiverim. Sed argumenta librorum hoc ordine utcumque disposui.

Cum ex domibus vici, municipia, & vrbes; ex his verò prouinciæ, regna, & imperia constent: idcirco de origine & progressu eorum, ac de aliis eodẽ pertinentibus, libro primo disserui.

Ad hoc, cum hominum multitudo simul esse non queat nisi sit inter eos ordo, & modus, & ratio reipublicæ: de generibus rerum publicarum libro secundo tractaui.

Deinde, cum regnum præstantius sit inter alias reipublicæ formas, & plerique in regno viuamus, consequens fuit, ut libro tertio colligerem quæ de hoc scripta inuenerim.

Præterea

Præterea cum reges, neque seipfos, neque populos sibi subiectos, sine legibus regere possint, liber quartus totus de legibus est.

Ad hæc, cum frustra leges fiant, nisi sint magistratus, qui eas ad effectum perducant, quintum, & sextum librum magistratibus accommodaui: in quinto memorans, quales esse debeant magistratus; in sexto verò, quales esse non debeant.

Cum autem respublica Hispaniæ (ut mihi quidẽ videtur) optima sit, & aliis exemplar esse queat, librum septimum in ea explicanda consumpsi, quem externos quoque (ni fallor) legisse non poenitebit.

Deinde, cum ex recta ciuitatum administratione fiat, ut potissima reipublicæ pars bene ac feliciter viuat: in librum octauum ea conieci, quæ præfectis urbium, atque adeo ciuitatibus ipsis vsui esse possint.

Postremò, cum ex his omnibus optima regni gubernatio elucescere queat, generaliora quedam præterea nono libro coegi, quibus rectè seruatis, flores, & beata respublica facilè fiet, ut sanctè in ea transigentes vitam, ad felicissimam, & beatissimam patriam perueniamus.

Quid autem tractetur in singulis capitibus vnius cuiusque libri, eorum tituli (quos statim adiungam) facilè indicabunt.

CAPITVLORVM

ARGVMENTA.

LIBRI PRIMI.

<i>De domo.</i>	cap. 1.
<i>De vico.</i>	cap. 2.
<i>De vrbe.</i>	cap. 3.
<i>De situ urbis.</i>	cap. 4.
<i>De muris.</i>	cap. 5.
<i>De edificiis publicis.</i>	cap. 6.
<i>De aliis edificiis.</i>	cap. 7.
<i>De ciuitate.</i>	cap. 8.
<i>De ciuitate iterum.</i>	cap. 9.
<i>De ciuitatis probitate.</i>	cap. 10.
<i>De partibus ciuitatis.</i>	cap. 11.
<i>Medicos esse ciuitati necessarios.</i>	cap. 12.
<i>De ciue.</i>	cap. 13.
<i>De virtute ciuis.</i>	cap. 14.
<i>De officio boni ciuis.</i>	cap. 15.

LIBRI SECVNDI.

<i>Quid sit respublica.</i>	cap. 1.
<i>De aliis reipublice significationibus.</i>	cap. 2.
<i>Quot sint genera rerumpublicarum.</i>	cap. 3.
<i>Qualia sint rerumpublicarum genera.</i>	cap. 4.
<i>Quae sit recta respublica, & quae deterior, & quae optima.</i>	cap. 5.
<i>Respublicam cunctis esse preferendam.</i>	cap. 6.

Pro

<i>pro republica omnia esse facienda.</i>	cap. 7.
<i>Reipublicae officia etiam ab inuitis gerenda.</i>	cap. 8.
<i>An sapiens accedere debeat ad rempublicam.</i>	cap. 9.
<i>De eadem re.</i>	cap. 10.
<i>Quomodo sit accedendum ad rempublicam.</i>	cap. 11.
<i>De querelis reipublicae.</i>	cap. 12.

LIBRI TERTII.

<i>Ciuitates, & Regna sine imperio, ac dominatio conseruari non posse.</i>	cap. 1.
<i>Monarchiae regimen esse optimum.</i>	cap. 2.
<i>De eadem re.</i>	cap. 3.
<i>Cur primum Reges creati sint.</i>	cap. 4.
<i>Nec sortibus, nec suffragiis regem esse creandum.</i>	cap. 5.
<i>De Regis excellentia.</i>	cap. 6.
<i>Quam sit venerabilis maiestas regia.</i>	cap. 7.
<i>De religione principis.</i>	cap. 8.
<i>De iustitia Regis.</i>	cap. 9.
<i>De ceteris virtutibus regum.</i>	cap. 10.
<i>De vitiis vitandis.</i>	cap. 11.
<i>De optima regis custodia.</i>	cap. 12.
<i>De adulatoribus.</i>	cap. 13.
<i>Contra adultores.</i>	cap. 14.
<i>Oportere vt reges diuites sint.</i>	cap. 15.
<i>Quomodo principes sunt admonendi.</i>	cap. 16.
<i>Admonitionum.</i>	cap. 17.
<i>De eadem re.</i>	cap. 18.

¶ §

LIBRI

LIBRI QVARTI.

<i>Rempublicam sine legibus stare non posse.</i>	cap. 1.
<i>Quid sit lex.</i>	cap. 2.
<i>De utilitate legum.</i>	cap. 3.
<i>De legum prestantia.</i>	cap. 4.
<i>De legislatore.</i>	cap. 5.
<i>Quamobrem leges factæ sint, & fiant.</i>	cap. 6.
<i>Leges communem utilitatem respiciant.</i>	cap. 7.
<i>Leges perspicuæ sint, & possibilis velint.</i>	cap. 8.
<i>De multitudine legum.</i>	cap. 9.
<i>Ne leges nouæ facile fiant.</i>	cap. 10.
<i>De abrogatione, & mutatione legum.</i>	cap. 11.
<i>De legibus nouis.</i>	cap. 12.
<i>De aliis legum qualitatibus.</i>	cap. 13.
<i>Leges sint gratæ populo, & accommodatæ reip.</i>	cap. 14.
<i>Decere ut Rex leges seruet.</i>	cap. 15.
<i>Omnes legibus obediant.</i>	cap. 16.
<i>Leges dominari debere.</i>	cap. 17.
<i>Leges minima tantum arbitrio iudicum relinquere debent.</i>	cap. 18.
<i>De legibus iniquis.</i>	cap. 19.
<i>De prauis consuetudinibus.</i>	cap. 20.
<i>Memorabilia de quadam lege Solonis.</i>	cap. 21.

LIBRI QVINTI.

<i>Leges sine magistratibus nihil proficere.</i>	cap. 1.
<i>Ciuitatem sine magistratibus esse non posse.</i>	cap. 3.

Magi-

<i>Magistratus esse debere bono genere natos.</i>	cap. 3.
<i>Quales esse debeant Magistratus.</i>	cap. 4.
<i>Plura de probitate Magistratum.</i>	cap. 5.
<i>Sit iudex iustitiæ custos.</i>	cap. 6.
<i>Fortitudinem habeant magistratus.</i>	cap. 7.
<i>Patientiam esse necessariam.</i>	cap. 8.
<i>De mansuetudine.</i>	cap. 9.
<i>De prudentia magistratum.</i>	cap. 10.
<i>Experientiam esse necessariam.</i>	cap. 11.
<i>De diligentia.</i>	cap. 12.
<i>De dignitate magistratum.</i>	cap. 13.
<i>Ne sit magistratus, qui domui suæ præesse nescit.</i>	cap. 14.
<i>Iudicem esse non posse, qui iuris peritus non sit.</i>	cap. 15.
<i>De concordia magistratum.</i>	cap. 16.
<i>De clementia.</i>	cap. 17.
<i>Creandi sunt magistratus officiis apti.</i>	cap. 18.
<i>De verbis Apostoli, contemptibiles, qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum.</i>	cap. 19.

LIBRI SEXTI.

<i>De improbis magistratibus.</i>	cap. 1.
<i>Ne sint auari Magistratus.</i>	cap. 2.
<i>Ne munera accipiant.</i>	cap. 3.
<i>Amplius de muneribus.</i>	cap. 4.
<i>Iudices ne affectibus seruiant.</i>	cap. 5.
<i>Ne sint iracundi magistratus.</i>	cap. 6.
<i>Ne odio ducantur.</i>	cap. 7.

Ne

<i>Ne amore vincantur.</i>	cap. 8.
<i>Ne timidi sint.</i>	cap. 9.
<i>Ne sint voluptatibus dediti.</i>	cap. 10.
<i>Ebrietatem fugiant, & nihil cum dolore faciant.</i>	cap. 11.
<i>Quatenus iudex debeat esse misericors.</i>	cap. 12.
<i>Nequid iniustum propter amicos fiat.</i>	cap. 13.
<i>Ne respiciant personam, sed causam.</i>	cap. 14.
<i>Ne sint ambitiosi.</i>	cap. 15.
<i>Ne sint venales magistratus.</i>	cap. 16.
<i>De eadem re.</i>	cap. 17.
<i>Cur magistratus minus quam priuati peccare debeant.</i>	cap. 18.
<i>Consilia magistratibus data.</i>	cap. 19.
<i>De magistratibus miscellanea.</i>	cap. 20.

LIBRI SEPTIMI

<i>De regno Hispanie.</i>	cap. 1.
<i>De magistratibus Hispanie.</i>	cap. 2.
<i>De prefecto pretorio summo.</i>	cap. 3.
<i>De consiliariis Regis.</i>	cap. 4.
<i>De consultatione, ac deliberatione.</i>	cap. 5.
<i>De eodem summo tribunali.</i>	cap. 6.
<i>De consiliariis camerae, ut vocant.</i>	cap. 7.
<i>De etate consiliariorum.</i>	cap. 8.
<i>De consilio iuuenum.</i>	cap. 9.
<i>De iuridicis conuentibus.</i>	cap. 10.
<i>Adhuc de eadem re.</i>	cap. 11.
<i>De</i>	

<i>De diuersis, & prolixis sententiis.</i>	cap. 12.
<i>Vtrum disputare iudicibus liceat.</i>	cap. 13.
<i>De arcanis.</i>	cap. 14.
<i>Iterum de occultis.</i>	cap. 15.
<i>De iuramento iudicum.</i>	cap. 16.
<i>De aliis iuramentis memorabilibus.</i>	cap. 17.
<i>De quatuor viris capitalibus.</i>	cap. 18.
<i>Plura de iudicibus criminum.</i>	cap. 19.
<i>De executoribus.</i>	cap. 20.
<i>De aduocatis.</i>	cap. 21.
<i>Iterum de aduocatis.</i>	cap. 22.
<i>De scribis.</i>	cap. 23.
<i>De officio eorum quos visitatores nominant.</i>	cap. 24.

LIBRI OCTAUI

<i>De prefecto vrbi.</i>	cap. 1.
<i>Quid primum faciet prefectus vrbi.</i>	cap. 2.
<i>De uxore prefecti.</i>	cap. 3.
<i>De comitibus prefecti vrbi.</i>	cap. 4.
<i>Ne familia prefecti munera accipiat.</i>	cap. 5.
<i>Ne comites indigena sint, aut consanguinei prefecti.</i>	cap. 6.
<i>De Senatoribus ciuitatum.</i>	cap. 7.
<i>De ratione reposcenda, quam vulgo residentiam vocant.</i>	cap. 8.
<i>De eadem re.</i>	cap. 9.
<i>De pretoribus & operibus publicis.</i>	cap. 10.
<i>De nouis operibus.</i>	cap. 11.
<i>De</i>	

<i>De muris, & viapublica.</i>	cap. 12.
<i>De ædificiis priuatis.</i>	cap. 13.
<i>De operibus publicis, & priuatis.</i>	cap. 14.
<i>De horreis publicis.</i>	cap. 15.
<i>De fontibus, & aquis.</i>	cap. 16.
<i>De aquis, & balneis.</i>	cap. 17.
<i>De munditia urbis.</i>	cap. 18.
<i>De montibus.</i>	cap. 19.
<i>De terminis.</i>	cap. 20.
<i>De cibariis.</i>	cap. 21.
<i>De dardanariis.</i>	cap. 22.
<i>De carcere, & victis.</i>	cap. 23.
<i>De cauponibus, & stabulariis.</i>	cap. 24.
<i>De criminum punitione.</i>	cap. 25.
<i>De factionibus, & seditiõibus.</i>	cap. 26.
<i>De otiosis, & vagis.</i>	cap. 27.
<i>De peregrinis.</i>	cap. 28.
<i>De pauperibus, & viduis.</i>	cap. 29.
<i>De pupillis, & expositis.</i>	cap. 30.
<i>Prefectus urbi ad rempublicam se accommodare debet.</i>	cap. 31.
<i>De familiaritate cum ciuibus.</i>	cap. 32.
<i>Ne prefectus negocietur, ut uxorem ducat in provincia.</i>	cap. 33.
<i>Gratia quæque ad Regem esse referenda.</i>	cap. 34.
<i>Officia publica non esse continuanda.</i>	cap. 35.
<i>Regios consiliarios, & senatores perpetuos esse debere.</i>	cap. 36.
<i>Præcepta</i>	

<i>Præcepta data præsidibus.</i>	cap. 37.
<i>De quibusdam aliis ad urbi præfectum pertinentibus.</i>	cap. 38.
<i>De confugientibus ad sacras ædes.</i>	cap. 39.
<i>De diebus festis ludorum.</i>	cap. 40.
<i>Varia de præfectis urbium.</i>	cap. 41.

LIBRI NONI

<i>Difficile esse bene imperare.</i>	cap. 1.
<i>Probis consiliariis, & sapientibus opus esse.</i>	cap. 2.
<i>Quis sit scopus rectæ gubernationis.</i>	cap. 3.
<i>De felicitate reipublicæ.</i>	cap. 4.
<i>Felicem esse Hispaniarum rempublicam.</i>	cap. 5.
<i>Bonam gubernationem esse, quæ iustitiã seruat.</i>	cap. 6.
<i>Optimam omnium gubernationem esse leges seruare.</i>	cap. 7.
<i>Naturalem rationem Magistratus non sufficere solam ad rectam gubernationem.</i>	cap. 8.
<i>Quis optimè gubernare queat.</i>	cap. 9.
<i>De eadem re.</i>	cap. 10.
<i>Quo pacto qui ius ignorat, bene gubernare possit.</i>	cap. 11.
<i>De electione Magistratum.</i>	cap. 12.
<i>Quanti referat probos esse magistratus.</i>	cap. 13.
<i>Regem esse gubernationis regulam.</i>	cap. 14.
<i>De bello.</i>	cap. 15.
<i>De pace.</i>	cap. 16.
<i>De militaribus officiis.</i>	cap. 17.
<i>De</i>	

De armis & equis.
De officio principis.
De premio.
De honorum distributione.
De pœna.
De perquisitoribus.
De tributis.
De educatione puerorum.
De studiis literarum.
De libris obscœnis.
De peregrinis mercibus.
De sumptibus immoderatis.
Ne vnus multa officia gerat.
De ratione iudiciorum.
Deliberationum de republica.
De diuersis capitulis.
De conseruatione reipublicæ.
De beata republica.

cap. 18.
 cap. 19.
 cap. 20.
 cap. 21.
 cap. 22.
 cap. 23.
 cap. 24.
 cap. 25.
 cap. 26.
 cap. 27.
 cap. 28.
 cap. 29.
 cap. 30.
 cap. 31.
 cap. 32.
 cap. 33.
 cap. 34.
 cap. 35.

IACOBI SIMANCÆ,
 PACENSIS EPISCOPI,
 DE REPUBLICA
 LIBRI IX.

Præludium.

Sapientium, & prudentium sententiis, auctoritati, & exemplis plurimum esse tribuendum.

ECCLESIASTICI
 Cap. 39.



SAPIENTIAM omnium antiquorum
 exquiret Sapiens. Narrationem virorum
 nominatorum conseruabit; id est, doctrinam
 sapientium memoriæ commēdabit.

Xenophon lib. 1. de factis, & dictis Socratis.

Thesauros sapientum priscorum, quos illi literis
 mandantes nobis reliquerunt, vnā cum necessariis
 meis reuoluens, si quid reperiamus boni, elicimus:
 magnumque lucrum arbitramur, & cetera.

Isocrates ad Nicoclem.

IACOBI

Manifestum illud est, libros, quibus præcepta
 continentur, aut consilia, siue versu, siue soluta ora-
 tione scripta sint, humanæ vitæ utilissimos esse ab
 omnibus censi. Cuius rei argumentum est Hesio-
 di, Theognidis, & Phocylidis pœsis: hos enim fa-
 tentur homines, optimos consiliarios humano gene-
 ri extitisse.

A Aeschyl-

Aeschines contra Ctesiphontem.

4 Propterea cum pueri sumus, poetarum sententias ediscimus, ut cum ad virilem aetatem peruenimus, illis utamur. *Ecclesiasticus cap. ult.*

5 Verba sapientium, sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi.

Et ibi Gregorius Neocæsariensis.

6 Comperi quidem animos non minus sapientium admonitionibus excitari, sopiri que, quam si aculei clavi que corporibus infigantur.

Isocrates ad Demonicum.

7 Decet igitur in hac exempla intuentes, virtutis & honestatis flagrare desiderio: nec ea seruare duntaxat, que nos diximus, sed & poetarum optimæ sententiæ discenda, & quæ alij viri sapientes utiliter præcepere, legenda sunt. Nam ut apes videmus omnibus quidem flosculis insidere, de singulis autem utilia capere: sic eruditionis comparandæ studiosos, nihil inexploratum relinquere: sed profutura quæ sunt, vndique colligere decet.

Aristoteles lib. 1. Eth. cap. 3.

8 Viri eruditi est, eatenus exactam in vnoquoque genere explicationem requirere, quatenus pati rei ipsius natura potest. Nam & mathematicum suasionibus utentem approbare, & ab oratore (addo etiã, & à politico) demonstrationes exigere, simile virium esse viderur: non enim potest esse tanta certitudo in materia variabili, & contingente, quanta in materia necessaria, semper & eodem modo se habente, ut ibidem inquit Aquinas lectione 3.

Idem lib. 6. cap. 11.

Peritorum hominum, & seniorum, seu prudentium senten-

sententiis, & opinionibus, absque demonstratione, non minus quam demonstrationibus attendere, ac fidem adhibere oportet. Nam quoniam usu, & exercitatione, quasi aspectum quendam sunt adepti, facile rerum causas, & principia cernunt.

Cicero lib. 1. Tusculanarum questionum.

Ut enim rationem nullam Plato afferat (vide quid homo mihi tribuam) ipsa auctoritate me frangeret.

Idem in Paradoxis.

Hæc videri possunt obscuriora, cum sine appositione exemplorum lentius disputantur: vita atque factis illustranda sunt summorum virorum hæc, quæ verbis subtilius, quam satis est, disputari videntur.

Idem in Verrem actione 5.

Exempla ex veteri memoria, & monumentis, ac literis, plena dignitatis, plena antiquitatis: hæc plurimum solent & auctoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum.

Laurentius Vallerius in proœmio Historiarum.

Præcipere aliis velle, ferè odiosum est, quod arrogantiã & tumorem animi olet: mens enim nostra sublimis, ac superba, ut rectam præceptionem tanquam à sapientiore dedignatur accipere: sic eidem obliquè, per exempla, & blandè subeunti acquiescit.

Leo Magnus ser. de Sancto Laurentio.

Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum: validiora tamen sunt exempla quam verba: & plenius est opere docere, quam voce.

Diuus Augustinus lib. de quantitate anime, cap. 7.

Aliud est cum auctoritati credimus, aliud cum rationi. auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor. imperitiores homines, si ratione

4
velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facillimè decipiuntur. his ergo vtilissimum est, excellentissimæ auctoritati credere.

Sanctus Clemens lib. 8. Recognitionum.

16 Quis enim sermo est, qui non recipiat contradictionem; & quæ argumentatio est, quæ non possit alia argumentatione subverti?

Suetonius in Octauiano Augusto.

17 In euoluendis vtriusque linguæ auctoribus, nihil æquè spectabatur, quàm præcepta, & exempla publicè, vel priuatim salubria, eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum, prouinciarumque rectores, aut ad vrbes magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent: etiam libros totos, & seruari recitauit, & populo notos per edictum sæpe fecit, vt orationes Quinti Metelli, de prole augenda, & Rutilij de modo ædificiorum, quo magis persuaderet, vtramque rem, non à se primò animaduersam; sed antiquis iam tunc curæ fuisse.

Aristoteles lib. 2. artis Rhetorica cap. 27.

18 Ad consultationem res gestæ valdè viles sunt. Nam vt plurimum futura præteritis similia sunt; exemplis igitur, si non habeas enthymema, quasi demonstrationibus vtendum: si verò habeas, quasi testimoniis.

Ecclesiastes cap. 1.

19 Quid est quod fuit: ipsum quod futurum est: quid est quod factum est: ipsum quod faciendum est.

Egesippus lib. 3. cap. 21.

20 Sapientibus aduersi exitus rerum ad cauendum magis

magis documento sunt, ne rursus eadem accidant, quæ iam malè cesserunt.

Nicephorus Gregoras in præmio Byzantina historia.

Historia lectores suos certo quodam modo vates reddit, quæ futura sunt, ex iis, quæ præterierunt, coniciantes. *Isocrates.*

Si præteritorum memineris, de futuris rectius consultabis.

Pindarus Olympiorum Oda 7.

Posteri dies testes sunt sapientissimi. 23

Lucretius lib. 3.

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant, 24
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.

Origenes in Exodum homilia 11.

Si fortè nos aliquando inuenimus aliquid sapièter à Gentilibus dictum, non continuo cum auctoris nomine spernere debemus, & dicta: nec pro eo, quòd legem à Deo datam tenemus, conuenit nos timere superbia, & spernere verba prudentium; sed sicut Apostolus dicit: Omnia probantes, quod bonum est tenentes.

Basilus Magnus concione ad adolescentes.

Ex Poetis, Historicis, & Rhetoribus, bonorum virorum actiones, & sermones optimos eligemus; & iuxta totam apium similitudinem, eorum participes nos fieri conuenit. illæ enim neq; ad omnes flores consimiliter accedunt, neque etiam eos ad quos aduolant, totos auferre tentant, sed quantum ipsis ad mellis opificium commodum est, accipientes, reliquū valere sinunt: & nos sanè, si sapiamus, quantum sincerum est, & veritati cognatum ab ipsis adepti, quod reliquum est, transiliemus.

A 3 Ex

Ex Nazianzeno oratione 8.

27 Philosophiam externam Christiani plerique tanquam insidiaricem, ac decepticem, & quæ à Deo segreget, despiciunt, malè sentientes. Nam quidquid utilitatis ex ea percipi potest, id omne ad vitæ vsum fructificare debemus, quod melius est seligentes, ac sermonem nostrum cum illo roborantes. Haud quamquam igitur disciplinæ sunt vituperandæ, quemadmodum nonnullis videtur (sed rudes, & imperiti, & qui ita sentiunt, sunt negligendi) vellent enim omnes tales, quales ipsi sunt, esse, quo in communi ignorantia latere, & inscitæ argumenta effugere possent.

Diuus Hieronymus epist. 146.

28 Quando philosophos legimus, quando in manus nostras libri veniunt sapientiæ secularis: si quid in eis vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus.

Lucius Afranius, cum diceretur,

29 Per multa sumpsisse à Menandro, ita suis obtrectatoribus respondit:
Fateor, sumpsisse non à Menandro modò,
Sed ut quisque habuit, quod conueniret mihi:
Quod, me non posse melius facere, credidi.

COLLECTA

COLLECTANEORVM DE REPUBLICA LIBER I.

DE DOMO, VIRO, ET VXORE. CAP. I.

Genesis cap. 2.

RE L I N Q V E T homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna.

Diuus Ambrosius lib. de Paradiso, cap. 11.

In viro, & muliere domus videtur quædam plena esse perfectio. qui sine vxore est, quasi sine domo sit, sic habetur: sicut enim vir publicis officiis, ita mulier domesticis ministeriis habilior æstimatur.

Ex Aristot. lib. 1 Polit. cap. 1.

Marem, & fœminam, quorum alter alterius indiget societate, copulari necesse est procreandi causa, idque non consilio, sed natura: quemadmodum in cæteris animantibus, quibus natura insitus est appetitus alterum sui simile relinquendi: societas igitur naturalis in consuetudinem quotidianam constituta, domus est.

Ulpianus lib. 1. Institutionum.

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. hinc descendit maris, atque fœminæ coniunctio, quam nos Matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio.

Beatus Aug. lib. de bono coniugali.

Quoniã vnusquisque homo humani generis pars est, & sociale quiddã est humana natura, magnũque

A 4 habet,

habet, & naturale bonum, vim quoque amicitiae: ob hoc ex vno Deus voluit omnes homines condere, vt in sua societate, non sola similitudine generis, sed etiam cognationis vinculo tenerentur. Prima itaque naturalis humanae societatis copula vir & vxor est: consequens autem est connexio societatis in filiis.

Hierocles lib. nuptiarum.

6 Prima & praecipua societas est, quae per nuptias inicitur, ac domus sine nuptiis manca est.

Musonius.

7 Nuptiae principium sunt constitutionis familiae: quisquis igitur homines nuptiis priuat, is abolet familiam, ciuitatem, & totum genus humanum, quod absque generatione non potest permanere, neque iusta & legitima generatio sine nuptiis.

Modestinus lib. 1. Regularum.

8 Nuptiae sunt coniunctio maris & feminae, confortium omnis vitae, diuini & humani iuris communicatio.

Theognides in Sententiis.

9 Arietes quidem, & asinos querimus, Cirne, & equos generosos, & quisque vult ex bonis admittere: ducere autem malam vxorem, mali viri filiam, non renuit generosus vir, si ei pecunias multas dederit.

Nulla femina mali viri recusat esse vxor diuitis, qui diuitem vult maritum, loco boni.

Opes quidem aestimant: & ex malo viro ortam bonam duxit. Et malus ex bono ortam cum diuitiis miscuit genus. Itaque ne mirare (o Polypega) genus ciuium labefactum.

Sanctus Augustinus in Ioannem tractatu 2.

10 Recta domus est, vbi vir imperat, femina obtemperat. quid autem peius domo, vbi femina habet imperium super virum?

Diuus

Diuus Ambrosius epistola 82.

Mulier viro deferat, non seruiat: regendam se praebat, non coercendam: indigna est coniugio, quae digna est iurgio. vir quoque vxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam confortem vitae honoret: participet, vt cohaeredi gratiae.

Ad Ephesios 5.

Mulieres viris suis subditae sint, sicut Domino (& ibidem Chrysostomus sermone 20.) qua ratione? quoniam si vir & vxor concordēs fuerint, & liberi bene educabuntur, & domestici probè instituuntur, & vicini ex eo pariter, & amici, & cognati, quasi boni odoris fragrantia fruuntur. si verò contrarium fuerit, omnia subuersa sunt, & confusa.

Eodem cap. 5.

Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. (vbi idem Chrysostomus) vis vt vxor tibi obediat, quemadmodum Ecclesia Christo? provide ipse quoque illi quemadmodum Christus Ecclesiae: & si animam pro ipsa dare oporteat, ac millies trucidari, & quancunque rem ferre, & pati, ne detrectes. Nam etsi ista passus fueris, nihil tamen unquam tale feceris, quale Christus: & paulò post: Eam verò, quae tuae vitae est socia, quae liberorum mater, quae omnis laetitiae materia, non timore, & minis constringere, ac deuincere oportet; sed dilectione, & cordis affectu. quale est enim istud coniugium, quando vxor virum tremebunda exhorret? qua verò vir iucunditate fruatur, qui vxori non vt liberae, sed velut famulae cohabitabit?

Lactantius lib. 6. cap. 22.

Seruanda fides matrimonij ab vtroque alteri est: 14

A 5

imò

imò exemplo continentiae docenda vxor, vt se castè gerat. iniquum est enim vt id exigas, quod præstare ipse non possis. quæ iniquitas effecit profectò, vt essent adulteria; fœminis ægrè ferentibus, præstare se fidem non exhibentibus mutuam caritatem. denique nulla est tam perditæ pudoris adultera, quæ non hanc causam vitiis suis prædat: iniuriã se peccando non facere, sed referre: & cetera in eandem sententiam elegantissime.

Tobia cap. 6.

15 Angelus Raphael dixit: Qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super illos.

DE VICO. CAP. II.

Genesis cap. 1.

1 Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, masculum, & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram.

Ex Aristotele lib. 1. Polit. cap. 1.

2 Prima societas, vsus non quotidiani gratia, ex pluribus domibus constituta, vicus est. Vicus autè maximè secundum naturam colonia esse videtur ex domo deducta, quos quidem Collactaneos vocant, filiosque, natosque natorum.

Cicero lib. 1. Officiorum.

3 Cùm vna domo iam capi non possent, in alias domos, tanquam in colonias exeunt.

4 Colonia propriè intelligitur, cùm ex aliqua ciuitate, nimiaque multitudine pars deducitur ad alteram urbem,

urbem, siue oppidum incolendum, cuius simile est cum ex vna domo redundante, altera prodit, & item plures, quæ vicum efficiunt.

Cùm fratres ad virilem ætatem perueniunt, & cùm familia est amplior, simul habitare plerunque non queunt: præsertim si vxores duxerint. Nam inter ipsos, & sorores: inter socrum, & nurum: inter sorores, & vxores: denique inter famulos eorum perpetua dissensio est.

Genesis 13.

Abram erat diues valdè, sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges cuium, & armenta, & tabernacula; nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequebant habitare communiter.

Ibidem Chrysof. homil. 32.

Vide quod facultatum multitudo statim fit causa discessus, diuisionem operatur, concordiam impedit, & cognationis vinculum dirimit.

Eodem cap. 13.

Vnde facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus: ecce vniuersa terra coram te est, recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

Idem Chrysof. ibidem.

Attende quomodo valde familiares discessionis initium faciunt. hinc enim semper omnia mala pululant à famulorum nequitia. Facta, inquit, est pugna inter pastores: hi diuisionis occasionem præbuerunt: dicere

dicere vult, ij concordiam dirimebant, ij multā morum inciuilitatem præ se ferebant.

Diuus Ambrosius lib. 1. de Abraam cap. 3.

10 Mulcebatur sanctus Abraam nepotis præsentia cui patrium affectum exhibebat: incidit rixa inter seruuolos nepotis, & patru: aduertit prudentior, seruulorum dissensionibus, dominorum concordiam solui solere: amputauit fimbriam discordiæ, ne contagium serperet. tolerabilius enim putauit, vt copula sequestraretur, quā gratia dirimeretur: quod te facere oportet, si fortè huiusmodi aliquid incideris, vt seruinarium dissensionis auferas; neque enim tu fortior quā Abraam: ille declinanda censuit, non despicienda seruulorum iurgia: & si tu fortior, caue ne alter infirmior, qui aurem præbeat seruulorum susurris: frequenter indiuisa seruitia inter parentes discordiam serunt: diuide potius vt maneat amicitia: indiuisa domus dios non sustinet: nonne melius est emigrare cum gratia, quā habitare cum discordia.

Ferus in Genesim cap. 19.

11 In paruis vicis, vt plurimū non tam malè viuunt, quā in magnis urbibus, vbi copia omnium rerum, & fastus est, radices scilicet peccatorum.

Vida lib. 1. de reip. dignitate.

12 In paulo magis frequentibus ciuitatibus plura & longè maiora scelera etiam pro rata incolarum portione, & ad frequentiæ rationem committuntur, quā in pagis & vicis, aut infrequētoribus oppidulis, ruris, vbi est nulla, aut certè longè minor celebritas.

Petrarcha lib. 14. epistolarum rerum senilium.

13 Quot sunt vrbes, totidem sunt sentinæ libidinum, ac scelerum officinæ. vbi enim, quæso, nisi in urbibus voluptates

voluptates foedæ habitant? vbi lenotinia, & prostrata passim pudicitia, calcata verecundia, pulsus decor? vbi corrupti iudices, infidi notarij, falsi testes, oppressa iustitia? vtque omnia simul stringam, vbi virtutum fuga? & quidquid mali homo in hominem molitur? omnium malorum fons est ciuitas: adeo quæ ad tutelam humani generis facta erat, ad eiusdem excidium versa est.

DE VRBE. CAP. III.

Numeri 32.

Ædificate paruulis vestris vrbes munitas.

Cicero lib. 1. de Rep.

Tectorum coniunctionem locis, manūque septā, oppidum vel urbē appellarunt, delubris distinctam, spatūque communibus.

Plato in Protagora.

Homines ab initio sparsim vagabantur habitabantque: nam vrbes nondum construxerant. Ergo à feris, cum imbecilliores essent, passim laniabatur: civilis enim peritiæ, cuius pars quædam est res militaris, expertes erant: artium autem facultas ad vitam comparandam sufficiens erat, ad pugnam verò contra bestias truculentas, minimè. Vt igitur se aduersus eam pestem munirent, structis urbibus congregati sunt.

Diuus Chrysof. ad populum Antiochensem hom. 51.

In feris illæ sunt maximè crudeles, & immansuetæ, quæ non gregatim iunguntur. Propter hoc & vrbes habitamus, & fora frequentamus, vt simul inter nos conuersemur: nihil enim tam malum quā solitudo, & status inconciliabilis, & inaccessus.

Otho

Otho lib. 1. rerum gestarum, cap. 6.

5 Nini temporibus homines nullis adhuc legibus aut disciplinis in vnum coierant, & (vt ait Eusebius) ferino magis ac belluino more aberrantes, non vrbes ad societatem, non mores ad honestatem, non leges ad vitæ iustitiam tenuere.

Virruuius lib. 2. cap. 1.

6 Homines veteri more, vt feræ in syluis, & speluncis, & nemoribus nascebantur, ciboque agresti vescendo vitam exigebant. Interea quodam in loco tempestatibus, & ventis densæ crebritatis arbores agitatae, & inter se terentes ramos, ignem excitauerunt: eò flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati. Postea, re quieta proprius accedentes, cum animaduertissent, commoditatem esse magnam corporibus ad ignis teporem, ligna adicientes, & eum conseruantes, alios adducebant, & nutu monstrantes ostendebant, quas haberent ex eo vtilitates: in eo hominum congressu, cum profundebarur aliter è spiritu voces, quotidiana consuetudine vocabula, vt obtigerant, constituerunt: deinde significando res sepius in vsu ex euentu, fari fortuito cœperunt, & ita sermones inter se procreauerunt. Ergo cum propter ignis inuentionem conuentus initio apud homines, & concilium, & conuictus esset natus, & in vnum locum plures conuenerent. &c.

Lactantius lib. 6. diuinarum institutionum, cap. 10.

7 Urbis condendæ originem, atque causam non vnâ intulerunt, sed alij, eos homines, qui sint ex terra primitus nati, cum per syluas, & cãpos erraticam agerent vitam, nec vllò inter se sermonis, aut iuris vinculo cohererent; sed frõdes, & herbas pro cubilibus; spelun-

speluncas, & antra pro domibus haberent: bestiis, & fortioribus animalibus prædæ fuisse commemorant: tum eos, qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, præsidium implorasse, & primo nutibus voluntatem suam significasse, deinde sermonis initia tentasse; ac singulis quibusque rebus nomina imponendo, paulatim loquendi perfecisse rationem. Cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam cœpisse munire, vel vt quietem noctis tutam sibi facerent, vel vt incursiones, atque impetus bestiarum non pugnando, sed obiectis aggeribus arcerent. O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt! miseros atque miserabiles, qui stultitiam suam literis, memoriaque mandarunt: qui cum viderent, mutis quoque animantibus ingenitam esse rationem, vel conueniendi, vel inuicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cauendi, vel cubilia sibi, & latibula parandi, homines autem ipsos existimauerint, non nisi exemplis admoneri, ac discere potuisse, quid metuere sibi, quid cauere, quid facere deberent, aut nunquam conuenturos inter se fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestia comedisent.

Ex Eusebio lib. 1. Ecclesiastica historia, cap. 1.

8 Vbi è paradiso primi homines eiekti fuere, hi qui ex eis procreati sunt, per orbem diffusi, ferino magis, ac beluino ritu oberrantes, non vrbes ad honestatem, non leges ad vitæ iustitiam tenuere. artium verò disciplinarumque; apud eos, & totius philosophiæ, ne ipsū quidem nomē habebatur, sed agrestes quidē, & vagi per deserta nullis sedibus vagabantur; si qua verò in ipsis

ipsis boni semina naturaliter conditoris clementi
inoleuerant, hæc inculta relinquentes, magis ad
vsum malitiæ, quo à vita hominum procliuor est
conferebant: ex quo accidit, vt nefariis sceleribus
inter semetipsos agentes, nunc corrumpentur, nunc
etiam interimerentur ab inuicem, vsquequo proce-
dente immanitate etiam deuorarentur alterutrum.

Ex eodem loco.

- 9 Lex per Moysen data, velut initium quoddam
luminis mundo obfulsit, atque ex ipsa diuersis in or-
bis partibus odorem quandam prudentiores quique
capientes, legifatores, & philosophi, modesta qua-
que, & verecundiora præcepta, honestatis, & iusti-
tiæ conscia, auditoribus suis paulatim tradere cœpe-
runt, & agrestes ac feros hominum mores ad hone-
sta, atque decora instituta reuocare: tunc amicitia
coire inter se viros, & concordia subire fœdera do-
cuerunt: tunc iuuare se inuicem homines, & vsum re-
rum habere communem, didicerunt. atque eadem
quoque Nicephorus memorat libro 1. historiae Ec-
clesiasticæ, cap. 3.

Sanctus Chrysoft. in Psalmum 48.

- 10 Deus animam rationis compotem homini largi-
tus est: per quam & ciuitates condidit, & mare le-
cuit, & artes inuenit innumerabiles, & Deum co-
gnouit, &c.

Horatius in arte.

- 11 Syluestres homines sacer, intérprésque Deorum
Cædibus, & victu fædo deterruit Orpheus.
Dicitus ob hoc lenire tigres, rabidósque leones.
Dicitus & Amphion Thebana conditor vrbis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda

Duce

Ducere, quo vellet. fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno:
Sic honor & nomen diuinis vatibus atque
Carminibus venit.

Cicero 5. Tusculanarum.

O vitæ philosophia dux, ô virtutis indagatrix, ex- 12
pultrixque vitiorum, quid non modò nos, sed om-
nino vita hominum sine te esse potuisset? tu vrbes
peperisti: tu dissipatos homines in societatem vitæ
conuocasti: tu eos primò domiciliis, deinde cõugiis,
tum literarum, & vocum communione iunxisti: tu
inuentrix legum, tu magistra morum, & disciplinæ
fuiſti.

Idem Cicero pro Sestio.

Quis nostrum ignorat, ita naturam rerum tulisse, 13
vt quodam tempore homines nondum, neque natu-
rali, neque ciuili iure descripto, fassi per agros, & dis-
persi vagarentur, tantùmque haberent, quantum ma-
nu, & viribus per cædem, & vulnera, aut eripere, aut
retinere potuissent. qui igitur primi virtute, & con-
silio præstanti extiterunt, ij perspecto genere huma-
næ docilitatis, atque ingenij, dissipatos vnum in locũ
congregarunt, eosque ex feritate illa, ad iustitiam, at-
que mansuetudinem transtulerunt: tum res commu-
nem vtilitatem continentes, quas publicas appella-
mus, tum conuenticula hominum, quæ postea ciui-
tates nominauerunt, tum domicilia coniuncta, quas
vrbes dicimus, inuento, & diuino, & humano iure
mœnibus sepserunt: atque inter hanc vitam perpoli-
tam humanitate, & illam immanem, nihil tam inter-
est, quàm ius, & vis. Horum vtro vti volumus, altero

B

est

est cendum: vim volumus? extingui ius necesse est, id est, iudicia, quibus omne ius continetur. Iudicia displicent, aut nulla sunt, vis dominetur necesse est.

Aristides oratione in Mineruam.

14 Ipsa primùm hoc effecit, ut à syluestri, & solitaria viuendiratione homines desciscentes, eodem congregati simul habitarent, communi ædium corona sibi circumposita, vrbesque ipsæ ex Mineruæ liberalitate processerunt.

Sed hac iustitia tribuit Claudianus, nec immeritò quidem, ait enim

15 Tu prima hominem syluestribus antris
Elicis, & fædo detergis secula victu:
Te propter colimus leges animosque ferarum
Exuimus.

DE SITV VRBIS.

CAP. IIII.

Lib. 2. Paralip. cap. 27.

1 Vrbes ædificauit in montibus Iuda, & in saltibus castellâ, & turres.

Numeri cap. 13.

2 Considerate terrâ, qualis sit, bona, an mala: humus pinguis, an sterilis: nemorosa, an absque arboribus.

Hippocrates lib. de aère, aquis, & locis.

3 Quæcûque ciuitates ad orientem solem sitæ sunt, eas par est, esse salubriores his, quæ ad Septentrionem conuersæ sunt. Nam illic est moderatior caliditas, & frigiditas: & morbi pauciores fiunt, ac debiliores: quæ verò ad occasus sitæ sunt, & à ventis ab Oriente spirantibus protectæ: eas vrbes necesse est, situ morbosissimo sitas esse.

Oribasius

Oribasius lib. 9. cap. 11.

Loca sublimia saluberrima sunt, cum aër in eis non sit permanens, sed perfundatur, & à ventis perpetuò exagitetur.

Plato lib. 6. de Legibus.

Vrbs quidem tota in circulum in locis sublimibus deducatur, ut & munitior sit, & mundior.

Ex Aristotele 7. Polit. cap. 11.

In deligendo loco vrbs condendæ, quatuor rerum habenda est ratio: valetudinis, ciuiliū actionum, & rerum necessariatum, inuectionis, aut etiã exportationis. Ad valetudinem, & salubritatem facit, ut vrbs in Solis ortum, aut certè in Septentrionem vergat. Hæc namque magis commodis auris refrigeratur, & salubrior est. Deinde eam formam vrbs habere debet, ut oppidanis exitus sit facilis, hostibus difficilis aditus, sitisque incommodus ad urbem obsidendam. Præterea salubrium aquarum copia ciuibus esse debet.

Virruuius lib. 1. cap. 4.

In ipsis mœnibus ea erunt principia. Primùm electio loci saluberrimi, is autem erit excelsus, & non nebulosus, non pruinosus, regionésque cæli spectans, neque æstuosas, neque frigiditas, sed temperatas. Deinde si euitabitur palustris vicinitas, cum enim auræ matutinæ cum sole oriente ad oppidum peruenient, & iis ortæ nebulæ adiungentur, spiritusque bestiarum palustrium venenatos cum nebula mixtos in habitatorum corpora flatus spargent, efficiunt locum pestilentem. Item si secundum mare erunt mœnia, spectabuntque ad Meridiem, aut ad Occidentem, non erunt salubria: quia per æstatem cælum meridianum sole

B 2

ex oriente

ex oriente calefcit, meridie ardet. Item quod spectat ad Occidentem, sole exorto tepescit, meridie calet, vespere feruet: igitur mutationibus caloris, & frigerationis, corpora, quæ in his locis sunt, vitiantur. Hoc autem licet animaduertere etiam ex iis quæ sunt in animalia, in cellis enim vinariis tectis, lumina nemo capit à Meridie, nec ab Occidente, sed à Septentrione, quòd ea regio nullo tempore mutationes recipit, sed est firma perpetuò, & immutabilis, &c.

Oribasius lib. 9. cap. 10.

8 Urbium situs in quam orbis partem vergant spectandum est: id quod vsu venit in his, quæ altis in locis sunt conditæ. Nam planæ, & æquales ad nullam orbis partem esse versæ utique dicerentur. At tamen domos, quæ in eis sunt, ad aliquam ex quatuor mundi partibus versas esse, necesse est.

Nicolaus Biesius lib. 3. de Rep.

9 Legimus multas malè positas vrbes, fame, peste, vel alia fortunæ vi subito periisse, aëris enim contagio sæpè totas regiones euertit. aquarum confluxu, vel defectu, experti sumus multas vrbes miserrimè periisse: caloris etiam excessu, vel defectu magnam vrbis partem incultam esse scimus. nec potest in solo admodum sterili felix esse respublica, quantumuis ciues habeat bene fortunatos.

Oribasius lib. 9. cap. 17. & 18.

10 Salubris regionis signum est, si quæ ex terra oriuntur, bene tincta, & probè colorata, & odoratiora sint: si pueri floridi, & succi pleni, & coloratiora sint: Item catuli, & cæterorum animantium filioli nuper in lucem editi, meliores, præstantiorésque: eosque salubriores, quàm in aliis regionibus cõspicias: quin
etiam,

etiam, si quæ homines reponunt, vt triticum, hordeum, cæteri que fructus, & caricæ, & palmulæ, & cætera generis eiusdè, diutius manserint incorrupta: signo erit, salubrem è regione vaporem emitti. cùm autem in regionibus omnia contrà, quàm supra dixerim, comperias, iam cognosces prauam earum esse exhalationem.

Constantinus Casar lib. 2. de Agricultura, cap. 3.

Loci maritimi, vt plurimum salubriores sunt; & 11 montani, & acclities ad Boream vergentes: qui verò prope paludes & stagna, aut in locis concauis, aut ad Austrum ventum, aut ad Occidentem inclinati, sunt morbofi.

Gregorius Nyssenus, de Historia sex dierum.

In aëre hominum vita consistit, & omnis prope- 12 modum viuendi vis, atque sensuum instrumentorum efficientia, per aërem vires habet (nam & videmus per eum, & audimus, & eas res, quæ odoratu percipiuntur, similiter per eum hauriendo spiritum capessimus, & apprehendimus) maximè necessaria, opportunissima, atque commodissima res est ex iis, quæ per vitam exercentur.

Haly Abbas lib. 5. Theorica, cap. 2.

Corporum habitudines complexionis sequuntur 13 naturales: aër autem nos circundans vnum ex his est causis, quæ in complexionum immutatione fortia sunt; propter inuitabilem hominis ad illum necessitatem anhelitus causa. necesse itaq; est corporum habitudines aëris sequi cõplexiones. quòd si aer sit clarus, & purus, & lucidus: humores, atq; spiritus puri erunt, & splendidi: turbatoq; aere, & nebuloso, humores quoq; & spiritus turbantur, ac spissi sunt, ac defati.

Et post aliqua.

14 Aer temperatus in qualitate est, non calidus, non frigidus, non humidus, non siccus: & cuius est hæc aeris habitudo, temperatæ cōplexionis corpora confortat, humores, spiritusque clarificat, digestionis diligentiam adiuuat.

Oribasius lib. 9. cap. 1.

15 Optimus aer est, qui prorsus est purus; talis est, qui neque stagnorum, neque paludum halitu sit perturbatus, neque ex profundo aliquo specu, perniciosam auram exhalante, sit infectus: improbatum etiam, qui ex cloaca vitium contrahit. malus etiā est is, qui ex animalium, aut olerum putredine, aut fimo coinquinetur: quique ob stagnum, vel flumen vicinum nebulosus est: & qui cauo loco inclusus perflatum nullum recipit; suffocans etiam is est, & putris: similis nimirum ei, qui in domibus quibusdam clausus est, in quibus ob putredinem, & quia non persentur, plurimus fitus aceruatur. huiusmodi autē aeres omnibus ætatibus sunt noxij: velut qui prorsus est purus, omnibus ætatibus est utilis.

Ex Alberto Magno lib. de natura locorum, cap. 13.

16 Differunt locorum proprietates per accidēs marium, stagnorum, sylvarum, & montium. loca sita iuxta mare accedentia ad climata frigida, pestifera sunt, quia plus habent humiditatis, quā calor consumere potest. Si montes alti fuerint ex parte Orientis, & locus versus Occidentem, non erit bonus ad habitandum. Locus autē profundus malus est: quia semper erit vapore terrestri plenus, per quem inficit, & inflat corpora. Locus verò altus, non ex montibus sed ex terræ eleuatione, optimus est humanæ vitæ ad

ad habitandum, quia optimum aerem habet. Locus autem magnis syluis circumdatus, habet aerem suffocatum, & crassum, & multas nebulas: & plurimum nocent nux, & quercus, & cæteræ arbores, quæ vel amaritudine sua inficiunt aerem, vel proceritate sua concludunt eum, & purificari non permittunt.

Beatus Thomas lib. 1. de regimine principum, cap. 13.

Conditor ciuitatis primū quidem congruum locum eligere debet, qui salubritate habitatores conseruet, vbertate ad victum sufficiat, amœnitate delectet, munitione ab hostibus reddat tutos: ac tanto locus erit conuenientior, quāto plura eorum habuerit. Deinde locum electum distinguat, disponatque ad vsum, & commoditatem eorum, quæ perfectio ciuitatis requirit, vt scilicet assignetur locus sacris, & iuri reddendo, & artificibus singulis.

Idem Dicitur lib. 2. cap. 1.

Ad condendam urbem locus temperatus est eligendus. Nam ex temperie proueniunt incolumitas corporum, & longitudo vitæ, animorum constantia, fortitudo, & prudentia: demum regio temperata plurimum valet ad vitam politicam transigendam.

Idem Sanctus sodem lib. cap. 2.

Salubritas quoque aeris requirenda est. vita enim ciuium per salubritatem aeris seruatur illæsa, aerem enim semper aspirando attrahimus vsque ad vitalia ipsa: vnde fit vt aeris salubritas ad corporum incolumitatem plurimum conferat. Saluberrimus autem locus erit excelsus, non nebulosus, nec pruinosus: regionisque cæli spectans, neque nimium calidas, neque frigidas, neque vicinas paludibus. Loci verò sublimitas ad aeris salubritatem conferre solet, quia

ventis patet, quibus redditur aer purus, & subtilis.

Idem paulò post.

- 20 Loci salubritas ex animalibus cognosci potest. Nam si viscera eorum inveniuntur bene valentia; homines quoque ibidem salubriter degere poterunt: contra vero si animalium reperiantur morbida membra, est & aliud signum, si hominum ibi commorantium facies bene coloratae appareant: robusta corpora, & bene disposita membra: si pueri multi, & viuaces: si senes multi reperiantur: e contrario, si facies hominum deformes, & mali coloris appareant, corpora debilia, membra exinanita: si pauci, & morbi di pueri, & pauciores senes: dubitari non poterit, locum esse mortiferum.

DE MURIS. CAP. V.

Deutero. cap. 3.

- 1 Cunctae urbes erant munitae muris altissimis, portisque, & vectibus.

Chrysof. lib. 4. de Sacerdotio.

- 2 Ciuitas quandiu muro vndique cincta est, eos irridet, à quibus obsidetur, praesidio illo tutissima: vbi vero quis murum diruit, ad portulae tantum magnitudinem, tunc longè illi abest septi praesidium, etiam si firmum alioqui, ac tutum illud maneat.

Plato lib. 6. de Legibus.

- 3 Muros in solo iacere fatilè patior. Probè enim poëticum illud laudatur, quo aeneas, & ferreos magis muros, quam terreatos conde admonemur. Nos vero muros circumducimus: quod primùm ad sanitatem ciuibus nihil confert, deinde animos ciuium emollire, & eneruare consuevit: efficiunt enim, vt facile

cilè intra eos se recipientes, hostes minimè fugent, putentque se, non diurna, nocturna que custodia vigilantes, sed murorum septo, & vallo dormientes, saluos fore; quasi ad deuidiam nati sint: ignorantes certè quietem à laboribus originem trahere, atque è turpi otio, & negligentia nasci labores solere.

Chrysof. in cap. 3. Isaiæ.

Stabilis, firma que protectio ciuitatum, neutiquam consistit in lapidibus, lignis, & mœnium ambitu: sed in prudentia, & sagacitate eas incolentium.

Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 2.

De muris autem, qui vrbes laudi, & virtutis opinioni studentes cinctas eis esse oportere negant: hi nimis ruditer, & prisca simplicitate praecipunt: praesertim cum earum ciuitatum, quae illo modo sese iactant, & ostentant, errorem rebus ipsis conuictum esse videant. Praeterea licet aduersus similes, nec longè numero superiores, velle sese murorum praesidio tueri, turpe sit: tamen quoniam accidit, fierique potest, vt qui bellum inferunt, tanto superiores sint, vt humana, & paucorum virtute impetus eorum sustineri nequeat, idcirco si saluti consulendum est, & iniuriae, contumeliae que vitandae, murorum praesidium tutissimum, & bellicis rationibus conuenientissimùm esse putari debet: praesertim hoc tempore, tormentis & machinis solerti ratione ad obsidendas, oppugnandasque vrbes inuentis, &c. *Et paulò post:* Hoc cum ita sit, non solum muri circumducendi sunt, sed danda etiam opera, vt tum ad vrbis ornatum, tum ad bellicos nuper excogitatos vsus sint accommodati; eos autem in propugnacula, & turres locis opportunis dispositas, diuisos esse oportet.

Chrysoſt. lib. 2. de orando Deum.

6 Ciuitas quæ muris cincta non eſt, facilè venit in poteſtatem hoſtium, propterea quòd proſus obſidid, quo fuerat hoſtium incurſus arcendus.

Theophilus lib. 1. Inſtitutionum, tit. 2.

7 Ideo muros ſanctos diximus, quòd capitalis aduerſus eos pœna conſtituta ſit, qui aliquid in muros deliquerint. dicuntur & indè Sancti, quòd ſancire, firmare ſignificet: quãdo igitur muri firmè nos tuentur, & firmis munitiõibus tutos faciunt, idè ſancti appellantur. Poſſumus autem, & ex fabulis veterum aliam huius appellationis cauſam afferre; quondam enim Deos perhibent inter homines verſatos eſſe, qui & eos à malis vndique immunes conſeruant, procedente deinde tempore factum eſſe, vt pertæſi hominum, eos deſeruerint. Igitur homines Deorum auxilio deſtituti, ad imitationem, ſimilitudinẽque cuſtodix, quam ab illis habuerant, mœnia excogitarunt: quando id ergo ſanctum eſt, quod magno in pretio eſt, ideo muros, portasq; vt in locum eorum, quæ vtiq; magno habenda erant, inuenta, ſancta dixerunt.

Cicero lib. 1. de Oratore.

8 Nemo eſt, qui neſciat initio genus humanum in montibus, ac ſyluis diſſipatum, prudentium conſiliis compulſum, & diſertorum oratione delinitũ, ſe oppidis mœnibusq; ſepſiſſe.

Lucretius lib. 5.

9 Condere cœperunt vrbes, arcẽmque locare
Præſidium reges ipſi ſibi, perſugiũque.

Galenus lib. ad Traſybulum cap. 17.

10 Vt ne inter hoſtes, aut proſus ne inter ſceleratos homines,

homines, ferãſque beſtias verſaremur, ædes, ciuitatẽſque conſtruximus, & muros circumdedimus; imperatores, ac principes creauimus.

Egeſippus in prologo.

Iudæi ſibi ipſis propriæ cladis auctores fuere: pri-
mũ, quòd alia curantes Romanos in ſe conuert-
erunt, & ad cognitionem Regni ſui inuitauerunt, qui-
bus ignorari ſatius fuit. rogauerunt amicitiam, fidem
non ſeruaturi. pacem violauerunt, virtute impares.
poſtremò bellum intulerunt, quibus ſpes omnis in
mœnibus, non in viribus erat: cũ ſit maximè om-
nium miſerabile, claudi obſidione: quæ etiam ſi be-
ne procedat, ſæpius augere, quàm minuere pericula
ſolet.

Bieſtus lib. 3. de Rep.

Quoniam verò non eſt ſatis, quòd intus Reſpubli-
ca ſibi ſufficiat, niſi quoque ſit ad externas iniurias
arcendas parata: hic præcipua ſpes in bonis militibus
eſt. quia tamen improviſi quidam inſultus ſæpe fieri
ſolent, aduerſus eos quoque conuenit eſſe munitam,
vel arte, vel natura. ciuitatem: munitæ ſunt, quæ mœ-
nibus egregiè ſer-
te ſunt, quæ in editis, & præruptis
locis ſitæ: modò circum ampla ſit planicies: ſic vt
à vicinis collibus lædi non poſſint. Munitæ ſunt etiã
in plano præſertim humido, non enim facilè machi-
nis, aut cuniculis tentantur.

Ciuitas pro ſaxis ac mœnibus, incolentium vir-
tute munienda eſt: quos ſi iungat concordia, nullus
potest eſſe murus inexpugnabilior.

DE EDIFICIIS PVBLICIS.

CAP. VI.

3. Regum 5.

Cogito ædificare tẽplũ nomine Domini Dei mei.

Plato

2 Templata circa forum struantur. Iuxta hæc magistratum, iudiciumque palatia, in quibus quasi sacratissimis iustam & accipient, & ferent sententiam; partim quidem tanquam de rebus sacris iudicaturi, partim verò tanquam iudicantium deorum ibi sine delubra. ibi etiam iudiciaria domicilia, in quibus de homicidiis, cæterisque capitalibus iniuriis iudicatur.

Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 12.

3 Templata diis immortalibus dedicata, & principales magistratum domos, locum opportunum, & eundem habere debent. *Et paulò post:* Sed cum civitatis multitudo in sacerdotes, & magistratus dividatur, locum conveniendi sacerdotibus iuxta sacras ædes constitutum esse decet. Magistratibus autem, qui contractuum curam habent, quique causarum scripturis, cæterisque similibus præfunt, locus circa forum, & publicum aliquem conventum debet esse constitutus.

Pausanias lib. 9.

4 In eo sanè Tanagræi præcipuam quandam præcunctis Græcis religionis rationem mihi habuisse videntur, quòd seorsum à profanis ædibus deorum templa ædificanda curarunt, in area scilicet pura, & ab hominum negotiationibus seiuncta.

Idem lib. 10.

5 Acheronea stadiorum xx. via Panopæum ducit, vrbs ea est Phocensium; si modò urbem eam appellare par fuerit; in qua civis non prætorium, non gymnasium, non theatrum, non forum vllum habent, non denique vllum perennis aquæ conceptaculum: concavas habitant casas, qualia sunt mōtana tuguria

inter

inter contallium anfractus, suis tamen limitibus à finitimis diuiduntur.

Vitruvius lib. 5. cap. 2.

Ærarium, carcer, curia foro sunt coniungenda; sed ita ut magnitudo symmetriæ eorū foro respondeat: maxime quidem curia in primis est facienda ad dignitatem municipij siue civitatis.

Concilium Tridentinum sessione 22.

Ab ecclesiis musicas eas, ubi siue organo, siue cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur: item seculares omnes actiones, vana, atque admodum profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, ordinarij episcopi arceant, ut domus Dei verè domus orationis esse videatur, ac dici possit.

DE ALIIS ÆDIFICIIS.

CAP. VII.

Psal. 126.

Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.

Charondas apud Stobæum sermone de Legibus.

Quisquis templa, & prætoria privatorum ædificiorum sumptibus excellit, nequaquam laude dignus, sed infamis habeatur: nihil enim privatum esse debet egregium, & magnificentum magis, quam publica.

Chrysof. Sermone de malis à nobis avertendis.

Non domum sed animam ipsam, ut clarior fias, ornato. Philosophus quidam cum splendidam esset domum ingressus, auro multo fulgentem, varioque marmore, & columnarum cultu conspicuam, pavimenta mox ipsa tapetibus strata vidisset, in faciem domini dicitur conspexisse: increpatus deinde respon-

disse,

disse, cum sibi id facere vlla in parte domus haud
quaquam licuisset, coctum se domini vultum cospurcasse.

Demoſthenes Olynthiaca 3.

- 4 In ipsa vrbe spectate, quales & publicis, & priuatis
in rebus maiores nostri se praeberunt: publice enim
aedificia, & ornamenta talia, & tanta instruxere no-
bis templorum, & quae his continentur donariorum,
vt nihil addi possit a posteris ad illorum excellentiam,
priuatim autem adeo modesti fuerunt, & tanta cura
institutum rei publicae obseruauerunt, vt si quis vestrum
Aristidis, & Milciadis, & illius aetatis illustrium vi-
rorum domos vidit, cuiusmodi sint, vicini aedibus
nihilominus illas splendidiotes videat: nec enim augenda
rei familiaris gratia rempublicam gerebant, sed qui-
que sibi rem communem augendam, atque ornan-
dam putabant.

Cicero lib. 1. Officiorum.

- 5 Ornanda est dignitas domo, non ex domo digni-
tas tota quaerenda; nec domo dominus, sed domino
domus honestanda est. Ampla domus dedecori do-
mino saepe fit. Cauendum est etiam, ne extra modum
sumptu, & magnificentia prodeas: quo in genere mul-
tum mali etiam in exemplo est. Studiosè enim ple-
riq; praesertim in hac parte, facta principum imitatur.

Diuus Hieronymus epistola 11.

- 6 Nihil nobis satis est: & illud quod de Megaren-
sibus dicitur, iure miseris coaptari potest: aedificant,
quasi semper victuri: viuunt quasi altera die moritu-
ri. *Epistola 12.* Viuimus quasi altera die morituri:
& aedificamus, quasi semper in hoc seculo victuri: au-
ro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita co-
lumnarum: & nudus, atque esuriens ante fores no-

stras

stras Christus in paupere moritur.

Constantinus Caesar lib. 2. de agricultura, cap. 3.

Oportet verò domos in altioribus locis aedificare, 7
ad sanitatem enim, & speculationem, & regionis col-
lustrationem hic locus aptissimus existit. Ceterum
tota figura domus ad Orientem extruenda est, itemq;
fores. Venti enim ex Orientis partibus spirantes sa-
luberrimi sunt, & solis calor citius irrumpens, at-
tenuat, & dissipat omnem aeris crassitudinem, & cali-
ginem. nec verò humiles domos, nec arctas facere
oportet, sed spatiosas, & altas.

Vitruuius lib. 6. cap. 1.

Priuata aedificia ita erunt rectè disposita, si primò 8
animaduersum fuerit, quibus regionibus constituan-
tur. Namque aliter Aegypto, aliter Hispaniae, non eo-
dem modo Ponto, dissimiliter Romae, item ceteris
terrarum, & regionum proprietatibus oportere vi-
dentur constitui genera aedificiorum. Sub Septentrio-
ne aedificia testudinata, & maximè conclusa; & non
patentia, sed conuersa ad calidas partes oportere fie-
ri videntur. Contra autem sub impetu solis Meridia-
nis regionibus, quod premuntur à calore, patentio-
ra, conuersaque ad Septentrionem, & Aquilonem
sunt facienda, ita quod vtrò natura laedit, arte eris
emendandum.

Franciscus Patritius lib. 8. de institutione Reip.

Secundum vias publicas in vrbe priuatae aedes lon- 9
go ordine ad pares, si fieri potest, dimensiones con-
stituendae sunt, vt speciem vrbis ornent: nec quip-
piam exporrectum habeant, quod viis publicis im-
pedimento esse possit. *Biesius lib. 3. de Rep.*

Non satis est nunc aedes struere tam amplas, qua- 10
rum

rum maior pars nulli seruiat, nisi etiam marmore sint, & artificio longo variegatae, nisi omnia ferme laquearia sint laboriosissime deaurata.

Oribasius lib. 9. cap. 13.

- 11 Corpori quod multae materiae sit, magnae domus sunt idoneae, valent enim ad discutiendam materiam & integram vim, probamque facultatem, quam corpora quodammodo rapiunt, propter aeris copiam impertiuntur. Paruae domus horum contraria efficiunt. Sublimes vero respirationis facultatem gignunt, & caput leuant; humiles omnino improbantur. *Et paulo post:* Quatum parietes tenues sunt, atque exiles, praeuiae sunt, quandoquidem aer, qui in eis est, facile ab externo aere commutatus, faciles mutationes capit.

Auicenna lib. 1. Fen. 2. doctrina 2.

- 12 Oportet ut fenestrae, & portae sint Orientales, & Septentrionales, & ut venti Orientales structuras ingredi valeant: & ut sol unumquemque locum intrare queat, quoniam ipse est, qui aerem rectificat.

DE CIVITATE. CAP. VIII.

Psal. 126.

- 1 Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.

Beda in Genesim cap. 19.

- 2 Ciuitas a conuersatione multorum dicitur, pro eo quod plurimorum consciscat, & in unum contineat vitas.

Diuus Thomas in lib. 3. Politi. lectione 7.

- 3 Ciuitas est communicatio bene viuendi, composita ex generibus diuersis, & gratia vitae perfectae, ac per se sufficientis; hoc autem est viuere feliciter.

Aristoteles

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 1.

Qui de republica, quae & qualis sit commentatur, huius ferè prima consideratio est, de ciuitate, ut quid tandem ciuitas sit, intelligatur: Nam viui ciuiliis, legumque latoris munus totum videmus in ciuitate versari.

Diuus Thomas in lib. 1. Politi. lectione 1.

Ciuitas est potissimum eorum, quae humana ratione constitui possunt: nam ad ipsam omnes communitates humanae referuntur: cum enim communitatum diuersi gradus, & ordines sint, vltima est communitas ciuitatis, ordinata ad ea, quae per se sufficiant vitae humanae; vnde inter omnes communitates ipsa est perfectissima. Ciuitas quidem includit omnes alias communitates: nam domus & vici sub ciuitate comprehenduntur.

Solon apud Lucianum in Anacharsi.

Nos ciuitatem non aedificia illa esse existimamus, cuiusmodi sunt muri, delubra, & alia; sed haec tanquam corpus quoddam firmum esse, atque immobile ad receptum, & securitatem hominum urbem incolentium; omnem vero vim, atque auctoritatem in ciuibus sitam esse arbitramur. Hos enim esse, qui cuncta implent, singula ordinant, omnia perficiunt, atque custodiunt, quali in nobis singulis gubernandis officio anima fungitur. Hoc ergo intelligentes, sanè sedulam curam habemus ciuitatis corpus non negligendi, exornantes illud, ut quam maximè niteat, cum intus visendis aedificiis adornatum, tum externè munitis, & firmissimis propugnaculis circumseptum. Cum primis vero omnem curam impendimus, ut ciues, & mente boni, & corpore efficiantur validi.

C

Tales

Tales enim ipsi sibi prodesse in pace possunt, vna re publicam administrantes, necnon in bello ciuitatis libertatem, atque salutem seruare atque propugnare.

Gregorius Nyssenus lib. 1. de Philosophia, cap. 2.

7 Quoniam mutuo auxilio opus nobis est, simul cohabitare, & commercia inuicem tractare pro huius vitæ necessitatibus necessarium existit, in permutationibus scilicet, & negociationibus, quam syndum, & cohabitationem ciuitatē nominant: vt propè, & non longè mutuas vtilitates afferamus. natura enim sociale, & ciuile animal est homo, Nemo autē solus sibi ipsi ad vniuersa sufficiens est. Manifestum itaque euadit, ciuitates propter negociationes, & disciplinas fuisse institutas.

Salomonius lib. 3. de Principatu.

8 Vt nemo negocialem societatem in se ipsiusmet societatis causa, sed vt ex ipsa communi negociatione priuatim quærat, & affluenter necessitatibus subueniat: sic mortales à natura nudi, omniumque rerum inopes, ac per se singuli ad paranda necessaria minime idonei, nisi mutuo sibi opitulentur: ad superandas necessitatum angustias ab initio conuenerunt: indigentia (inquit Plato) ciuitatum origo fuit prima.

Plato lib. 2. de Rep.

9 Vtique ciuitas fit, vt existimo, quandoquidem nullus nostrum ex se ipso sufficiens est, sed multorum indiget: an verò tu putas aliud extitisse ciuitatibus constitutendis initium? nullum aliud. Sic itaque alius alium, aliumque sibi, & ad vsum alium adiungentes, cum multis indigeamus, multos in habitationem vnam communicatores, adiutoresque congregauimus, quem ceterum Ciuitatem nos appellamus.

Lactan-

Lactantius lib. de opificio Dei, cap. 4.

Omnia ferè humanitatis iura, quibus inter nos coheremus, ex metu, & conscientia nostræ fragilitatis oriuntur. Nam si haberet homo ad propulsanda pericula suppetens robur: nec vilius alterius auxilio indigeret: quæ societas esset? quæ reuerentia inter se? quis ordo? quæ ratio? quæ humanitas? aut quid esset tetrius homine? quid efferatius? quid inhumanius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine viuere: societatem appetit, vt vita communis, & ornatio fiat, & tutior.

Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 9.

Ciuilis societas vtilitatis gratia videtur, & à principio constituisse, & perseverare: id enim, & legum latores coniectant, & ius esse inquit, quod communiter conducit.

Diuus Chrysost. in Mattheum hom. 53.

Ars nulla finem suum sola consequitur: verbi gratia, in agricultura id perscrutemur. Hæc igitur nisi ferrarius faber vomerem, rastros, falcem, securim, aliâque complura sibi mutuetur: nisi lignarius aratrum sibi fabricet, & iugum præparet: nisi ædificator aliquis arantibus tauris stabulum, & agrum colentibus tugurium struat: nisi denique pistoris artificium tandem accedat, vniuersa penitus agricultura euadit; non aliter etiam textoria multas ad auxilium sui artes conuocat; quæ si opitulatæ non fuerint, remanet inutilis: ita singulæ artium altera alterius auxilio eget.

Amicitia exulans Cyri Theodori.

Homines sociantur artibus per me suis:
Nam quærit ecce fullo calcearium.

C 2

Equitum

Equitum magistro gratus est frangi faber,
Agrum colenti mechanicus coniungitur.
Breuiter habeto, quælibet ars cui libet.
Piscator omnis indiget enim rustico,
Eget piscatore rura qui colit:
Illi panes dans, ipse pisces accipit.
Sic omnis opifex quærit alterius opem,
Hic denique modus ciuitates promouet.

Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 2.

14 Complurium vicorum perfecta confociatio ciuitas est.

Idem lib. 3. cap. 1.

15 Ciuitas est ciuium multitudo, cui copia suppetat earum rerum, quæ pertinent ad vitam degendam.

Idem lib. 7. cap. 8.

16 Est autem ciuitas similium hominum communio quædam, optimè quoad eius fieri potest, viuendi causa conflata.

Cicero in somno Scipionis.

17 Nihil est illi principi Deo, qui omnem hunc mundum regit (quod quidem in terris fiat) acceptius, quàm concilia, cœtusque hominum iure sociati, quæ Ciuitates appellantur.

Petrarcha lib. 1. Africa.

18 Hoc etiam meminisse velim, nil gratius illi, Qui cælum, terrasque regit Domino, Patrique, Actibus ex nostris, quàm iustis legibus vrbes, Conciliumque hominum sociatum nexibus æquis.

Beatus Aug. lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 21.

19 Cicero libro secundo de Republica, inducit Scipionem hæc dicentem: vt in fidibus, ac tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimiliu

VOCUM

vocum moderatione, concors tamè efficitur, & congruens: sic ex summis, & mediis, & infimis interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione ciuitatem cõsensu dissimili morum, concinere: & quæ harmonia à musicis dicitur in cãtu, eam esse in ciuitate concordiam, arctissimum, atque optimum omni in re publica vinculum incolumitatis; eamque sine iustitia nullo pacto esse posse.

Diuus Chrysof. in Euangelium Ioannis homilia 18.

Hæc gratia ciuitates, fora, domos excogitauimus, vt simul viueremus, non mutua tantum consuetudine, sed charitatis vinculo. Cùm enim indiga nobis natura ab opifice Deo tributa sit, neque sibi ipsi sufficiens, vtilitati nostræ prospectum est, vt scilicet indigentia nostra mutua consuetudine iuuaretur: itaque quod alteri deest, alterius auxilio suppletur, non aliter hæc mortali successionem diuinam immortalitatem seruamus.

Idem Diuus in priorem epistolam ad Corinth. ser. 34.

Deus vt opus nobis inuicem haberemus fecit, vt hinc quoque nos congregaret, quando teneri amicitias vtilitate vel maximè videmus. Hinc non omnibus in locis omnia nascuntur, quo congregari, & permisceri necesse haberemus; & dum mutua necessitate astringit, faciles etiam cõgressus dedit; quod quidem nisi curasset, magna in difficultate, magna tristitia res humanæ constituerentur. Nam si quis, vel medicò, vel fabro, vel alio quopiam artifice habens opus, longam peregrinationem pro acquirendo suscipere cogatur, perire interea rem sit necesse: hinc vrbes cõstruxit, & in vnum omnes collegit; & vt his quoque qui procul sunt facilius congregeremur, mare in

C ;

medium

medium expandit, ventorum dedit celeritatem, & expeditas esse peregrinationes iussit.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

22. Causam constituendæ civitatis fuisse hominibus, ut bene, beatæque, id est, honestè & cum virtute viverent, nemo, qui rectis utitur sensibus, ibi inficias, id omnes planè cordati philosophi fatentur, non negarim, alias quoque causas permultas ad cœtus, & societates conciliandas confluisse; siquidem cœmunio loci unâ viventibus maximam affert delectationem, homo enim hominem naturâ diligit, ac gaudet iucundissima vitæ societate; neque ullius rei potest unquâ esse diu iucunda possessio sine socio; quod non aliunde, quàm ab ipsa natura proficiscitur, occulta quadam vi ad id nos impellente. Nemo enim velit vivere in solitudine etiam omnibus bonis affluens, & infinita rerum copia positus, sibi negata aspiciendi hominis potestate.

Idem statim.

23. Ipsum verò simul vivere per se multarum communitatum causa existit, cum sibi mutuò civis deseruire, prodesse, & subvenire valeant: tutiusque idè vivunt, multoque meliùs tueri se valent contra validiorum vim, ferarumque incursus, quàm dispersi.

Idem post multa.

24. Cum homini naturale sit vivere, naturalia itidem illi ea esse oportet, quæ sunt ei ad vivendum necessaria. inter alia autem, quæ maximè homini requiruntur ad vitam degendam, constat in primis esse hominum societatem, ad quam nati sumus, & sine qua vivere nequimus: sequitur igitur hominem naturâ esse sociale animal.

Et

Et paulò post.

Quatuor autem rebus longè secus, quàm cætera animalia, homo indiget ad vitam tuendam, victu, vestitu, periculi propulsatione, & disciplina. quæ omnia ibidem eleganter idem persequutus est.

ITERVM DE CIVITATE.

CAP. IX.

Inter civitatem, & urbem hoc interest; Civitas dicuntur incolæ, urbs autem amplectitur ipsa ædificia. Itaque civitas incolit urbem; sed nonnunquam altera pro altera accipitur, ut Genesis 4. Cain ædificavit civitatem, vocavitque nomen eius Henoch.

Et poetarum princeps inquit.

Invadunt urbem somno, vinoque sepultam.

Vida lib. 1. de Reip. dignitate.

Chrysippus Stoicæ familiæ princeps dicebat, cætera animantia propter homines esse nata, homines verò ad congregationem, & ad societatem humani generis, suæ atque ipsorum conjunctionis causa procreatos affirmabat.

Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 2.

Cum domus, & vici consociationes per naturam ineant, efficitur ut civitas omnis natura consistat. Hæc enim est illarum finis: natura verò finis est; natura enim cuiusque rei in fine magis cernitur.

Idem post aliqua.

Homo natura est animal civile, id est propensus, ut vivat cum multis: estque omni ovis, omni que animante gregali civilius. quod hinc intelligi potest, quoniam natura, quæ nihil facit frustra, soli ex animalibus homini sermonem tribuit, ad utile, & inutile,

C 4

tile,

tile, iustum & iniustum declarandum, quarum rerum
communio domum civitatemque facit.

Idem paulo post.

5 Omnes igitur homines in hanc societatem natura
sunt propensi: quam qui primus constituit, is auctor
exitit maximorum honorum. ut enim homo perfe-
ctionem nactus, animantium est optimus: sic cum a
lege, iustitiaque discessit, omnium pessimus habetur.

Cicero lib. 2. Officiorum.

6 Hanc ob causam maximè, ut sua tuerentur, respu-
blicæ, civitatesque constitutæ sunt. Nam & si duce
natura congregabantur homines, tamen spe custodia
rerum suarum, urbium præsidia querebant.

Idem lib. 2. de Finibus.

7 Ratio à natura menti data facit hominem hominum
appetentem, cumque iis natura, & sermone, & usu
congruentem, ut profectus à charitate domesticorum,
ac suorum, currat longius, & se implicet primum
civium, deinde omnium mortalium societate: atque
ut ad Archytam scripsit Plato, non sibi solum natum
meminerit, sed patriæ, sed suis; ut per exigua pars ipsi
relinquatur.

Diuis Augustinus epistola 3.

8 Ex duobus illis præceptis divinis, Diliges dominum
Deum tuum, & proximum tuum; pendet laudabilis
reipublicæ salus: neque enim conditur, & custoditur
optima ciuitas, nisi fundamento, & vinculo fidei,
firmæque concordia, cum bonum commune diligi-
tur, quod summum, ac verissimum, Deus est, atque
in illo inuicem sincerissimè diligunt homines, cum
propter illum se diligant; cui quo animo diligant,
occultare non possunt.

Biesius

Biesius lib. 1. de Rep.

Populus dicitur hominum cætus iuris communi-
catione sociatus, in quo singuli communem felicitatem
sibi proponunt. Cum enim multis rebus homi-
nes egerent, quas seorsum quisque sibi comparare non
posset, in vnum locum multi conuenerunt, ut sibi
mutuum vitæ subsidium ferrent, & etiam imminen-
tes iniurias communibus viribus propulsarent.

Sanctus Clemens lib. 9. Recognitionum.

Necessaria est in hoc mûdo inæqualitas: non enim
potest esse rex, nisi habeat, quos regat: & quibus impe-
ret: neque potest esse dominus, nisi habeat, cui domine-
tur, & cetera similiter. Deus autem corpus homini fecit,
quod famem & sitim, & frigus reciperet, ut reficiendi
corporis causa compulsi homines, ad omnes artes vi-
ctus necessitate descenderent: cibi enim & potus, atque
indumenti gratia singulas quasque artes expetere do-
cemur.

Et post aliqua.

Vsu, & ministerio omnium penè omnes indigent, &
& ob hoc necesse est, alium operari, alium operanti
præbere mercedem, alium seruire, alium dominari,
alium regi, alium regere: sed hanc inæqualitatem,
quæ mortalium vitam necessariò subsequuta est, diui-
na providentia in occasionem iustitiæ, misericordiæ,
humanitariisque conuertit, ut dum hæc inter homines
aguntur, sit unicuique causa iustè agendi cum eo, cui
merces operis exoluenda est; & faciendi misericordiã
cum eo, qui debilitate fortassis, aut penuria interce-
dente, debitum soluere non potest.

Diuis Thomas lib. 1. de regimine principum, cap. 1.

Naturale est homini, ut sit animal sociale, & poli-
ticum in multitudine viuens, magis etiam, quàm alia

C 5

omnia

omnia animalia: quod quidem naturalis necessitas declarat. aliis enim animalibus natura ipsa præparauit cibum, tegumenta, defensionem: homini verò nihil eorum natura præparauit, sed omnium loco dedit ei rationem, qua ipse sibi pararet hæc omnia, sed ad ea tamen vnus homo non sufficit. Est igitur homini naturale, vt in societate multorum viuat.

Idem Diuus lib. 4. cap. 2. & 3.

13. Necessitatem constituendæ ciuitatis fecit humana indigentia, victus, tegumentorum, defensionis, curationis, adiutorij, & plurimum commoditatum, quæ ex communi cohabitatione proueniunt: nec solum ex parte corporis, sed etiam ex parte animæ necessaria est ciuitatis congregatio. Nam virtutes morales, quæ ad alterum ordinantur, requirunt multitudinem hominum, ex quibus constituitur ciuitas. Est igitur ciuitas hominibus necessaria, & secundum naturam, vt ibidem luculenter beatus Thomas docet.

Nemesius de natura hominis cap. 7.

14. Propter artes, & scientias, & utilitates, quæ ab his manant, indigemus alter alterius opera; & idcirco vnum in locum multi conuenimus, & ad vitæ usus res inter nos rationesque contrahimus. quem conuentum, & coniunctionem ædium, ciuitatem vocamus, vt è propinquo; non longè mutua commoda caperentur. natura enim animal congregabile, & ciuile homo est factus: nam in nemine vno ad omnia satis præsidij est. Itaque perspicuum est, ciuitates propter commercia, & disciplinas esse constitutas.

Diuus August. in Psalmum septimum.

15. Ciuitates destruxisti: ciuitates autem istæ sunt, in quibus diabolus regnat: vbi dolosa, & fraudulenta consilia

consilia tanquam curiæ locum obtinent: cui principatui quasi satellites, & ministri adsunt officia quorumcunque membrorum: oculi ad curiositatem, aures ad lasciuiam, vel si quid est aliud, quod in malam partem libèter auditur: manus ad rapinam, vel quodlibet aliud facinus, aut flagitium, & membra cætera, in hunc modum tyrannico principatui, id est peruersis consiliis militantiæ, huius ciuitatis quasi plebs est, omnes delicatæ affectiones, & turbulenti motus animi, quondianas seditiones in homine agitantes: ergo vbi rex, vbi curia, vbi ministri, vbi plebs inuenitur, ciuitas est. nec enim talia essent in malis ciuitatibus, nisi prius essent in singulis hominibus, qui sunt tanquam elementa, & semina ciuitatum.

DE CIVITATIS PROBITATE.

CAP. X.

Proverb. 14.

Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 6.

Non modò viuendi gratia in ciuilem societatem conuenerunt homines, sed magis vt rectè viueret. Proinde ciuitas, quæ verè non nomine tenus appellatur, hæc de virtute in primis debet esse sollicita. Ciuitas enim est rectè viuendi communio, domibus, atque generibus perfectæ & copiosæ vitæ gratia constituta: cuius finis est, rectè, beatèque viuere; nec enim vt simul homines viuant, sed vt honestis actionibus fungantur, ciuitas est constituta. Itaque quo plus quique in hanc societatem conferunt, hoc sunt ciuitatis magis participes, quam cæteri; quamuis genere, vel diuitiis

tis illi superiores sint: Nam virtute civili ab his superantur.

3 Hominum cœtus sine utilitatum communicatione sociari non possunt. sed in primis oportet eas utilitates ad iustitiam, non secus atque ad Lydiam lapidem probari: nihil enim est utile, quod idem non sit iustum. Nam sola iustitia facit, ut iustæ utilitati in republica sit locus: sine qua omnes utilitates turpes sunt, & iniquæ: quandoquidem vna iustitia vniuersæ reipublicæ basis est, & fundamentum.

Polybius lib. 6.

4 Ego cuiusvis reipublicæ duos arbitror esse principia: propter quæ tam potentiam, quam statum illius, aut optabilem, aut detestabilem fieri contingat. Hæc autem sunt mores, ac leges. optabilis ac selectus reip. status est, quo & priuata mortalium vita sancta, & integra; & publici ciuitatum mores placidi, ac iusti redduntur. Detestabilis verò, & fugiendus, quo contrarium efficitur.

Plautus in Persa.

5 Quid est, quod vidisti, ut munitum muro tibi visum est oppidum?

Si incolæ bene morati, pulchrè munitum arbitror.

Perfidia, & peculatus ex vrbe, & auaritia si exulant.

Quarta inuidia: quinta ambitio; sexta obrectatio.

Septimum periurium: euge, octaua, indulgentia.

Nona iniuria: decima, quod pessimè adgressu scelus.

Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus seruandis parum est.

Diuus August. lib. 1. de ciuitate Dei, cap. 33.

6 Non censebat Scipio felicem esse rempublicam stantibus mœnibus, ruentibus moribus.

Idem

Idem Diuus Epistola 52.

Non enim aliunde beata ciuitas, aliunde beatus homo: cum aliud ciuitas non sit, quam concursus hominum multitudo.

Chrysost. de verbis Isaia, Vidi Dominum,

homil. 4.

Hæc ciuitatis nostræ laus est, non quod fenatum habet, non quod cōsules numerare possumus, neque quod statuas complures, neque quod mercium copiam, neque quod situm habet commodum: sed quod populum habet studiosum audiendi verbum Dei. siquidem ciuitas non ab ædificiis, sed ab inhabitantibus admiranda redditur: nec ciuitatem prædicemus, quæ moribus dissoluta, dirutaque est. Quid mihi naras ædificiorum structuras, quid columnas? hæc vnâ cum præsentī vita diruuntur: ecclesiam ingreditor, ut ciuitatis videas claritudinem: quod si mihi narres dignitates, & opum abundantiam, à foliis, non à fructibus arborem laudas.

Idem Diuus ad populum Antiochenum

homil. 17.

Ciuitatis dignitas non in eo consistit, quod metropolis sit, neque quod habeat ædificiorum magnitudinem, & ornatum; neque quod multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes; neque quod ante alias ciuitates prædicetur: sed inhabitantium virtus, & pietas, hæc & dignitas & ornatu, & tutela ciuitatis; ita ut si hoc desit, omnium sit vilissima, licet infinitum ab Imperatore consequatur honorè: mihi quidem ciuitas non habens pios ciues, omni villa vilior est, & quacunque spelunca ignobilior.

D E

1 De agricolis, fabris, architectis, & figulis loquens, inquit, Vnusquisque in arte sua sapiens est: & sine his omnibus non ædificabitur ciuitas.

Plato 2. de Rep.

2 Ciuitatem facit indigentia nostra; prima verò & maxima indigentia, præparatio victus, vt & simus; & viuamus: habitationis, secunda: tertia, vestitus, & huiusmodi. opus est igitur agricolis, mercatoribus, artificibus, militibus, aliisque multis.

Aristoteles 7. Polit. cap. 8.

3 Ciuitatis partes, sine quibus ciuitas non consistit, hæ sunt: Primum alimentum, quod agricolæ, patorumque afferunt. Deinde artes, & instrumenta artificum. Vita enim multis instrumentis eger. Tertio loco arma desiderantur. Præterea pecuniarum copia quædam ad vsus, & ciuiles, & militares desideratur. Quinta est, sed cunctis præferenda, rerum diuinarum procuratio, quod Sacerdotium nominatur. Sextum, iudicium de commodis, & iustis inter ipsos: quæ res est omnium maximè necessaria. Non igitur ciuitas sine his constare potest, à quibus hæc opera præstantur, hoc est sine agricolis, pastoribusque, opificibus, militibus, sacerdotibus, atque iudicibus.

Plutarchus in politicis.

4 Ciuitatibus autem illa sunt bona optanda maximè, pax, libertas, feracitas, cum agrorum, tum verò hominum: postremo concordia.

Sanctus Chrysof. de fide Anna, homil. 5.

5 Paupertate sublata, vitæ totius constitutio tolleretur,

retur, & omnis viuendi ratio perturbaretur. Nam neque nauta erit, neque gubernator, non agricola, non cæmentarius, non textor, non furor, non materiarius, non ærarius, non coriarius, pistoreve, nec alius vllus opifex: quibus si nobis carendum sit, omnia pessum ibunt. nunc enim quasi magistra quædam optima, necessitas paupertatis, singulos ad opera vel inuitos perurget. quòd si omnes essent diuites, omnes etiam in otio viuerent, atque ita omnia corrumpentur, & nihil non periret.

Idem Sanctus in priorem epistolam ad Cor. sermone 34.

Ipsa necessitas nobis inuitis pauperes vocat, pauperes inducit. vnde liquet, constare sine pauperibus ciuitatem non posse. Si pergat enim neminem horum ad se recipere quenquam, iam deinde ne ciuitas quidem, sed cinis erit.

Beatus August. lib. de spiritu, & anima, cap. 37.

Nobilis creatura est anima: Ciuitas namque Dei est, de qua tam gloriosa dicta sunt, quòd ad imaginem & similitudinem Dei facta est. Hæc ciuitas Hierusalem meritò appellanda est, quia ad fruendum visione illius summæ pacis, quæ fecit vtraque vnum, creata est. Mens eius paradysus est, in qua cum cælestia meditat, quasi in paradiso voluptatis delectatur. Domus etiam summi patrisfamilias est anima, per vnitatem morum, sponsa Christi: per dilectionem, templum Spiritus sancti: per sanctificationem, ciuitas Regis æterni, per pacem & concordiam ciuium.

Et statim.

Et quia nulla est ciuitas absque populo, disposuit in ea conditor noster populum triplicis gradus, id est sapientes ad consulendum, milites ad propugnandum, artifices

artifices ad ministrandum. Ciues huius ciuitatis, sunt naturales, & ingeniti animæ vigores, tanquam indigenæ: quorum distincti sunt gradus, quia alij superiores, alij inferiores, alij medij. Superiores quidem sunt intellectuales sensus, medij rationales, infimi animales, quorum differentia hæc est: Animalis siue sensualis appetit sensibilia, siue visibilia. Rationalis discernit, & discretionis oculo aspernatur ea. Intellectualis pertrahit ad diuina. Intellectuales igitur sensus sunt tanquam animæ consiliarij; dicentes ei, Deum time, & mandata eius obserua: propter hoc enim est omnis homo. Rationales sunt tanquam milites, qui hostes concupiscentiarum impugnant per arma iustitiæ. Animales seu sensuales sunt, tanquam rustici, & artifices, qui corporalibus rudimentis insistent, & corpori necessaria ministrant.

**MEDICOS ESSE CIVITATI
NECESSARIOS. CAP. XII.**

Ecclesiastici 38.

1 Honora medicum propter necessitatem. Etenim illum creauit altissimus. Da locum medico, etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria. Curans mitigabit dolorē, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vinctiones conficiet sanitatis. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam.

Eodem lib. cap. 30.

2 Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quam diues imbecillis. Melius est corpus validum, quam census immensus: non est census super census salutis corporis.

Ex

Ex Græcis poetis.

Non est sanitate melius quæquam in vita. 3

Sanitas, & mens, bona vitæ duo sunt. 4

Basilii Magni Eustathio medico, epistola 80.

Mihi sanè videtur, is qui vniuersis vitæ studiis vestram scientiam præposuit, decens iudicium affecturus esse; siquidem preciosissima omnium res vita auerlanda est, & dolorosa, si non cum sanitate hanc habere contingat. Sanitatis autem choragus, & princeps est vestra ars.

Hippocrates lib. de arte.

Medicina est, morbos ab ægris in totum tollere, & morborum vehementes impetus obtundere.

Idem lib. de veteri medicina.

Ipse necessitas homines cogit medicinam inquirere, ac inuenire. 7

Cornelius Celsus in exordio sui operis.

Vt alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem ægris medicina promittit. 8

Basilii Magni quæst. 55.

Quemadmodum singulæ artes in auxilium nobis ad naturæ debilitatem à Deo donatæ sunt, velut agricultura, textoria, & ædificatoria: sic etiam medicina. Nam cum corpus nostrum affectibus expositum, variis detrimentis affligatur, ars medica, à gubernante totam vitam nostram Deo, concessa est.

Diuus Hieronymus epistola 103.

Taceo de medicis, quorum scientia mortalibus vtilissima est. 10

Galenus lib. 1. de sanitate tuenda, cap. 7.

Sicuti enim si impatibile nobis, nec vlli affectioni innoxium corpus esset, nullam desideraret artem,

D quæ

quæ eius tutelæ præffet: ita nunc, cum numerosissimis affectibus expositum sit, certam sibi deposcit artem, quæ & omnia eius incommoda perspicere, & ipsum ab iis tueri possit.

Idem eodem lib. cap. 4.

- 12 Si corpus nostrum impatibile, omnisque affectio- nis expers esset, sicut adamas, aut quiduis id genus, minimè artem ullam requireret, quæ ei tuendo præfideret: sed quoniam duplices corruptionis causas, alteras internas, & à se, alteras extrinsecus incidentes habet, necesse est, curam, prouidentiamque non paruum desideret.

Cicero lib. 2. Officior.

- 13 Valetudo sustentatur notitia sui corporis, & obseruatione earum rerum, quæ aut prodesse solent, aut obesse: & continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi causa; & prætermittendis voluptatibus. Postremò arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.

Plato in Charmide.

- 14 Quemadmodum oculos sine capite curare non decet, nec sine reliquo corpore caput; ita neque sine anima corpus: omnia namque vel bona, vel mala ab anima in corpus, & hominem totum manant. Illam igitur primùm, & maximè curare oportet, si modò caput, & vniuersum corpus bene valere debeat.

Diuus Chrysost. in Euang. Ioan. hom. 37.

- 15 Res profectò grauis est peccatum, grauis animi fordes, vt nonnunquam vi, & exuperantia sua, corpora quoque inficiat, & ex peccatis morbi generentur, sed cum grauiter ægrotante anima, nullo dolore afficiamur, paruo corporis morbo summa diligentia medici-

medicinam perquiramus; ideo Deus ob animi peccatum corpus flagellat, vt deterioris partis supplicio, melior ad quærendum remedium conuertatur.

Theophylactus in Marcum, cap. 2.

Difficiliores morbi ex peccatis oriri solent. 16

Innocentius tertius in Concilio generali.

Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino, languido, quem sanauerat: Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: præfenti decreto statuimus, & districtè præcipimus medicis corporum, vt cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, vt medicos aduocent animarum, vt postquam fuerit infirmo de spiritali salute prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, & cetera, quæ continentur in cap. cum infirmitas, de penitentis, & remissionibus.

Ecclesiastici 38.

Fili in tua infirmitate ne despicias teipsum, sed ora Deum, & ipse curabit te: à Deo enim est omnis medela. 18

Deutero. 31.

Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo; & non est, qui de manu mea possit eruere. 19

Sapientia 16.

Etenim neque verba, neque malagma sanabit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. tu es Domine; qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. 20

Basilii Magni questione 55.

In medicorum manibus sanitatis sue spem habere, 21

D 2 bestiale

bestiale est: id quod aliquos miseros facere videmus, qui etiam seruatores ipsos appellare non recusant; & omnino ab utilitate medicinæ diffugere, contentiosum est. neque igitur fugienda est omnino ars, neque in ipsa omnes spes ponere consentaneum est.

Hierocles in versus Pythagora.

22 Vir sapiens curabit primùm animam, deinde corporis salutem non negliget, illud nutriens ad ipsius animæ necessitatem, ut in ipsius exercitiis sine impedimento obtemperet, & obediat.

Diuis Hieronym. in Isaiam, cap. 26.

23 Nisi Dominus languorem curauerit, in vanum laborant medici, qui cupiunt sanare languentes. nisi Dominus custodierit sanitatem, in vanum custodiunt, qui etiam præcepta custodiendæ salutis propriis edunt libris. Sempërque dicendum est, non solum in corporis, sed etiam in animæ sanitate, Benedic anima mea Domino, qui sanat omnes languores tuos.

DE CIVE: CAP. XIII.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 1.

1 Cum ciuitas sit ciuium multitudo, oportet haud dubiè, ut primùm omnium de ciue differamus: qui cum alius sit in alia reipublicæ forma, tamen ciues in vniuersum, iudicandi, & deliberandi facultate censentur. Item cui deliberandi, & iudicandi in quaque ciuitate facultas adest, huc ciuem eius esse definimus, & ciuitatem, talium hominum multitudinem, cui copia suppetit earum rerum, quæ pertinet ad vitam degendam. Ciues igitur non sunt, quibus magistratus, & officia publica ciuitatis non communicantur.

Hippoda-

Hippodamus apud Stobæum sermone de Rep.

Ciuem qui totius reipublicæ pars est; non nihil ex ea honoris, aut præmij accipere decet, sed mirimè indulgendum est vulgo; quippe quod audax ut agedo, atque præceps existat.

Cicero in Vatinius.

Ciuis est, qui patriam suam diligit, ac bonos omnes, saluos, incolumésque desiderat.

Vlpianus ad Municipales.

Propriè quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in ciuitatem, ut munera nobiscum facerent: sed nunc abusiue municipes dicimus cuiuscunque ciuitatis ciues.

DE VIRTUTE CIVIS.

CAP. XIII.

Lib. 2. Machabeorum, cap. vlt.

Iudas per omnia corpore, & animo mori pro ciuibus paratus erat.

Plato lib. 7. de Legibus.

Non est præstantis virtute ciuis perfecta laus, qua dicitur, eum bonum esse ciuem, qui legibus quam optimè ministravit, & quam maximè paruit: sed perfectior illa est, eum esse talem, qui legumlatoris, leges ferentis, & laudantis, vituperantisque scriptis omnino per totam vitam paruit.

Ex Aristotele lib. 3. Polit. cap. 3.

Non est eadem probi ciuis, & boni viri virtus: ciuis enim virtus ad rempublicam accommodatur, viri autem boni virtus latius patet. Perspicuū est enim, probum ciuem esse posse quenquam, qui non sit virtutē consecutus, qua vir bonus censerisoleat. Bonus igitur

D 3 ciuis

ciuis scire, ac posse debet, tum imperata facere, tum etiam imperare; virtusque ciuis est, imperium liberorum nosse in vtranque partem, id est, parere scire, ac imperare. Ciuile autem imperium definitur, quod parendo discitur ab eo, qui debet imperare; ac rectè quidem fieri posse negant, vt bene quis imperet, qui non fuerit imperio subiectus.

Ibidem Diuus Thomas lectione 3.

4 Opus commune ciuium est salus communitatis, quæ consistit in ordine politia: vnde patet, quod virtus ciuis, in quantum est ciuis, consideratur in ordine ad politiam, vt scilicet, ille sit bonus ciuis, qui bene operatur ad conseruationem politia.

Idem Aristoteles lib. 4. Polit. cap. 7.

5 In sola optimatum republica idem est, vir bonus, & bonus ciuis. Nam qui in aliis rebus publicis boni nominantur, hi relati ad suam rempublicam tali nomine censentur.

Xenophon de Rep. Lacedæmoniorum.

6 In aliis vrbibus potentiores neque volunt videri quidem magistratus ipsos pertimescere, quin illiberale id esse ducunt: principes verò Spartæ magistratibus parent, & humiles esse, currendòq; potius, quàm incedendo, cum vocentur, obedire gloriosum censent: facilè futurum existimantes, vt & alij sequantur, siquidem ipsi vehementer obtemperando principes fuerint. Consentaneū verò est, hos etiam ipsos Ephorum potestatem constituisse, quoniam intelligerent, obedire maximum esse bonum, tum in republica, tum & militia, & domi.

Idem de laudibus Agesilai.

7 Vbi homines Deos venerentur, bellicas res exercent,

ceant, principibus obtemperent, qui non hic conueniant affatim omnia bene sperare.

Plutarchus in politicis.

Theopompus Lacedæmoniorū rex, affirmāti cuiusdam, propterea Spartam saluam, & incolumem esse, quòd regibus vteretur imperandi gratias: Immo inquit, & ciuibus, & populo regibus obsequēte. quamquam re vera ex altero alterum fit, atque vtrumque immutatim se continet.

Et paulò post.

In gubernanda republica magistratum idcirco à diuite quopiam, & potente contemni, & parui fieri, quòd priuatis non valet opibus, etiam si rerum angustia, & difficultate laborare videatur, indignum certè, & vehementer absurdum est.

Idem de antiquis Lacedæmoniorum institutis.

Hæc verò illis disciplina erat: bene magistratibus parere, laborem tolerare, ac pugnando, vel vincere, vel mori.

Aristides oratione in Romam.

Barbari violentum exercebant imperium, & vicissim alios odio habentes, aliis erant odiosi: hæc autem inde fiebant, quoniam neque illi imperare, nec hi parere nouerant: nec enim potest quisquam rectè parere, cum principes malè imperant.

Nazianzenus oratione 16.

Vos oues nolite pascere pastores, neque super terminos eorum eleuimini: satis enim vobis est, si rectè pascimini: Nolite iudicare iudices, nec legem feratis legislatoribus. Deus enim nequaquam Deus est seditionis, & confusionis; sed ordinis, & pacis. & paulò post: Nemo qui sine periculo subesse potest, impe-

D 4 rare

rare desideret: nec subiectionis lex solvatur, qua tam cælestia, quam terrestria sunt colligata.

Ionianus Pontanus lib. 5. de Obedientia.

13 Boni civis prima laus est, parere rectoribus: contra nihil eo civis tetrius, nihil perniciosius, qui superbiam, proteritatemque suam illis opponat: hinc seditionum semina, labesque rerum publicarum. ex magistratum enim contemptu, legum oritur, despicatio: quæ res civilem omnem tranquillitatem perturbat, labefactatque publicam libertatem.

Chrysof. hom. Quod nemo læditur nisi à semetipso.

14 Quæ est virtus animi? rectè sentire de Deo, & rectè inter homines agere.

Ferus in Ecclesiasten cap. 7.

15 Si vis vivere in politia, oportet te multa dissimulare, & ferre, multa etiam ignorare: intueri teipsum, & videbis, quam sæpe etiam ipse iniustè facias. iustitiæ politicæ est, ferre aliorum defectus, ut sit mutua tolerantia, alioqui nunquã simul vivere possumus.

Leo Magnus ser. 4. de ieiunio septimi mensis.

16 Obedientia mollit imperium, nec dura ibi necessitate feruntur, ubi diligitur, quod iubetur.

DE OFFICIO BONI CIVIS.

CAP. XV.

Galat. 6.

1 Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.

1. Corinth. 10.

2 Nemo quod suum est quarat, sed quod alterius.

Chrysof. lib. contra Gentiles.

3 Bonum virum oportet publica utilitate facta sua omnia

omnia metiri, & aliorum vitam emendatiorem reddere.

Idem lib. 3. aduersus vituperatores vitæ Monastica.

Hominem enim, non ut sibi ipsi tantum prodesset, 4 creavit Deus, sed ut multis.

Idem ad populum Antioch. hom. 34.

Si enim in secularibus sibi vivit nemo, verum & 5 artifex, & miles, & agricola, & mercator ad communem, & proximorum utilitatem omnes operantur: multo magis in spiritualibus oportet hoc facere: hoc enim est maxime vivere: qui namque sibi vivit soli, & omnes negligit; superfluous est, & nec homo, nec generis nostri.

Lactantius in Epitome, cap. 5.

Cum imbecillior sit hominum natura, quam cæ- 6 terarum animantium; affectum nobis Deus misericordiae dedit, ut omne præsidium vitæ nostræ in mutuis auxiliis poneremus; si enim facti ab vno Deo, & orti ab vno homine, consanguinitatis iure sociamur: omnem igitur hominem diligere debemus. ergo animal commune, atque consors esse debemus, ut nos inuicem præstandis, recipiendisque auxiliis muniamus. in multis enim casibus & incommodis fragilitas nostra subiecta est; spes tibi accidere posse, quod alteri accidit.

Aristoteles lib. 8. Polit. cap. 1.

Quisquis civium se, non suum, sed omnes civitates 7 esse putare debet. est enim unusquisque civitatis pars. Procuratio autem cuiusque partis procuracionem totius spectare debet lege naturæ.

Idem lib. 3. cap. 3.

Quemadmodum cunctis nautis navigationis fa- 8 lus proposita est, hanc enim expetit eorum quisque:

D 5 eadem

eadem ratione ciuibus omnibus est communitatis fa-
lus proposita: communitas autem est respublica, quo
fit, vt necessariò ciuis virtus ad rempublicam accom-
modetur.

Maximus Tyrius sermone 5.

- 9 Ciuitas res est composita penitus ex cooperanti-
bus ciuibus cunctis: quæ perinde ac corpus, cuius
necessitas multiplex est; multiplex obsequium requi-
rit, & nisi ab vniuersis simul partibus obsequium ac-
cipiat, salutem suam tueri minus potest.

Thucydides lib. 6. in oratione Nicia.

- 10 Equidem æstimo, æquè bonum ciuem esse, & il-
lum qui partem aliquam corporis, & qui possessionis
aliquid pro ciuitate amittere non dubitat: talis enim
præcipuè ciuitatis negotia per se ipsum instaurari vel-
let. *Vel sicut Valla interpretatur:* Existimo bonum ciuem
esse cùm eum, qui & corpori, & fortunis suis prospici-
cit, tum eum multò magis, qui vult sua opera rem-
publicam prosperam esse.

Cicero lib. 1. Offic.

- 11 Ciuem oportet æquo, & pari cum ciuibus iu-
re viuere, neque summissum & abiectum, neque sese
efferentem. tum in republica ea velle, quæ tranqui-
la, & honesta sint.

Thucydides lib. 2. in oratione Periclis.

- 12 Nos eum, qui nihil rationis cum republica habet,
non ciuem otiosum, sed inutilem arbitramur.

Plutarchus in Politicis.

- 13 Non decet priuatum ciuem, principum, & magi-
stratum gerentium res, & munus paulo curiosius dis-
quirere, & scrutari; & hoc nomine administratio-
nem, aliis ritè traditam, ad se conari transferre.

Simplicius

Simplicius in Enchiridion Epicteti, cap. 46.

Omnis vrbs tunc vtiliter sibi, ac iustè gubernatur, 14
vbi vnusquisque, qui in ea habitat, suum opus labo-
rans, non sit curiosus de aliis; sed faber, & aliorum
quilibet id genus, suum opus vtile vrbi præbeat.

Arrianus Nicomedensis lib. 2. Epicteti, cap. 10.

Quodnam est ciuis munus? nihil habere priuatim 15
dumtaxat vtile: de re nulla consilium capere tanquam
ab aliorum consortio separatum: sed perinde, ac si
manus, aut pes rationis esset compos, intelligeretque
naturæ suæ vsum, & commoditatem, nunquam secus
admotum se vel incitarent, vel aliud appeteret, quàm
quod ad salutem spectaret totius; etenim totum prin-
cipaliter est parte, & ciuitas ciue.

Beatus Aug. lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 16.

Quia igitur omnis domus initium siue particula 16
debet esse ciuitatis; omne autem initium ad aliquem
sui generis finem, & omnis pars, ad vniuersi, cuius
pars est, integritatem refertur: satis apparet esse con-
sequens, vt ad pacem ciuicam pax domestica referat-
tur, id est, vt ordinata imperandi, obediendique con-
cordia cohabitantium, referatur ad ordinatam impe-
randi, obediendique concordiam ciuium, vt ex lege
ciuitatis præcepta sumere patrem familiâs oporteat,
quibus domum suam sic regat, vt sit paci accommo-
data ciuitatis.

Chrysoft. ad populum Anti. hom. 12.

Maximè Christiano proprium est, non sua quæ- 17
rere, sed quæ sunt aliorum: itaque siue pecunias con-
greges, in alios expende; siue doctrinæ verba habeas,
ne

ne defodias, sed apponas indigentibus in mediū: siue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorū utilis fias.

Cicero lib. 4. de republica.

- 18 Homines priuati rerum domesticarū administratione debent esse contenti. Ego quidem in ea sententia semper fui, vt hanc priuatorū hominum de rebus publicis loquendi libertatem, putem sæpe maximarū calamitarū causam esse. Nam vt omittam reliqua mala, frequenter non tantum maleuolentiam (quæ tamen per se pessimū quippiam est) sed etiam seditionē ciuium excitat contra magistratus, & principes, quæ nihil periculosius, nihil in ciuitate deterius esse potest: & pulcherrimū ordinem corrumpit, dum quod alterius superioris officium est, inferioris conditionis homines sibi temerè cupiunt vendicare.

Euripides in Oreste.

- 19 Quando quis suauis sermone prauè sentiens ducit populum: ingens id ciuitati malum.
Qui verò sana mente vtilia dant consilia,
Hi quamuis non statim, postmodum tamen sunt vtilis reipublicæ, huc spectandum est præsidii perito.

Idem in Supplicibus.

- 20 Decorum ciuitatibus insigne est,
Pius labor: gratiaque fruitur perenni,
Qui ciuitatem suam honorat.

Diuus Prosper, auctore in eius vita Flaminio.

- 21 Nihil tam durum, ac tam laboriosum regenti est, quàm in peruersa hominum incidere ingenia: quæ quo longius à recti semita abierunt, hoc difficilius à facinoribus, & improbitate sua retrahuntur. Subditorum

torum virtutes, ac vitia, aut suauem, aut duram faciunt regentis administrationem.

Idem diuus in Psal. 124.

Sæpe in hoc seculo peccatores mundanam potentiam consequuntur, cum & ipsi sint iniqui, publicarū tamen legum sunt ministri: quorum potestas etiam à fidelibus honoranda est propter vtilitatem dispositæ disciplinæ: sed si in id prorumpat, vt iustos à veri Dei cultu conentur auertere, nulla eis obedientia, nulla est præbenda consensus. ita ergo, & à plebibus principes, & à seruis domini sunt ferendi, vt sub exercitatione tolerantia sustineantur temporalia, sperentur æterna: auget enim meritum virtutis, quidquid propositum non violat religionis.

DE

DE REPUBLICA
LIBER II.

QVID SIT RESPUBLICA,
CAP. I.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 1.

1 **R**ESPUBLICA Est ordo quidam urbem incolentium.

Idem lib. 4. cap. 1.

2 Respublica est ordo magistratuum in ciuitatibus.

Idem lib. 3. cap. 4.

3 Respublica est ordo ciuitatis, cum aliorum magistratuum, tum eius maximè, cui tradita est summa rerum omnium potestas, & arbitrium. est enim ubique ciuitatis summa potestas penes administrationè ciuilem: administratio verò ciuilis est respublica.

Basilus Magnus exaameron homilia 8.

4 Politicè proprium est, ut ad vnum communem finem singulorum actiones sint destinatæ; velut in apibus videre est.

Besius lib. 1. de Rep.

5 Scimus rempublicam nihil aliud esse, quam inter multos homines communem quandam vitæ rationem, & ordinè: in quo totius tanquam corporis bene compositi, singularumq; partium felicitas spectatur.

Isocrates in Panathenico.

6 Dico ego, quamuis reipublicæ formam, animam esse ciuitatis, cuius ea vis est, quæ mentis est in corpore. Nam hæc est, quæ omnibus de rebus deliberet, & cum res secundas tueatur, tum effugiat aduersas: auctor, atque effectrix omnium bonorum, quæ ciuitatibus eueniunt.

Diuus

Diuus Gregorius epistola 96. lib. 4.

Ad hoc diuinæ dispensationis prouisio gradus diuersos, & ordines constituit esse distinctos, ut dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionè impenderent, vera concordia fieret ex diuersitate contextio, & rectè officiorum gereretur administratio singulorum. neq; enim vniuersitas alia poterat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eam differentia ordo seruaret. quia verò quæque creatura in vna eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit: quia dum sunt angeli, sunt archangeli, liquet, quòd non æquales sunt, sed in potestate, & ordine differunt vnus ab altero. Si ergo inter hos, qui sine peccato sunt, istam constat esse distinctionem; quis hominum abnuat, huic se dispositioni libenter submittere, cui nouit etiam angelos obedire? hinc etenim & pax, & charitas mutua se vice complectuntur, & manet firma concordia in alterna, & Deo placita dilectione sinceritas, atque hæc quidem efficit ordo magistratuum, & recta respublica.

DE ALIIS REIP. SIGNIFICATIONIBVS. CAP. II.

Non ordo tantum magistratuum respublica est, sed utilitatem communem & ciuitatem vniuersam, patriamque nostram, rempublicam appellamus.

Cicero pro Sestio.

Res communem utilitatem continentes, quas publicas appellamus. *Idem lib. 3. de Republica.*

Respublica res populi, cum bene, ac iustè geritur, siue ab vno rege, siue à paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo: cum enim iniustus est rex, quem tyrann-

tyrannum voco, aut iniusti optimates, quorum consensus factio est: aut iniustus ipse populus, cui nomen vilitatum nullum reperio, nisi ut etiam ipsum tyrannum appellem: non iam vitiosa, sed omnino nulla respublica est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam, factione capessat; nec ipse populus, iam populus est, si sit iniustus: quoniam non est multitudo iuris consensu, & utilitatis communionem sociata.

Ex diuo Aug. lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 21.

- 4 Cicero in libris de Republica, Rempublicam definit esse rem populi, populum esse cœtum multitudinis, iuris consensu, & utilitatis communionem sociatum. Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat: per hoc ostendens, geri sine iustitia non posse rempublicam; vbi enim iustitia non est, nec ius potest esse. Quocirca vbi non est vera iustitia, iuris consensu sociatus cœtus hominum non potest esse, & ideo nec populus; & si non populus, nec res populi, sed qualiscunque multitudinis, quæ populi nomine digna non est: ac per hoc si respublica res populi est, & populus non est, qui consensu non sociatus est iuris: non est autem ius, vbi nulla iustitia est, procul dubio colligitur, vbi iustitia non est, non esse rempublicam.

Idem diuus epistola 5.

- 5 Quid est respublica, nisi res populi? res ergo communis, res vtique ciuitatis. quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum reducta concordie?

Spartianus in Adriano.

- 6 Et in concione, & in senatu sæpe dixit, ita se rempublicam gesturum, ut sciret, populi rem esse, non propriam.

Biesius

Biesius lib. 1. de Rep.

Respublica quod populi rem, hoc est conditionem, 7 utilitatem, & statum contineat, sic appellata videtur.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

Scio variè à philosophis rempublicam definiri. 8 Plato siquidem dixit, esse vitam ciuitatis. eam Aristoteles apertius explicat inquiring, esse eorum, qui viuunt in ciuitate rectam quandam institutionem: alij verò aliis verbis idem ferè innuunt, dicentes, rempublicam esse rem populi: cum rem dicunt, summam ego intelligo, ut rei vniuersa vis, & genere, & proprietate quadam enucleatè declaretur.

Cicero lib. 2. de Legibus.

Respublica nomen vniuersæ ciuitatis est, pro qua 9 mori, & cui nos totos dedere, & in qua nostra omnia ponere, & quasi consecrare debemus.

Idem ad Plancum epist. famil.

Nihil ex rebus humanis præclarius, aut præstātius 10 est, quàm de republica bene mereri.

Idem Philip. 9.

His maiores nostri, qui ob rempublicam mortem 11 obierant, pro breui vita diuturnam memoriam reddiderunt.

Idem lib. 4. ad Herennium.

Vehementer iniquum est, cum pro amicis, & pa- 12 rentibus, & cæteris necessariis adire periculum velis, pro republica, in qua & hoc, & illud sanctissimum nomen patriæ continetur, nolle in discrimen venire.

Iustinianus lib. 1. Institut.

Qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per 13 gloriam viuere intelliguntur.

Idem in eodem.

Expedit reipublicæ, ne sua re quis malè utatur. 14

E Q V O T

QUOT SINT GENERA
RERVM PUBLICARVM.

CAP. III.

Danielis 3.

1 Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & iudices, duces, & tyranni, & optimates, qui erant in potestatibus cõstituti, & vniuersi principes regionũ.

Plato in lib. civili.

2 Tres sunt ciuiles gubernationes, vnius, paucorum, atque multorum. Singulis autem in duas diuisis, sex efficiamus. vnius principatum, in regnum, & tyrannidem distribuimus. Dominationem verò, quæ non multis competit, in speciem vnã, quæ laudanda est, optimatum scilicet, gubernationem: alteram, quæ vituperanda, paucorum potentiam. Popularis quoq; gubernatio duplex est. Vna quæ leges seruat, altera quæ transgreditur illas.

Arist. lib. 4. Polit. cap. 7.

3 Quatuor genera rerum publicarum memorantur; imperium vnius; paucorum potentia; status popularis: Græci Monarchiam, Oligarchiam, ac Democratiam dicunt: & quartum, status optimatũ, quæ Græcis est Aristocrata. quintum genus est, quæ cunctorum communi vocabulo, Respublica nominatur.

Hermogenes in compendio Rhetorices, cap. de Politis.

4 Politia est principatus, & consuetudo rerum, secundum quam viuere vnumquenque & conuersari decet. Politia autem propria tres sunt, quibus nonnulli tres alias adiiciunt. vt verò manifesta fiat nobis diuisio hæc: in principatu euenit, aut vnum, aut plures, aut omnes regnare; atque hos vel bonos vel malos. Quod si vnus princeps fuerit, & bonus, hic regnum

gnum constituet: si malus, atque vnus, item tyrannidem faciet. At si plures regnabunt, & boni, hi Aristocratiam facient; si mali, Oligarchiam: si verò dominetur omnes & boni, hi Democratiam: si omnes, & mali, hi Ochlocratiam facient.

Ex Polybio lib. 6.

Propter malitiam hominibus innatam fieri solent rerum publicarum mutationes. Nam cum rex tyrannus efficitur, optimates illo expulso rempublicã gerunt: cum verò hi transeunt ad paucorum potentiam, populus illis eiectis rempublicam administrat: sed cum populus seditionibus cuncta perturbat, & ex democratia in bestialem chirocratiam transit, rursus opus est, vt ad monarchiam redeant.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

Tria sunt rerum publicarũ genera. aut enim vnius tantum imperio res administrantur: aut paucorum potestate & arbitrio continentur: aut libero populi totius suffragio atque sententia decernuntur. sed cum genus hominum ad vitia procliue sit, & ad inferendam iniuriam natura propensum, facile quoduis horum genus ad iniquitatem delabitur. rex enim paulatim tyrannus efficitur: pauci principes potentia minimè ferenda ad amplificandas opes abutuntur: populus dum immodicam libertatem expetit, omnia furibundè peruertit. Sic igitur fit, vt cum vel vnus, vel pauci dominantur, vel cum plebs furit & insanit & omnia perturbat, Respublica illa nominari nõ possit.

Auerroes in libros Platonis de Rep. tractatu 3.

Huius quidem rei exemplar quoddam est Corinthei ciuitatis status, quæ cum quingentis annis a populo administrata fuerit, post hoc tempus per

quadraginta annos iam transmūtata est in tyrannidē.

Carolus Sigonius lib. 1. de antiquo iure ciuium

Romanorum, cap. 1.

8. Qui hactenus praecepta nobis de republica reliquerunt, ij ferè vniuersi in eo consentiunt, vt tres rectas esse respublicas statuunt, & tres contrà deprauatas: in bonis regem numerant, optimates, & populum: in vitiosis, tyrannum, paucorum factionem, & plebem. bonas autem vocant respublicas, cùm siue à rege, siue ab optimatibus, siue à populo, bene, ac iustè, atque ad totius ciuitatis vtilitatem accommodarè res ipsa publica administratur. Pravas verò, in quibus siue tyranni, siue paucorum, siue plebis libidine, atque vtilitate omnia diriguntur. Itaque rectè tyrannum regi: paucorum factionem optimatibus: plebem populo opposuerunt: quòd vnus vni, pauci paucis, multi multis ita aduersantur, vt ipsi inter se, non de re leuissima, sed de totius reipublicæ sine dissentiant.

Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 10.

9. Harum rerum publicarum similitudines, & quasi exempla sumere etiam in familiis quispiam posset. Patris enim erga filios societas figuram regni habet, quippe cùm patri cura filiorum sit. vnde etiam Homerus Iouem patrem appellat, eo quòd regnum, paternum imperium esse debet. at apud Persas patris imperium tyrannicū est, quia vt seruis, filiis suis vtuntur. viri, & vxoris optimatum potestati simile apparet: pro dignitate siquidem imperat vir, ac circa ea, quæ virum decet: quæ autem vxori conueniunt, ea illi attribuit: Nam si omnium dominus esse velit vir, in pauci potentiam delabitur: prater dignitatem enim

id facit, & non quatenus est melior. interdum verò vxores quoque quibus patrimonium omne obtigit, dominantur: vnde non ex virtute, sed ex diuitiis, & potentia, sicut in paucorum potentatu, imperia fiunt. Fratrum autem societas censipotentiæ similis est: Sūt enim æquales, nisi quatenus ætatibus distant: vnde si longè ætatibus diuersi sint, fraterna inter ipsos amicitia non amplius est: populi potentia autem in iis maximè cohabitationibus apparet, quæ sine domino sunt; ibi enim æquales omnes: in iis item vbi cùm princeps in bellis sit, potestatem agēdi quidquid debet vnusquisque habet.

Chrysof. in Psalmum 3.

Cuilibet viro regnum est, concors coniunx, & non sic, rex purpuram, & diadema, vt vir vxorem diligit.

Idem Diuus in priorem epistolam ad Cor. sermone 34.

Deus virum imperare, vxorem subesse iussit: esse enim inter æquales æmulationem nouit: itaque noluit esse democratiam, sed regnum: & quod videre in exercitu licet, id in omni bene custodita domo deprehendas. regis locum obtinet maritus, vxor primatus & ducis: imperium proximum liberi tenent, infimum familiares: Nam & hi in subiectos similiter imperium tenent, & vnusquispiā cæteris omnibus præfectus, heri vicem tenet, sed vt seruus. atque aliud est rursus imperium inter ipsos, vxorum, & liberorum dico: in ipsis denique liberis aliud prout cuiusque ætas, aut natura tulit. Nam ne in pueris quidē æquale imperium fœmina tenet.

Patritius lib. 1. de Regno, tit. 3.

Harum trium administrationum similitudines in 12

E 3 domibus

domibus nostris inueniri, Plato, & Aristoteles auctores sunt. Nam patris indulgentia in liberos instar habet regiae pietatis in populos, quos gubernat, ut enim pater pro filiis anxius est, semperque prouidet, ne quid eis desit ad bene, beatèque viuendum: vnus pro omnibus excubat, ratione cum illis agit, magisque vult eos emendare, quàm punire: sic etiam rex erga subiectos se habet, regnum enim paternum imperium est. viri autem & vxoris in re familiari societas, similis est gubernationi optimatum, qui pari officio, hi ciuibus, illi filiis consulunt: & quemadmodum in his, quæ foris sunt, vir pro dignitate præest, in his autem, quæ domi, vxor: Sic quoque inter optimates robustiores, prudentioresque militiæ, ac reipublicæ; infirmiores, & qui minus ingenio valent, rei domesticæ student. Fratrum autem societas in populari gubernatione cernitur; pares enim inter se sunt, nisi quantum ætate, aut virtute differunt: sic etiam similis fit transgressio. Nam cum pater filios negligit, sibi ipsi studet, sibi que ipsi viuit, tunc in liberos, familiamque suam tyrannus est. Similiter vir, & vxor si inter se diffident, familiamque perosi, liberos deserunt, aut sæuissimè dominantur: similes fiunt paucorum potentia. Fratres verò, qui negligentius rem familiarem agunt, vel discordes inter se rei domesticæ imperium minoribus aut seruis permittunt, similes sunt popularibus illis, qui habenas reipublicæ plebi tradunt, eidemque se & alios subiiciunt.

13 Vt quidam rectè inquit: cum Deus animum in homine tres partes occupare, triaque loca voluerit, quasi rerum publicarum formas in homine exprimere volens, regem ipsum, rationem scilicet, custodem reipu-

reipublicæ, consultoremque in capite tanquam in arce constituit, ipsique soli principatum assignauit. Secundam animi partem, acrem illam, & ingentè, mandatisque conficiendis aptam, ipsi adhærentè pectori, nec longè à capite remotam, cum ipso principe coniunxit, & consociauit, quæ à Platone affectuum sedes dicitur. Tertiam, quæ iners quædam multitudo dici potest, petulans plerunque, proterua, procax, cupiditatibus luxurians, voluptatibus referta, subter præcordiis locatam, ab illis duabus disclusit: in his animi partibus tanquam aliqua imagine, tres istè rerum publicarum formæ perspici possunt; regis, optimatum, & populi.

Diuis Aug. de tempore, sermone 84.

Anima nostra, aut à legitimo rege regitur, aut à 14 tyranno vastatur: si enim Deo adiuuante piè viuimus, à Christo rege gubernamur, & ipse regit nos: si verò anima nostra cœperit declinare à Deo, & turpia, & inhonesta sectari, tunc prudentia carnis repudiato rege Christo, subdit infelicia colla tyranno: & corporis voluptatibus & vitiorum ducibus ad consilium conuocatis, initur deliberatio aduersus cogitationes sanctas, & acceptabiles Deo. &c.

QUALIA SINT RERUM
PUBLICARVM GENERA.

CAP. IIII.

Plato libro Ciuili.

Vnius dominatio bonis coniuncta legibus, omnium 1 quidem est optima: legum experta, dura est, & subiectis omnium onerosissima. Gubernationem verò, in qua non multi imperitant, mediam celsere debemus:

E 4 Quem-

Quemadmodum quod paucum est, inter vnum, multave medium obtinet. Cæterum multorum administrationem per omnia debile, vt pote, quæ ad alias comparata, nihil magnificum, siue bonum, siue malum, efficere possit: propterea quod magistratus ad exigua redacti sunt, in multosque diuisi.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 5.

2. Respublica, quæ ad communem vtilitatē spectat, si præest vnus, Regnum appellari consuevit: si pauci, optimatum imperium: vel quia optimi quique imperant, vel quoniam ad id quod ciuitati optimum est, imperium refertur. Cùm verò multitudo, imperium ad bonum publicum dirigēs, rem communem administrat: communi omnium vocabulo Respublica dicitur. Aberrationes autem sunt tyrānis à regno: paucorum potentia ab optimatum administratione, popularis gubernatio à re publica. Nam tyrannis vnus principatus est, qui principis commoditate dirigitur, paucorum potentia, locupletum vtilitatem, popularis gubernatio, tenuiorum commodum sequitur: nec harum aliqua publicam commoditatem confectatur.

Hermogenes eodem cap. de Politis.

3. Democratia in hoc differt ab ochlocratia, quod in democratia iuxta leges, & decreta principatus, & ordines omnes sunt in ciuitate: in ochlocratia verò est lex incomposita, inordinata; & absque vlllo principatu, suo arbitrato, tota plebecula viuit. Sed & oligarchia differt ab aristocratia, quia in aristocratia optimates dominantur, & reipublicæ consulunt: in oligarchia potentiores, & opulentiores intendunt propriis commodis, non vtilitatibus reipublicæ. Regnum

gnum item differt à tyrānide, quia rex paret legibus, & publicis commodis inseruit: tyrannus verò non paret legibus, & sibi ipsi prodesse tantum quærit.

Thomas Morus in epigrammatu.

Legitimus immanissimis
Rex hoc tyrannis interest,
Seruos tyrannus, quos regit,
Rex liberos putat suos.

4

Idem paulò post.

Quid bonus est princeps? canis est custos gregis, inde
Qui fugat ore lupos; quid malus? ipse lupo.

Dion Cassius lib. 44.

Populi in republica principatus nomen speciosum
habet, videturque ex legum æqualitate non plus vni,
quàm alteri tribuere: verum ipsa re comprobatur,
nihil ei cum sua appellatione conuenire.

Idem lib. 47.

Fieri non potest, vt in eo reipublicæ statu, vbi pe-
nes populum est imperium, si is ad summum fasti-
gium erectus fuerit, animis suis ciues moderari que-
ant: sed bella contra se inuicem ineuntes, aut in ser-
uitutem omnino redigentur, aut penitus excidentur.

Sanctus August. lib. 2. de ciuitate Dei, cap. 22.

Scipio apud Ciceronem lib. 3. de Republica col-
ligit, tunc esse rempublicam, id est, rem populi, cùm
bene, ac iustè geritur, siue ab vno rege, siue à paucis
optimatibus, siue ab vniuerso populo. cùm verò ini-
ustus est rex, quem Tyrannum more Græcorum ap-
pellat, aut iniusti optimates; quorum consensum di-
xit esse factionem: aut iniustus ipse populus: non iam
vitiolam, sed omnino nullam esse rempublicam.
quoniam non esset res populi, cùm tyrannus eam

E 5 factiove

factiōue capefferet: nec ipse populus, iam populus esset, si esset iniustus: quoniam non esset multitudo iuris consensu, & vtilitatis communione sociata.

Diuus Thomas lib. 1. de regimine principum, cap. 1.

- 9 In his quæ ordinantur ad finem, quædam rectè se habent: quædam verò aberrant. itaque in regimine multitudinis, & rectum, & non rectum inuenitur, rectè autem dirigitur vnumquodque, quando ad finem conuenientem deducitur: non rectè verò, quando ad finem non conuenientem. Cùm igitur hominum multitudo ad bonum commune ordinatur, tunc regimen est rectum, & iustum. si verò ad bonum priuatum regentis reipublicæ administratio dirigitur, erit regimen iniustum, & iniquum; idque siue ab vno, siue à paucis, siue à pluribus regatur publica res. etc.

Vida lib. 2. de reipublica dignitate.

- 10 Bene se habere ciuitatem, rectèque administrari dicimus, cùm non minus eorum qui subiecti sunt, quàm eorum, qui præsumt, vtilitas quæritur; imò maximè, & in primis populi commoda attendenda sunt. inde nihilominus sequitur etiam priuata regentium vtilitas, quæ semper coniuncta esse debet cum publica, nec sine ea saluis rebus existere potest.

Et post pauca:

- 11 Gubernatores reipublicæ præcipuè commodorum ciuium rationem ducunt, siue vnus, siue pauci, siue multi principatum tenent; neque enim vlla rectionis forma reipublicæ recta dici potest, nisi in qua illi, qui præsumt, publicæ vtilitati, communibusque ciuium commodis in primis student, volentibusque ideo imperant.

Et mox:

- 12 Cùm verò qui regunt, imperium ad suam, suorumque

rūmque domesticorum, ac propinquorum, amicorumve tantum vtilitatem dirigunt; ea rectionis forma multum abest ab optima gubernandi ratione; eamque veriùs tyrannidem, factionem, aut popularem licentiam nominamus.

QVÆ SIT RECTA RESPUBLICA, QVÆ DETERIOR, ET QVÆ OPTIMA. CAP. V.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 5.

Has rectas esse respublicas necesse est, in quibus vel vnus, vel multi rempublicam ad communem vtilitatem spectantes, gerunt: illas verò aberrationes, in quibus vnus, pauci, vel multitudo, imperio ad propriam vtilitatem abutitur.

Plat. lib. de regno.

Multorum administratio, legitimarum rerum omnium publicarum deterrima est, iniquarum optima. Quod si omnes intemperatæ sint, in populari præstet viuere: si temperatæ omnes, minimè omnium in ista viuendum.

Pausanias lib. 4.

Nullam nouimus popularem rempublicam magnos habere progressus, Atheniensibus exceptis: qui & præcipua quadam prudentia cæteris præstiterunt, & suas religiosissimè omnium leges obseruarunt.

Philo lib. de decalogo ait,

Paucorum, & vulgi dominatum esse peruersas constitutiones reipublicæ, inductas à malis, & astutis hominibus, per ambitionem, auaritiàmque libertati ciuium insidiantibus.

Aristoteles

Aristoteles lib. 4. Polit. cap. 2.

5 Respublica, quæ ab vnius gubernatione, & prima, & maximè diuina degenerat, hanc esse deterrimam necesse est. Proximè ab hac paucorum dominatus, quippe, à quo longissimè optimatum administratio adest. status verò popularis ex omnibus maximè mediocritatem tenet: quod quidam etiam prodidit ante nos, sed aliorum spectans, quoniam ille sic statuit: omnium bonarum rerum publicarum pessimum esse statum popularem; improbarum optimum. Nos autem has prorsus velut peccata quædam esse dicimus rerum publicarum. Itaque paucorum potentiam alià alia meliorem esse non rectè dicitur, sed minus malam: id est ex prauis rebus publicis non licet aliam alia meliorem esse dicere, sed minus malam. Nam si alia melior est alia, efficitur vt vtraque sit bona, sed non æquè bona.

Chrysof. in cap. 3. Isaiæ.

6 Instituiam adolescentulos principes eorum, id est stolidos, & amentes. hoc malum utiq; est molestius, ac toleratu atrocius, publica licentia, quæ oriri solet per vacationem magistratus: qui enim non habet principem præ duce viæ, à quo regatur priuatus est: qui verò malignum sortitus est, ac reprobæ vitæ, habet à quo protrudatur in præcipitia vitiorum.

Diuus Thomas lib. 1. de regimine principum, cap. 3.

7 Sicut regimen regis est optimum, ita regimen tyranni est pessimum. Nam si optimo opponitur pessimum, necesse est, quòd tyrannis sit pessimū. ad hæc, virtus vnita efficacior est, quàm diuisa, tam ad efficiendum malum quàm bonum. Præterea quanto magis receditur à bono communi, tanto peior est gubernatio.

no. magis autem recedit tyrannis, quàm paucorum potentia; & hæc quàm plebis. Nam tyrannis quærit bonum vnius, paucorum potentia, aliquorum; plebis autem, plurimum commodum. Postremò bonum ex vna causa fortius est, malum autem ex pluribus causis est debilius. expedit igitur vt regimen iustum sit vnius tantum, vt sit fortius. quòd si fuerit iniustum, expedit magis vt sit multorum; quia debilius erit, & se inuicem impediunt.

Idem diuus eodem libro, cap. 5.

Ex duobus malis illud est eligendum, ex quo minus malum sequitur: minus autem malum sequi solet ex vnius tyrannide, quàm ex multorum. ergo illa potius est eligenda, quia vnius tyrannis non solet auferre pacem, quæ est maius bonum commune; multorum verò tyrannis ciuilibus bellis plerunque plenissima est. Ad hæc, verisimilius est, quòd ex multis fiat aliquis tyrannus, quàm quòd vnus solus: magis igitur fugienda sunt pericula, quæ ex multorum gubernatione proueniunt. itaque tyrannus tolerandus est, vt maiora mala vitentur: Deus enim autem emendabit, aut perdet, si subiectorum vita id meruerit, vt idem Sanctus tradit cap. 6.

Diogenes Laërtius lib. 7.

Stoici eam rempublicam aiunt esse optimam, quæ sit mista ex regno, & populari dominatu, optimorumque potentia.

Polybius lib. 6.

Manifestū est, eam politiam optimam esse iudicandā, quæ omnibus proprietatibus regni, aristocratia, & democratia cōstat: quod & Cicero lib. 2. de Republica, & Aristides oratione in Romā, aliq; tradiderūt.

Ex

11 Cùm considerasset Lycurgus vnamquamque rei-publicæ formam instabilem esse, propterea quòd confestim in peculiarem sibi malitiam degenerat: rempublicam constituit, nec simplicem, nec vnus dumtaxat formæ, sed cunctas simul collegit optimarum politiarum virtutes, ac proprietates: ne quid in illa supra quàm conueniat, exercens, in agnatam degeneret malitiam, sed vt singularum vires alternatim cohibite nusquã nutarēt, sed perpetuò secundū equalitatis rationē respublica maneret, ac regnū metu plebis ab insolentia coërceretur: propterea quòd & illi iusta est tributa reipublicæ portio. Plebs rursus ne regem contemnere auderet propter metum seniorū, qui omnes secundum electionem optimatum selecti, semetipsos æquitatis studio essent accommodaturi. Romani quoque idem in constituendo patriæ statu fecerunt: Nam si cōsulum potestatem inspexerimus, apparet, illa prorsus esse monarchica, & regia: si eam quæ senatus est, rursus videtur esse aristocratica: si verò populi, ac tribunorum plebis, perspicuè apparet esse democratia.

Aristides oratione ad Romanos.

12 Tres ferè rerum publicarum species numerari solebant, duæ binomines, secundum præfectorū mores vtraque considerata, tyrannis nempe, & oligarchia, tum regnum, & aristocratia: tertia verò democratia, siue illa rectè, siue secus administratur. has autem inter se partitæ sunt ciuitates, prout cuiusque ferebat, vel consilium, vel fortuna: ac vestra nihil habet harum simile, sed instar temperamēti, reliquarum, peioribus tamen omissis, excellit: quare si quis
ad

ad populi potentiam, qua facilè quod vult consequitur, respiciat, democratiam prorsus iudicabit esse, nisi quòd minus peccat populus: sin senatum, qui consilio præest, & magistratus gerit, spectet, nullum putabit sincerius aristocratia genus reperiri posse: sin denique principem summum consideret, qui & populi voti s satis facit, & senatui imperium, ac potentiam tribuit, eum videbit perfectissimum obtinere imperium, qui sit, & tyrannici vitij expers, & regia maiestate maior. Atque hæc vos, & in externis rebus, & in vrbe ipsa soli rectè potuistis hoc modo distinguere, & considerare, cùm soli (vt ita dicam) secundum naturam imperetis.

Diuus Ambrosius lib. 5. exameron, cap. 15.

Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus, & honorem esse communem, nec paucis arrogare potentiam, sed quadam in omnes voluntaria forte transcribi? Antiquæ hoc reipublicæ munus, & instar liberæ ciuitatis est. Sic ab initio acceptam à natura exemplo auium politiam homines exercere cœperunt, vt communis esset labor, communis dignitas; per vices singuli partiri curas discerent, obsequia, imperiaque diuidere; nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status: nec insolebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno seruitio frangebatur: quia & sine inuidia erat ordine muneris, & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur, quæ communi cadebat sorte custodia. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successuri in honorem mutua forent subeunda fastigia. Nemini labor grauis, quem dignitas secutura releuaret.

Ferus in librum Iosue, cap. 24.

- 14 Felix est politia, vbi hæc duo coniuncta sunt, diligentia in rectoribus, obedientia in subditis.

REMPUBLICAM CUNCTIS
ESSE PRÆFERENDAM. CAP. VI.

Lib. 2. Machabeorum, cap. 4.

- 1 Considerans Onias periculum contentionis, ad regem se contulit, non vt ciuium accusator, sed communem vtilitatē vniuersæ multitudinis apud semet ipsum considerans. videbat enim sine regali prouidentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonem posse cessare à stultitia sua.

Ecclesiastici 17.

- 2 Mandauit Deus vnicuique de proximo suo: ergo multò magis de republica.

Diuus Ambrosius de obitu Theodosij.

- 3 Rempublicam boni imperatores, & parentibus, & filiis prætulerunt.

Poliænus apud Stobæum sermone de Rep.

- 4 Negotia publica ciuitatis omnium existimare oportet maxima, vt feliciter augeantur: neque præter æquum contendere, neque potentiam sibi comparare priuatam præter publicum bonum. Ciuitas enim prospere agens, felicitas est maxima, in hac insunt omnia: hac salua, cuncta seruantur; hac pereunte, nihil non pessum it.

Thucydides lib. 2. in oratione Periclis.

- 5 Ego existimo, melius agi cum ciuibus priuatim, si tota ciuitas fortunata sit, quàm si per singulos ciues felix sit, publicè verò labefacteretur. Nam cum euertitur patria, is cui priuatim bene est, nihil tamè minus, & ipse

& ipse euertitur: cui autem malè, is in illa prospere agente multò magis incolumis est.

Cicero ad Heren. lib. 4.

Vt contemnendus est, qui in nauigando se, quàm nauim mauult incolumem: ita vituperandus, qui in reip: discrimine suæ plus quàm cõmuni salutis cõsultat.

Idem lib. 1. Officiorum.

Cùm omnia ratione, animoquē lustraueris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quàm ea, quæ cum republica est vnicuique nostrum. Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium charitates patria vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus.

Diuus August. sermone .6 de verbis Domini.

Maior sit patria ipsis parentibus tuis, vt quidquid iusserint parentes contra patriam, non audiantur, & quidquid iusserit patria contra Deum, non audiatur.

Gregorius Cedrenus in compendio Historiarum.

Antequam imperator fieret Valentinianus, à Sallustio quodam pecunia fuit adiutus, promisitque ei omnia. Imperator autem factus, cum ab eo prouinciam postularet, respondit, Promissis non esse standum, vbi res ad detrimentum spectaret reipublicæ.

Plutarchus in Politicis.

Si de commodis reipublicæ agatur, omni studio, opera, fide, & diligentia, rei communi prospiciendum est.

Cicero lib. 3. de Finibus.

Laudandus est is, qui mortem oppetit pro reipublica: qui doceat, chariorem esse patriam nobis, quàm nosmetipsos. Estque illa vox inhumana, & scelerata
F eorum,

eorum, qui negant, se recusare, quo minus ipsis mortuis terrarum omnium deflagratio consequatur.

Idem in Lelio.

12 Mihi autem non minus curæ est, qualis respublica post mortem meam futura, quam qualis hodie sit.

Idem Philip. 2.

13 Duo hæc opto, ut moriens populum Romanum liberum relinquam: alterum, ut ita cuique eueniat, ut de republica quisque mereatur.

Idem Cicero quadam in Epistola.

14 Ex omnibus rebus humanis, nihil præclarius, aut præstantius est, quam de republica bene mereri.

Idem lib. 3. Officiorum.

15 Vnum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas vniuscuiusque, & vniuersorum: quam si ad se quisque rapiat, dissoluetur omnis humana consociatio. *Et paulo post: Communis utilitatis derelictio contra naturam est.*

Plinius lib. 7. Epistolarum.

16 Oportet priuatis utilitatibus publicas, mortalibus æternas anteferre.

Iustinianus sub titulo de caducis tollendis.

17 Quod communiter omnibus prodest, id priuata cuiuscunque utilitati præferendum est.

Ioan. Chrysof. in Matth. homil. 79.

18 Nulla res Deo gratior est, quam ut vniuersam vitam ad commune commodum conferas.

Idem in priorem Pauli epistolam ad Cor. hom. 25.

19 Hæc perfectæ Christianæ religionis regula est, hic certissimus terminus, hoc summum cacumen, quærere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem.

Antonius

Antonius Bonfinius lib. 3. rerum Ungaricarum

in oratione Attyla.

Pugnauit in pectore meo aliquãtis per cum publica priuata charitas: publica tandem rationi priuatus cessit affectus. quod omnibus his, qui præsumunt, faciendum esse censeo, si optimè sibi, & reipublicæ consultum iri velint.

Ad priuatas iniurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum: in iis verò quæ rempublicam lædunt, decet esse seuerum.

PRO REPUBLICA OMNIA
ESSE FACIENDA. CAP. VII.

Esther cap. vlt.

Prouidendum est paci omnium prouinciarum, nec putare debetis, si diuersa iubeamus ex animi nostri venire leuitate: sed pro qualitate, & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam.

Aristoteles lib. 3. Polit.

Bonum ciuile est, iustum ipsum; hoc autem est publica commoditas. Rectum est autem, ut totius ciuitatis commodum, & ciuium commune bonum legislator sibi proponat.

Idem lib. 1. Ethicorum, cap. 2.

Bonum ciuitatis, quam vnius hominis acquirere, & conseruare, maius quid, ac diuinius est.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Ut tutela, sic procuratio reipublicæ, ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa est, gerenda est.

Idem lib. 3. de Finibus.

Ut leges omnium salutem, singulorum saluti anteponunt:

reponunt: sic vir bonus, & sapiens, & legibus parēs, & ciuilibus officij non ignarus, vtilitati omnium pluf. quàm vnius faluti confultit.

Idem pro Milone.

6 Qui periculum non timet, propofita inuidia, morte, pœna, qui nihilo feigniùs rempublicam defendit, is vir verè, & ciuis putandus eft.

Plutarchus in Catone Vticenfi.

7 In fenatum primus veniebat, vltimus abibat, nec vnquam abfuit, cùm fenatus haberetur. Quandoque per Cnei Pompeij amicos tentatum eft, cùm refiftentem viderent iis, quæ contra ius facere volebant, fibi impedimentum aliquod obiicere, quo minus in fenatu adelfet. qua re animaduërfa, omnia femper negotia pofthabuit, potius quàm abelfet. neque enim gloriæ caufa, neque lucri, neque aliquo cafu, vt plerique ad rempublicam fele contulerat; fed certo confilio vrbis, velut priuati cuiufdam, negotia fufceperat: ratus non minus operæ, diligentiaque rebus cõmunibus impendendum, quàm apes fauo folent. Cùmque gratias ei ageret Cicero, quòd vxoris fuæ fororè defendiffet: non fibi, fed reipublicæ (inquit) gratias agendas, cuius caufa ifta feciffet.

Vegetius lib. 2. cap. 3.

8 Vnius ætatis funt, quæ fortiter fiunt; quæ verò pro vtilitate reipublicæ fcribuntur, æterna funt.

Patricius lib. 5. de Inftitutione reip.

9 Rempublicam quafi nauem exiftimare debemus, quæ omnium manibus, officioque indiget, ac pro virili quisque niti debet, non modò ne euertatur, fed vt in portum tutiffimum fe recipiat. Itaque ciues omnes efficere debent, vt fingulorum confilio, opera,

opibus,

opibus, diligentia, & induftria, rempublicam adiuuet, vt nõ feruetur modò, fed indies feliciter augeatur.

Menæceus apud Euripidem.

Si quilibet quantum queat boni lubens Patriæ offerat, donètque publicæ rei; Haud totidem euenient ciuitatibus mala, Sed accident in pofterum res prosperæ.

10

Lib. 2. Machabeorum, cap. 13.

Iudas Domini iudicio committens exitum rei, dånique poteflatem omnium Deo mundi creatori; hortatus eft fuos, vt fortiter dimicarent, & vſque ad mortem pro legibus, templo, ciuitate, patria, & ciuibus ftarent.

Diuus Chryfoft. in Matth. hom. 78.

Quis eft fidelis feruus, & prudens, & cætera: hæc parabola vel ad gerentes, gubernantefque rempublicam accommodari potef. docet enim vnumquæque ad communem vtilitatem omnia conferre, quæ fuæ funt, fiue fapientiam, fiue principatum, fiue quidquid aliud.

Et poft aliqua.

Nulla re alia magis Deus irritatur, quàm fi proximi commoditatem defpicias.

Et paulò procul.

Si in rebus feularibus nemo folus fibi viuut, fed tam opifex, quàm miles, tam agricola, quàm mercator ad communem vtilitatem proximis etiam omnes conferunt; multò magis in fpiritualibus id faciendum eft: hoc enim maximè vita eft, aliis fcilicet etiam prodeffe. Nam qui fibi viuut, cæteros omnes negligens, & vita eius fuperuacua eft, & ipfe fuperfluus, nec homo generis noſtri.

F 3

Sanctus

Sanctus Prosper libro 3. de vita contemplatiua, cap. 22.

- 15 Belluarum est, sibi viuere, nec suas vtilitates in cō-
mune conferre, à quibus non solùm mentis prero-
gatiua, sed etiam seruata iuris æqualitate distamus, si
nos in omnium commodis cogitantes, sicut nostris
vtilitatibus, ita omnium sociorum vtilitate naturæ
nostræ viuamus. Deinde si inuicem persequi, lacera-
re, vel perdere, ferarum est proprium; quis dubitet,
excellentiæ humanæ competere, vt se alterutrum iu-
uent, instruant, ædificent, & vtilitatem communem,
tanquam propriam curent.

REIPUBLICÆ OFFICIA
ETIAM AB INVITIS GERENDA.

CAP. VIII.

I. *Corinth. 10.*

- 1 Nemo quod suum est, quærat, sed quod alterius,
Plato Archita Tarentino epistola 9.
- 2 Illud te considerare oportet, nullum nostrum sibi
soli natum esse, sed ortus nostri partē sibi patria ven-
dicat, partem parentes, partem amici. Vocante igitur
te patria ipsa ad rempublicam gubernandam, absur-
dum forsitan esset, non parere; præsertim, cū simul
accidat, vt aditus prauis hominibus relinquatur, qui
nulla ipsius, quod optimum est, ratione proficiscun-
tur ad publica.
- Idem lib. 1. de Rep.*
- 3 Neque pecunia, neque honore ducti, boni homi-
nes imperare volunt. Neque enim apertè pecuniam,
magistratus præmium accipientes, mercenarij vocari
volunt: neque clanculum fures: neque rursus ho-
noris causa: non enim ambitiosi sunt. oportet igitur
necessi-

necessitatem illis imponere, & multam, si impellēdi
sunt, vt velint magistratum accipere. Maxima verò
multarum est, administrationi malorum subiici, nisi
ipse acceperit reipublicæ gubernaculum. Hanc itaq;
pœnam timentes, magistratus capere probi homines
mihi videntur, si quando capiunt: & tunc ad eos ac-
cedunt, non tanquam ad bonum aliquod, neq; tan-
quam ex his voluptatem aliquam capientes, sed tan-
quam ad rem necessariam; cū neque melioribus,
neque similibus se committere valeant.

Plutarchus in Politicis.

Laudatur Epaminundas, qui Thebis inuidiosè, at-
que contemptim decretus Telearchus, non neglexit
mūnus, dicens: Non modò magistratu virum ostēdi,
verū etiam magistratum viro. id itaque munus ipse
euexit, & clarum reddidit, quod antea parui fiebat,
& penè pro nihilo habebatur. Pleraque autem sunt,
quæ si tu tibi ipsi, aut per te ipsum pertractes, & agas,
abiectus, & sordidus meritò existimari possis: hæc
eadem si ciuitati publicitus exhibere videaris, nō illi-
beralis, & degener, sed generosus ciuis haberi queas:
Magni est enim, atque perstrenui animi, vel par-
uulas ciuitatis res curandas suscipere.

Idem post aliqua.

Ciuile non est honores publicè, & de more de-
cretos repudiare, & vocantis munera patrię detrecta-
re: quando quidem ciuis boni esse videtur, quodcun-
que patriæ munus ritè delatum admittere, & id pro
virili parte curare, etiam si humilius videatur, quàm
cius existimationi, cui demandatur, conueniat: quin
hoc nomine maximè suscipi debet, atq; paulo splen-
didius geri.

Iustinianus de defensoribus ciuitatum, const. 15.

- 6 Conuenit, ut honestiores quique ciuitatibus, quas incolunt, operam, & ministerium suum exhibeant, & hanc quodammodo ipsis pro incolatu gratiam rependant.

Cassiodorus lib. 6. variarum.

- 7 Nihil abiectum est, quod in rep. geritur, nisi malis fuerit moribus fortè vitiatum.

A N S A P I E N S A C C E D E R E
D E B E A T A D R E M P V B L I C A M .
C A P . I X .

Ecclesiastici cap. 7.

- 1 Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris.

Origenes in librum Numerorum homil. 20.

- 2 Si cogitarent homines, quomodo principes atque rectores pro subiectorum peccatis coguntur reddere rationem, nunquam cuperent, neque ambirent populi principatum. Sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis. Sufficit mihi pro memetipso, & peccatis meis reddere rationem. quid mihi necesse est etiam pro populi peccatis puniri, si negligens, ac deses fui, si dissimulaui, si non correxi.

Chrysost. oratione de beato Philogonio.

- 3 Mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes, quin potius frequenter habent accusationem malitiæ: quoniam & sollicitudines amicorum, & adulationes, & alia permulta, his fædiora, tales magistratus solent conciliare.

Idem diuus lib. 7. aduersus vituperatores vitæ monasticæ.

- 4 Vellem equidem, & frequenter optaui, ac depre-

catus

catus sum, tantum leges, ac iura optima in ciuitatibus valere, ut nihil iam opus esset monasteriis: neque ad eremum confugere cuiuspiam necessitas instaret. quoniam verò quæ supra fuerunt, infra iam facta sunt, ipsæque ciuitates, in quibus & iudicia, & leges erant, omni iniquitate & scelere impletæ sunt; solitudo verò philosophiæ fructus vberimos germinat: profectò non illi in culpa sunt, qui hac procella, & turbine se eximere, atque seruare cupientes, educunt, eisque ad quietis, ac tranquillitatis portum duces sunt: verum hi, qui ciuitates singulas virtuti inuias, & inaccessas fecerunt.

Plato lib. 1. de Republica.

Vir iustus, si quâdo magistratu fungitur, si ei nulla alia iactura contigerit; hæc saltem illi non deest, ut res eius domesticæ deterius per negligentiam disponantur: Ex publico autem nihil, propterea quòd iustus sit, lucretur

Idem in eodem.

Si bonorum virorum extaret ciuitas, in ea haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quàm nunc certatur imperandi cupiditate: ibique pateret, reuera legitimum principem, non sui ipsius, sed eius, qui sub ipso est, commoditatem respicere. Quare vnusquisque qui non amens sit, potius eliget, alium sibi prodesse, quàm dum aliis ipse consulit, multis sese negotiis implicare.

Plutarchus in Demosthene.

Adolescentes se adeuntes Demosthenes monere solebat, ne ad rempublicam se conferrent: affirmans si duæ essent viæ ab initio positæ, vna quæ ad rempublicam, altera, quæ ad interitum apertè ferret, essentque

F 5

sentque

lentque manifesta illa, quæ gerentes respublicas subire oportet; formidines, inuidias, odia, calumnias, similtates, contentiones, certamina: illam potiùs electuros esse homines, quæ ad interitum ferret.

Seneca ad Gallionem de vita beata.

8 Duæ maximæ in hac re diffident sectæ, Epicureorum, & Stoicorum. Epicurus ait: nō accedet ad rempublicam sapiens, nisi siquid interuenerit. Zenon ait, accedet ad rempublicam, nisi siquid impedierit; alter otium ex proposito petit, alter ex causa. Causa autem latè illa patet: si respublica corruptior est, quàm ut adiuuari possit: Non nitetur sapiens in superuacuum, nec se nihil profuturis impendet: si parum habebit auctoritatis, aut virium; nec illum erit admissura respublica, si valetudo illum impediet.

Idem post multa.

9 Negant nostri, sapientem ad quamlibet rempublicam accessurum. Interrogo ad quam rempublicam sapiens accessurus sit? ad Atheniensem, in qua Socrates damnatur, Aristoteles ne damnaretur fugit: in qua inuidia virtutes opprimit? negabis mihi accessurum in hanc rempublicam sapientem. Ad Carthaginiensem ergo rempublicam sapiens accedet: in qua assidua seditio, & optimo cuique infesta libertas est; summa æqui, ac boni vilitas; aduersus hostes inhumana crudelitas, etiam aduersus suos hostilitas? & hanc fugiet. Si percensere singulas voluero, nullam inuenero, quæ sapientem, aut quam sapiens pati possit.

Diogenes Laërtius lib. 7.

10 Accessurum sapientem ad rempublicam nisi quid impediatur, Chrysippus, in primo de vitis, ait. Namque & vitia propulsaturum, & ad virtutem excitaturum ciues suos.

Beatus

Beatus Augustinus epistola 113.

Iusta, & officiosa, & pro suo genere pacatior, atque tranquillior rerum temporalium administratio, recipiendorum æternorum meritum gignit; si nona teneat, cum tenetur, nec implicet, cum multiplicatur; si non cum pacatur, inuoluat.

Beda in Collectaneis.

Hi fani ægrotant, qui aliena negotia curant. 12

Diuus Gregorius in Euangelia homilia 17.

Curis secularibus intenti, tanto insensibiliore intrus efficimur, quanto ad ea, quæ foris sunt, studiosiores videmur; vsu quippe curæ terrenæ, à cælesti desiderio obdurefcit animus: & dum ipso suo vsu durus efficitur per actionem seculi, ad ea emolliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei.

Quidam poëta Græci.

Remissio est malorum vitæ tranquillitas. 14

Quæ non decet, neque audi, neque vide. 15

Nauigij portus quidem; animi autem tranquillitas portus est vitæ. 16

Olympiodorus in Ecclesiasten, cap. 1.

Officiosus vir, qui verè vacat virtuti, circa multa occupari non debet, iuxta illud Euangelij dictum: Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima; paucis verò est opus, ac vnum est necessarium: quo loco intelligit de charitate præcepta omnia cõtinente.

Vida lib. 2. de Reipublica dignitate.

Dico falsam esse vulgi veterem opinionem, nullam rempublicam posse administrari sine maxima iniuria: quam sententiam audio confutatam fuisse olim à Publio Scipione apud Ciceronem. dico ego, ut nunc sunt mores, leges & consuetudines: ut nunc sunt ministri

ministri publici, iudiciorum ordo & abusus, veram esse iam eam vulgi opinionem, ni prius multa inno-
nentur, & reformatur in melius.

D E E A D E M R E.

C A P. X.

Ecclesiastici cap. 11.

- 1 Fili, ne in multis sint actus tui, id est, ne te impli-
ces negotiis multis.

Seneca de tranquillitate vite.

- 2 Aduersus hoc tædium, quo auxilio putem uten-
dum quæris: optimum erat, vt ait Anthenodorus,
actione rerum, & reipublicæ tractatione, & officiis
ciuilibus se detinere. Sed quia in hac tam infana ho-
minum ambitione, tot calumniatoribus in deterius
recta torquentibus, parum tuta simplicitas est, & plus
futurum superest, quod obstet, quàm quod succe-
dat: à foro quidem, & publico recedendum est.

Basilii Magni epistola 1.

- 3 Conuenit conari, vt mentem in quiete habeamus.
quemadmodum enim oculum assiduè circûactum,
& nunc in obliqua circumlatum, nunc sursum, ac
deorsum frequenter trāsuerfum, impossibile est eu-
denter videre, sed visum applicari oportet rei obie-
ctæ, si certam ipsius inspectionem facere debeat: sic
& hominis mentem ab infinitis mundi curis distra-
ctam, impossibile est, euidenter veritati intentam esse.

Plutarchus in Demosthene.

- 4 Qui tranquillè volet viuere, nec priuatim agat
multa, nec publicè ad superuacua se conferat. Nam
qui multa agit, sæpe fortunæ potestatem sui facit,
quam tutissimum est rarò experiri.

Idem

Idem in Lucullo ait,

Finite quadam modestia, ciuiles ambitiones esse
moderandas, nec minus quàm athletas in palæstra,
ciues in republica damnandos esse, qui nullum mo-
mentum, nullum tempus, nullam quietem perpetuis
laboribus intermittunt.

Salomonius in epistola ad Clementem septimum.

Sapiens ad rempublicam accedere non debet, nisi
impellat necessitas: & tum sanè, non accersitus mo-
dò, verùm etiam vltro sese ingerat. quod si non fe-
cerit, haud minus vituperandus est, quàm patriæ cõ-
munis, salutisque defertor. neque iniuria quidem,
cùm ortus nostri primam partem patria sibi vendicet,
vitæque nostra charior sit habenda. Cato iunior, vi-
uum sine dubio virtutis simulacrû, suadentibus ami-
cis, vti tribunatû peteret: Minimè conuenire respon-
dit, tempore reipublicæ non necessario. Postea cùm
vidisset Metellum, virum turbulentum, tribunatum
petere, ipse candidatus in campum descendit, vt suo
tribunatu Metelli insolentiam retunderet. Rursus vt
Crassi, & Pompeij designatorum consulum potentie
pro republica cum imperij fauore quiret obsistere,
præturam vrbanam, magistratum consulatui proxi-
mum, summo studio efflagitauit.

Cicero pro Flacco.

O conditiones miseras administrandarum ciuita-
rum, & prouinciarum! in quibus diligentia plena si-
multatum est, negligentia vituperationum: vbi feue-
ritas periculosa est, liberalitas ingrata, sermo insidio-
sus, assentatio perniciofa, frons omnium familiaris,
multorum animus iratus: iracundiæ occultæ, blan-
ditæ apertæ: venientes prætores expectant, præsen-
tibus

tibus inferuiunt, abeuntes deferunt.

Chrysoft. homil. Quid nemo ledatur nisi à seipso.

- 8 Neque enim voces illæ populi, per quas iudicibus acclamatur, ex veritate proferuntur. Nam si conscientias interrogas acclamantium tibi, inuenies apud unumquemque eorum, mille te capitibus accusari: denique ubi metus cessauerit potestatis, & publicæ pompæ fuerit scena resoluta, tunc videas, quanti oblatrantes, quanti obsequentes, quanti insimulantes: & hi omnes ex illis sunt, qui prius acclamabant, & immensis te laudibus extollebant.

Idem diuus in Matth. hom. 41.

- 9 Dignitates profectò ad multa obscena hominem inducunt. quapropter valde magno animo, sublimique opus ingenio est, vt dignitate vt, non abuti possis: multos enim inuitos ad contumeliandum dignitas intrusit, iram plerunque accendit, linguæ frænum abstulit, & ianuam morti reserauit, quasi magna procellarum vi animum subuertens, & ad profundum malorum omnium nauiculam submergens.

Noster Sepulveda epistola 92.

- 10 Memini, semperque meminero, virorum sapientium iudicio, felicitatem, quæ mortalibus potest in hac vita contingere, & quam vsu virtutis non impeditæ metiuntur, non tam ad publica negotia, & magnos honores, qui rarò sine periculis, & laboribus suscipiuntur, quàm ad otium honestum referri, quod sit cum literis & optimarum rerum contemplatione coniunctum.

Beatus Prosper lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 28.

- 11 Videndum est, vtum iustè faciant illi, qui se remouentes ab occupationibus cunctis, ac studiis spiritualibus

ritualibus offerentes, nihil humanæ societati proficiunt: & desideria sua cõmodis omnium preferentes, vilitatem communem desideratæ vocationis electione contemnunt: cum profectò laborantibus opem ferre nolle, cum possis, & communi bono posthabito, otiosa quiete frui, nihil habeat æquitatis: cui æquitati qui seruiunt, omnes omnium bono viuunt, ac velut sibi inuicem nati, salutem mutuam tuentur, ac diligunt: ac per hoc contra iustitiam faciunt hi, qui merito suæ conuersationis, vel eruditionis electi, otiosum studium fructuosæ vilitati regendæ multitudinis anteponunt: & cum possint laboranti ecclesiæ subuenire, operosæ administrationis laborem fruendæ quietis contemplatione refugiunt.

Eucherius epistola ad Valerianum.

Abrumptur illa interminabilis secularium negotiorum carena, & ille de necessitatibus multis vnus per totam vitam labor. Dirumpamus inanium curarum vincula, quorum succedentibus sibi nexibus implicatis, in quibus semper occupatio nostra incipit; remoueantur illæ, tam vanæ, quàm cohærentes sibi causæ, in quibus quoad viuitur, studium mortalium, dum subinde negotiis inchoatur, nunquam finitur: quarum rerum infatigabilis intentio, iam breuem, & arctam per se vitam, hanc etiam arctissimam reddit.

QVOMODO SIT ACCEDENDVM AD REPUBLICAM.

CAP. XI.

4. Regum 14.

Contentus esto gloria, & sede in domo tua.

Stobæus

Stobæus sermone de potentibus.

- 2 Antisthenes interrogatus, quomodo ad rempublicam accedendum sit, respondit, ut ad ignem, neque nimis propè, ne vraris, neque longiùs, ne frigeas.

Plinius lib. 1. Epistolarum.

- 3 Distringor officio, ut maximo, sic molestissimo: sedeo pro tribunali, subnoto libellos: conficio tabulas, scribo plurimas, sed illiteratissimas literas. soleo nonnunquam de his occupationibus apud Euphratem queri: ille me consolatur: affirmat etiam, esse hanc philosophiæ, & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promerere, & exercere iustitiam; quæque ipsi doceant, in usu habere. Mihi tamen hoc unum non persuadet, fatius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo, discendoque consumere.

Idem in epistola ad Pomponium Bassum eiusdem operis lib. 4.

- 4 Magnam cepi voluptatem, cum ex omnibus amicis cognoui, te ut tua sapientia dignum est, & disponere otium, & ferre; habitare amœnissimè, & nunc terra, nunc mari corpus agitare: multum disputare, multum audire, multum lectitare; cumque plurimùm scias, quotidie tamen aliquid addiscere. Ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexit, totumque se reipublicæ, quandiu decebat, obtulit. Nam & prima vitæ tempora, & media patriæ, extrema nobis impertire debemus, ut ipsæ leges monent, quæ maiorem annis sexaginta otio reddunt.

Euripides in Antiope.

- 5 Quisquis multa agit, ubi cessare liceret; stultus est, cum iucundè posset tranquillus vivere.

Idem

Idem in Heraclide.

Bonum est, extra negotia pedem habere, meliori consilio utentem.

Idem in Oenomaio.

Qui plura facit, is & plurimum peccat.

Imperator Antoninus lib. 1. de vita sua.

Ab educatore meo didici, non immiscere me multis negotiis. & lib. 3. Ne verbosus sis, neque multa negotia suscipias.

Iustinus martyr epistola ad Zenam.

Qui bene vivere vult, is nec videat multa, nec studeat audire. nec si au diat, aut videat, audire, aut cernere se existimet. Forma enim tranquillitatis animi hinc ducit exordium: qui autè multa tractat, & agit, is & sibi ipsi iniuriam infert, & proximis.

Et post multa.

Debet etiam is, qui rectam viuendi viam sequatur, quiescere, & à negotiis, curisque vacuus esse.

DE QUERELIS REIPUBLICÆ.

CAP. XII.

Ad Philip. cap. 2.

Omnes quæ sua sunt quarunt, non quæ sunt Iesu Christi.

Demosthenes Olynthiaca 3.

Breui voluptate, & gratia, reipublicæ negotia quasi propinata pereunt: Istorum res omnes præclare se habent: Vestræ, id est, reipublicæ, turpiter.

Idem contra Aristogitonem.

Canem quidem degenerem, & ignauum ouili custodiendo nemo præfecerit: reipublicæ autem gubernatoribus, plerique dicunt, quos libet esse præficiendos

G ciendos

ciendos custodes : qui cum delinquentes se deferre simulent, ipsi vel in primis custodiendi essent.

Idem de falsa Legatione.

4 Prius etiam publice vobis exposui, populum esse turbam, reipublicae omnium inconstantissimam, & stolidissimam, ut in mari undam fluctuantem, quae fortuito agitur: alium accedere, alium abire, reipublicae curae esse nemini.

Isocrates oratione de pace.

5 Sapienissimi Graecorum nostra opinione sumus: sed ab eorum consiliis pendemus, quos nemo est, qui non asseritur: & summae rerum omnium eos praeficiunt, quibus nemo priuatim quicquam credere audeat: quodque omnium acerbissimum est, qui nostrate confessione, omnium improbissimi sunt, hos reipublicae custodes fidelissimos arbitramur.

Et mox.

6 Tam longe autem a more maiorum recessimus, ut eosdem illi, & summae reipublicae praeficerent, & imperatores crearent; existimantes, qui pro concione optima suaderet, eundem nihilo deterius, etiam cum solus esset, per sese deliberaturum. Nos contra, quibus in grauissimis rebus consultoribus utimur, illis tanquam stolidis imperium non deferimus, qui vero eius generis sunt, ut nemo publice, priuatimve, illorum consilium expetat; hos mittimus, ut suo arbitrio gerant omnia; quasi vero illic sapientiores futuri sint; & facilius consulturi de totius Graeciae statu, quam de rebus, quae hic considerandae proponuntur. Neque tamen haec aequè ad omnes pertinere volo, sed ad eos dumtaxat, qui tales sunt, quales iam diximus.

Sallustius

Sallustius in Iugurthino.

Bonum publicum, ut in plerisque negotiis solet, 7
priuata gratia deuictum est.

Titus Liuius lib. 2.

Respectus rerum priuatarum semper offecit, offi- 8
cietque publicis consiliis.

Ex priuatis affectionibus ferè omnis humanæ vi- 9
tæ perniciēs nascitur.

Sidonius lib. 4. epist.

Bonum publicum semper euertunt studia priuata. 10

Ex priuatis affectibus ferè omnis humanæ vitæ per- 11
niciēs nascitur.

Aristophanes in concionantibus, & apud Stobaeum

serm. de iniustitia.

Vos qui accipitis stipendia publica,

Singuli priuatim incumbitis suo quisque lucro; 12

Utilitas verò reipublicæ ceu cæcus versatur.

Aliter.

Utilitas verò reipublicæ ceu Sisyphi lapis versatur.

Herodianus lib. 2.

Neque quisquam lucro apponit, quod utilitatem 13
in communi pariat: quæ enim publice profunt, pa-
rum cuique curæ sunt.

Cornelius Tacitus lib. 12. Annalium.

Paucis decus publicum curæ. 14

Sallustius in coniuratione Catilinæ.

Alia fuere, quæ magnos fecere Romanos, quæ no- 15
bis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperiū,
animus in consulendo liber, neque delicto, neque li-
bidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, at-
que auaritiam: publice egestatem, priuatim opulen-
tiam: laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter

G 2 bonos

bonos & malos nullum discrimen est. omnia virtutis præmia ambitio possidet; separatim sibi quisque consilia capit; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam.

Liuius lib. 30.

16 Tantum nimirum ex publicismalis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet; nec in eis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum stimulat.

17 Communi, ac damnosissimo vitio plerique tantum ea curant, expetunt, & optant, quæ sibi ipsis priuatim profint; nihil solliciti de communi bono. id verò vitium, omnium ferè, quæ sunt in rebus publicis malorum, causa est, & origo.

Et ut quidam rectè inquit:

18 Vbi vnquam tot fuerunt in seculo tribunalia, & minor iustitia? vbi vnquam tot senatores, & magistratus, & minor cura reipublicæ? quãdo plures fuerunt leges, & causæ deterius terminatæ? vbi tot iudices, ac tór aduocatorum, & notariorum turma, & minus accepta causa pauperis, pupillæ, & viduæ, atque eorum iura minus defensa? Denique quando vnquam lites aded damnosæ atque immortales fuerunt? quando plures reipublicæ fures?

Ferus in Ecclesiastem cap. 9.

19 Sæpe vsu venit, ut quispiam prauo, ac fraudulento consilio rempublicam totam subuertat. Sunt enim, & in bello, & pace ferè tales pestes, quæ conturbant omnia: senator aliquis bene consulit; mox nebulo aliquis omnia peruertit: cui etiam frustra repugnatur, quia plerumque peior pars vincit meliorem.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

20 Qui historicos eos legerit, qui res Romanas scribunt,

bunt, Polybium, Sallustium, Liuium & cæteros, intelliget, quantis laudibus prosequatur Romanæ reipublicæ incunabula, conferentes cum forma reipublicæ suæ quisque tempestatis prima illa tempora, cum ciuitas optimis moribus floreret, cum potestas omnis esset in populo, in senatu summa auctoritas, continentissimique essent maiores nostri, domi modici, militiae & in publicis muneribus amplissimi: qui quanto minus virium atque opum habebant, tanto minus in illis erat auaritiæ.

Et mox:

Quod Romæ contigit, idem ferè omnibus ciuitatibus & rebus publicis euenisse exploratum habemus. ita enim naturæ humanæ res se habent, ut omnia initio optimè constituta progredientibus deinde ætatibus, hominum negligentia, animorumque remissione in prauitatem dilabantur, paulatimque optimis consuetudinibus de via deflectentibus, dum suauiæ quæ sunt, prima mortales habent, neque consulunt in posterum, cuncta fiant deteriora. videmusque, ut ait Virgilius, Omnia fati in peius ruere, ac retrò sub lapsa referri. præsertim si, ut idem subiicit poëta, humana industria non occurrat atque adiuuet.

DE REPUBLICA
LIBER III.

CIVITATES, ET REGNA
SINE IMPERIO AC DOMINATV
CONSERVARI NON POSSE.
CAP. I.

Diuus Thomas in Matth. cap. 12.

TRIPLEX EST COMMUNITAS; domus, ciuitatis, & regni. domus est communitas consistens ex his, per quos sunt communes actus: ideo consistit ex triplici coniugatione, ex patre, & filio; ex marito, & vxore; ex domino, & seruo. Communitas ciuitatis omnia continet, quæ ad vitam hominis sunt necessaria itaque est perfecta communitas, quantum ad merè necessaria. Tertia communitas est regni. que est communitas consummata; vbi enim esset timor hostiũ, nõ posset per se vna ciuitas subsistere: idè propter timorem hostium necessaria est communitas ciuitatũ plurium, quæ faciunt vnum regnum.

Iudicium 17.

2 In diebus illis non erat rex in Israel, sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, faciebat.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 4.

3 Hominem esse naturã ciuile animal exposuimus, ac proinde homines etiã si ope mutua nihil indigeant, tamẽ nihilo secius ad conuictum esse procliuēs. Sed & publica quoque commoditas facit, vt homines in locum vnum conueniant, prout quisque potest rectè viuēdi particeps esse. Hic igitur maximè tum publicè, tum etiam priuatim hominibus est conueniendi
finis.

finis. sed ea communitio maximis calamitatibus conflictatur.

Plato in Protagora.

Congregati homines inuicem iniuriabantur: quare dispersi, iterum à feris lacerabantur.

Cicero lib. 3. de Legibus.

Sine imperio nec domus vlla, nec ciuitas, nec gēs, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.

Diuus August. lib. 4. contra Iulianum.

Tullius libro 3. de republica. An non inquit, certissimus optimo cuique dominatũ ab ipsa natura cum summa vtilitate inferiorum datum? *Et paulo post.* Sed & imperandi, & seruiendi sunt dissimilitudines cognoscendæ. Nam vt animus corpori dicitur imperare, dicitur etiã libidini: sed corpori, vt rex ciuibus suis, aut parens liberis: libidini autem, vt seruis dominus, quo eam coercet, & frangit. Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia ciuibus, sociisque præsent, vt corporibus animus. Domini autem seruos ita fatigant, vt optima pars animi, id est, sapientia eiusdem animi vitiosas, imbecillèsq; partes, vt libidines, vt iracundias, vt perturbationes ceteras.

Dicearchus lib. de hominum interitu.

Collectis omnibus vndique causis, quæ per sæpe afferunt gentibus interitum, vt eluisionis, pestilentia, vastitatis, ruinae, ac terræmotus; demum concludit, plures homines hominum impetu, vi aut fraude, atque insidiis deletos fuisse, quàm omnibus simul aliis interitus causis; nullamque esse tam detestabilem pestem, quæ non homini ab homine nascatur.

G 4

Cicero

Cicero lib. 2. Offic.

8 Ut magnas utilitates adipiscimur cōspiratione hominum, atque consensu; sic nulla tam detestabilis peccatis est, quæ non homini ab homine nascatur.

Plinius lib. 7. naturalis historie cap. 1.

9 Cætera animantia in suo genere probè degunt: congregari videtur, & stare contra dissimilia: leonum feritas contra se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes; ne maris quidem beluæ, ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiūt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.

Ferus in Numeros cap. 24.

10 Feralis est conditio hominum, quorum voluptas est, sese mutuo trucidare, quod nullæ bestię faciunt. omne enim animal diligit sibi simile. Tametsi autem duce natura congregarentur homines, ut rectè, beatèque viuerent: verum quia natura primi hominis peccato labefactata, ad malum ferè semper est prona, & nemo sine crimine viuit; necesse fuit, ut imperio summo coërcerentur improbi, & ciues omnes in officio continerentur.

Chrysof. in cap. 3. Isaie.

11 Nihil vnquam est intractabilius republica, quæ vacat principatu; quemadmodum neque periculosius quicquam est nauis, suo destituta gubernatore.

Idem diuus ad populum Antiochenum hom. 6.

12 Si principes de ciuitatibus abstuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem degemus vitam, inter nos mordentes, & nos deuorantes, pauperiorem potentior, mansuetiorem audacior.

13 *Diuus Thomas lib. 1. de regimine Principum cap. 1.*

Naturale est homini, ut in societate multorum uiuat,

uar, & necesse est, esse in hominibus, per quod multitudo regatur. Nam cum vnusquisque id quod sibi est congruum prouideat, multitudo in diuersa dispergitur, nisi sit, qui boni communis curam gerat. vnde Salomon inquit, Vbi non est gubernator, dissipabitur populus: nec enim idem est, quod propriū, & quod est commune. Nam ut sunt propria, differunt, & ut sunt communia, vniuntur; diuersorum autem diuersa sunt causæ. Oportet igitur, ut præter id, quod mouet ad proprium bonum vnus cuiusque, sit etiam aliud, quod moueat ad bonum commune multorum, propter quod, & in omnibus, quæ in vnū ordinantur, aliquid inuenitur, quod alia regat.

Besius lib. 1. de republica.

Cum respublica multorum hominum ordo sit, & sine ordine constare non queat; in ea necessariò sunt alii alij priores, & posteriores. Primi autem sunt illi qui summam potestatem tenent, hæc vel vnus est, vel plurium, vel pariter omnium, quicumque sunt in ciuitate. Itaque ex ipsa reipublicæ natura differentias eius inuenimus.

MONARCHIÆ REGIMEN

ESSE OPTIMUM, CAP. II.

Ecclesiastici cap. 1.

Vnus est altissimus creator omnium, & rex potēs, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus.

Cum reipublicæ gubernandæ tres sint species, monarchia, quæ regnum est; aristocratia optimatum, democratia popularis; sapientium tamen consensu, monarchia omnium est optima.

Plato lib. ciuili.

3 Vnius dominatio, bonis coniuncta legibus, sola omnium rectissima est.

Aristoteles lib. 8. Eth. cap. 10.

4 Reipublicæ tres sunt species, Regnum, & optimorum potestas, siue optimi potentia, & censu potestas siue respublica: atque harum optima quidem est regnum, pessima verò censu potentia.

Isocrates in Symmachico.

5 Si & ingenia hominum, & actiones intueamur, vniuersi monarchias cæteris præstare fateantur.

Euripides in Archelao.

6 Monarchia Deorum quædam vita videtur: Nam præter immortalitatem reliqua habet omnia. Bono viro, etiam tyranno subiici pulchrum est.

Herodotus in Thalia.

7 Vnius viti, qui optimus sit, imperio nihil melius est, & monarchia omnium est præstantissima.

Seneca lib. 2. de beneficiis.

8 Optimus ciuitatis status sub rege iusto est.

Claudianus lib. 7.

9 Fallitur egregio quisquis sub principe credit Seruitium: nunquam libertas gratior extat, Quàm sub rege pio.

Diocassius lib. 44.

10 Penes vnum summam esse reipublicæ, conducibile omnium maximè est; facilius enim vnusquispiam vir bonus, quàm multi, reperitur: quo fit, vt si quis summæ rerū vitiosus præsit, tamen satius id sit, quàm à sui similium multitudine reipublicâ administrari, cuius rei fidem facere possunt res gestæ Græcorum, Barbarorūque, & ipsorū etiam Romanorum: ni-

mirum

mirum cum semper, & præstantiora longè, & plura sub regibus, quàm sub populari gubernatione, vrbes ac priuati ciues beneficia adepti fuerint, longèque minus rerum aduersarum sub vnius, quàm sub imperio multitudinis sustinuerint. &c.

Auerroës in libros Platonis de republica tractatu 3.

Est quidem certè Regnum omnium statuum beatissimum, atque optimum.

IDEM RATIONIBVS, ET
EXEMPLIS COMPROBATVR.

CAP. III.

Lib. 1. Regum cap. 8.

Constituere nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.

Homerus Iliados 2.

Non bonum est multorum dominium, sit dominus vnus, & vnus rex.

Multos imperitare malum est, rex vnicus esto.

Non multi præsumunt domini bene, sit caput vnum.

Quam Homeri sententiam explicans Eustachius Archiepiscopus Thessalonicensis, post alia inquit: quòd autem monarchia sit optima, declarat mundi dispositio, quæ ab vno curatore, vniuersarum rerum domino, ac rege gubernatur: quæque in mundo habetur pulcherrima, singularia sunt: vnus sol præst diei: vna item est luna, noctis oculus: vnum regem in arce nostra, mentem scilicet, Rex regum collocauit: ita igitur & ciuitas bene se habebit, si ab vno principe regatur. *Serinus apud Stobæum, serm. 47.*

Cum Lydis Cræsus imperaret, fratrem in consortium imperij assumpsit. tum quidam ex Lydis accedens

dens dixit, omnium in terra bonorum, ô Rex, auctor est sol, neque quidquam stare in terra sole non illustrante; at si gemini soles forent, periculum immineret, ne omnia conflagrantia pessum irent: itaque & regem vnum quidem accipiunt Lydi, & seruatorem esse credunt: duos verò simul tolerare non possent.

Isocrates in Symmachico.

5 Democratici, & oligarchici ambitiosis inter se dissensionibus reipublicæ nocent: at Monarchæ, qui neminem habent, cui inuideant, de rebus omnibus id statuunt, quod vtilissimum est. Quin etiam monarchiam tanto mitiorem, & æquio rem iudicemus, quanto facilius est vnius viri iudicio, & voluntati satisfacere, quàm dare operam, vt multis, & variis ingenii placeas. Quòd si quid è vetustatis memoria repetendū est; dij etiã regem habere Iouem dicuntur, qui sermo, si verus est, appareret deos etiam hunc statum cæteris anteferre: sin rei veritatem nemo nouit, sed ipsi coniecturis in eam opinionē adducti sumus; id argumento est, nos omnem monarchiam præstantissimam iudicare. Nec enim tali reipublica deos videremus, nisi eam longè inter cæteras eminere crederemus. Monarchiam igitur, & iucundio rem esse, & lenio rem, & æquio rem; & si pluribus ostendi posset, ex his tamen etiam facilè intelligi potest.

Lucanus lib. 2.

6 Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Seneca in Agamemnone.

7 Nec regna socium ferre, nec tedæ sciunt.

Quintus Curtius lib. supremo.

8 Imperium quod sub vno stare potuisset, dum à plu-

pluribus sustinetur, ruit: proinde iure, meritoque populus Romanus salutē se principi suo debere profiteretur.

Beatus Athanasius lib. contra Gentiles.

Si plures essent principes, seruari nō posset rerum ordo, sed forent confusa omnia, dum quisq; arbitrio suo traheret omnia, & aduersus alium dissideret. itaq; fateri cogimur, multorum principatum verum auferre dominium; cū enim illud sibi vicissim tollāt, nullus iam erit princeps: sed principatus desideratio apud omnes præualebit.

Cyprianus de idolorum vanitate.

Quando vnquam regni societas, aut cum fide cœ- 10
pit, aut sine cruore desit? sic Thebanorū germanitas rupta, & permanens regis dissidentibus etiã in morte discordia: & Romanos geminos vnum non capit regnum, quos vnum vteri cœpit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt.

Diuis Hieronymus epistola 4.

Grues vnā sequuntur. imperator vnus, iudex 11
vnus prouinciæ. Roma, vt condita est, duos fratres: simul habere reges non potuit, & partitio dedicatur: in nauī vnus gubernator, in domo vnus dominus: in quamuis grandi exercitu, vnus signum spectatur.

Paulus Aemilius lib. 1. de gestis Francorum.

Nullum propè vnquam regnum, nisi domesticis 12
bellis insecutis, diuisum est.

Diuis Thomas lib. 1. de regimine principum cap. 2.

Bonum consociatæ multitudinis est, vt eius vnitas 13
pact

pace conferuetur: quanto igitur regimen efficacius fuerit ad vnitatem pacis seruandam, tanto erit vtilius: manifestum est autem, quod vnitatem magis efficere potest, quod est per se vnum, quam plures: vtilius igitur est, regimen vnius, quam plurium. Ad hæc, ea quæ naturæ congruunt, optimè se habent; in singulis enim operatur natura quod optimum est: omne autem naturale regimen ab vno est; in membris cor mouet omnia: in partibus animæ ratio præsidet, & in toto vniuerso vnus Deus factor est omnium, & rector. Huic accedunt experimenta: Nam ciuitates, & prouinciæ, quæ non reguntur ab vno, dissensionibus laborant: contra verò, quæ sub vno reguntur, pace gaudent, iustitia florent, & aliis bonis affluunt. Vnde Dominus pro magno munere, per prophetas populo suo promittit caput vnum, regem vnum, & pastorem vnum.

CVR PRIMVM REGES CREATI
SINT. CAP. IIII.

1. *Regum. 8.*

1 Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes: & videbit nos rex noster, & pugnabit bella nostra pro nobis.

Chrysof. in Psal. 43.

2 Regis potètia in copiis, & exercitu est: quod Deus summo consilio prouidit, vt esset hoc principi, & iis qui eius reguntur imperio vinculum: nam & rex iis opus habet, qui eius iussis pareant, & ii eo, qui illis præsit, & alter alterius auxilio indiget: ne aliqua enim esset arrogantia, effecit Deus, vt magna sæpe paruis egerent.

Idem

Idem diuus ad populum Ant. hom. 11.

Rex subditis opus habet, subditi rege, sicut caput 3 pedibus.

Aristoteles lib. 5. Polit. c. 10.

Regnum in præsidium proborum hominum contrarietas popularium est constitutum, & rex ipse ex numero proborum virorum creatus est; propterea quod virtute, aut rerum virtute gestarum magnitudine, aut propter talis generis excellentiam: Regnum autem optimatum, rempublicam imitatur. Nam regnum propriè virtutis, aut generis, vel beneficiorum, aut horum simul, atque potentiæ meritis tribuitur: omnes enim hunc honorem sunt adepti, quod ciuitates beneficiis vel demeruisse, vel demerendi facultatem haberent: quidam bello, ne in seruitutem redigerentur prohibentes, vt Codrus: alij in libertatem vendicantes, vt Cyrus: alij quod vrbis fuissent conditores, vel agros, seu fines in ditionem redegerunt, vt Lacedæmoniorum, & Macedonum, Molossorumque reges.

Isidorus lib. 3. de summo bono cap. 47.

Principes regesque electi sunt, vt terrore suo populos à malo cõcerent, atque ad rectè viuendum legibus subderent.

Aneas Siluius lib. 1. de gestis Basiliensis consilii.

Subiicienda causa est, quæ reges ab initio introduxit: & quidem vt Cicero in officiis ait, certum est, fuisse aliquod tempus, quo sine regibus viuebatur: at postquam iure gentium possessiones diuidi cœperunt, non alia de causa reges sunt instituti, nisi iustitiæ fruendæ. Nam cum premeretur initio multitudo ab his, qui maiores opes habebant, ad vnum aliquem vi-

rum

rum confugiebant virtute præstantem, qui prohiberet iniuria tenuiores, æquitatem constituendo, summos cum infimis pari iure perstringens.

Marius Salominius lib. 3. de principatu.

7. Nolite existimare, à Deo creatum mundum, & in eo homines, ut principum seruirent emolumentis; absurdum quidem est, supra quàm dici potest, propter principes, factos homines opinari. nam liberos, atque æquales nos Deus genuit: principes solum ad commoda populorum, quo facilius humanam, atque civilem societatem innocenter custodirent, multis se beneficiis iuuant, creati sunt.

Ex Polybio lib. 6.

8. Quando vel propter aquarum inundationes, vel propter pestiferas calamitates, humano generi perniciæ est illata, tum videlicet perditis quibusvis institutis, & artibus, cum velut ex relicto seminario hominum, rursus multitudo temporum progressu incrementum accepit, & propter naturæ imbecillitatem confociantur; necessarium est, eum qui & robore corporis, & animi fiducia reliquis est præstantior, obtinere principatum, & imperium: ubi verò congregationibus istis temporum cursu conuictus, & consuetudo accessit, tunc regni principium nascitur: ac tunc primum mortales de honesto, & iusto, & similiter de illis, quæ hisce sunt contraria, cogitare incipiunt.

Irenæus lib. 5. aduersus hæreses.

9. Non determinauit dæmon huius seculi regna, sed Deus. Nam per Salomonem ait Verbum: Per me reges regnant. & Paulus apostolus: Omnibus potestatibus sublimioribus subiecti estote, non enim est potestas, nisi à Deo. & iterum de ipsis ait: Non sine

causa

causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè operatur. quoniam enim absistens à Deo homo in tantum efferauit, ut etiam consanguineum, hostem sibi putaret, & omni inquietudine, & homicidio, & avaritia sine timore versaretur: imposuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoscebant timorem Domini) ut potestati hominum subiecti, & lege eorum astricti, aliquid assequantur iustitiæ, & moderentur ad inuicem, manifestò positum gladium timentes.

Idem paulo post.

Ad utilitatem ergo gentiliu terrenu regnum positu 10
est à Deo (sed non à diabolo, qui nunquam omnino quietus est, immo, qui nec ipsas quidē gentes vult in tranquillo agere) ut timentes regnum humanum, non se alterutrum homines vice piscium consumant, sed per legum positiones repercutiant multiplicem gentiliu iniustitiam: manifestum est igitur, quoniā diabolus mentitur, dicens: Mihi tradita sunt regna, & cui volo do ea: Cuius enim iussu homines nascuntur, huius iussu & reges constituuntur, apti his, qui illo tempore ab ipsis regantur: quidam enim illorum ad correctionem & utilitatem subiectorum dantur, & conseruationem iustitiæ: quidam autem ad timorem, & pœnam, & increpationem: quidam autem ad illusionem, & contumeliam, & superbiam, quemadmodum & digni sunt Dei iusto iudicio in omnibus æqualiter superueniente.

Vidalib. 2. de Reip. dignitate.

Imperium gentium initio delatum fuit ad vnum 11
iustum simul & sapientem habitum, ut ille præesset cæteris, existeretque vnus in ciuitate iusti & equi custos,

H stos,

stos, ac vindex: quæ sunt firmissima vincula ciuitatû, gererétque vnius ciuitatis personam, & communi utilitati feruens ciues sibi subiectos æquitate, & fide defenderet, essétque cæteris virtutis specimen.

Et paulò post.

12 Principes enim uerò, & qui aliis præsunt, tales esse oportet, ut cogitent, ciuium se potius patrocinium suscepisse, quam imperium, aut dominationem. talesque rectores Plato non dominos, sed reipublicæ seruatores vocat: in quorum tutela tutò, ac liberè uiuitur, nulliusque rei cura illis maior incumbat, quam ciuium libertatis, quæ ab æquitate proficiscitur; cuius nihil est magis proprium, quam pari iure uiuere in multitudine.

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

13 A principio reges creati sunt, ut miseros & afflictos à tyrannidis crudelitate liberarent. potissimum autè eorum munus erat iudicare. itaque iudiciorum seueritate scelera coercerant, & unicuique quod suum erat tribuebant. postea uerò ad vim hostium propulsandam, imperatores etiam exiuerunt. *ut ibidem eleganter idem auctor ostendit.*

Seneca lib. 1. de clementia.

14 Animus reipublicæ princeps est: ille uinculû est, per quod respublica cohæret: ille spiritus vitalis, quem tot millia hominum trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus, & præda, si mens illa imperij subtrahatur. Rege incolumi mēs omnibus vna est, amisso rupere fidem.

NEQVE

NEQVE SORTIBVS, NEQVE
SVFFRAGIIS REGEM ESSE
CREANDVM. CAP. V.

Lib. 2. & 3. Regum.

Regnauit Hanon pro patre suo, & Salomon pro I David, & innumerabiles alij.

Philo in lib. de creatione principis.

Quibusdam placet, sortito creati principes, nullo sane subiectorum commodo: fors enim ad felicitatem, non ad virtutem attinet. itaque sæpe accidit, ut ad principatum fors euehat, quos vir bonus non ferret in subditorum numero. Non ergo decet dominium, principatûque integrarum ciuitatû, & gentium, sorti committere, lubricæ rei, pendentis à fortuna instabili.

Sanctus Chrysost. in epistolam ad Ephesios, sermone 2.

Sors res est casus fortuiti, non item voluntatis liberae, aut virtutis vllius: ignorantiam enim habet sibi adiunctâ, & consecutione rei optatæ; sed quæ à fortuna pendeat; ut plurimum posthabens eos, qui cæteris prælucent virtute, illis interim promotis, quos ne ratione vlla dignos iudices.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 10.

Reges quidè ab ipso statim initio electione creati sunt.

Basilii Magni exameron Homil 8.

Est apibus non electus rex, sæpe enim vulgus iudicio carens, pessimû ad principatum euehit: neque sorte potestatem adeptus, absurdi enim sortium casus, in extremum omnium sæpe potestatem conferentes. *Diuis Ambrosius lib. 5. exameron, c. 21.*

Rex non sorte ducitur; quia in sorte euentus est;

H 2 non

non iudiciū, & sæpe irrationabili casu, forte melioribus vltimus quilibet præfertur: neq; imperitiæ multitudinis vulgari clamore signatur, quæ non merita virtutis expendit, nec publicæ vtilitatis emolumenta rimatur, sed mobilitatis nutat incerto.

Bonfinius libro 30. rerum Vngaricarum.

7 Nunquã reges sine aliqua secessione creati queunt. Nam cum variæ sint hominum mentes, & diuersa studia, nunquã vno consensu res, quæ tanti momenti est, decerni potest.

Biesius lib. 1. de republica.

8 Nonnunquam per electionem principes fiunt, & quanquam hæc suas vtilitates habeat, tamen ab iniusto favore corrumpi fermè solet: & etiã si fuerit electio incorrupta, potius eos assumet principes, quorum maiores imperium rectè gubernarunt. Nos certè tales ad optimè constitutam rempublicam regendam accommodatissimos fore speramus: Nam filij parentibus similes esse solent, & à magnis causis effecta quoque magna prouenire.

Idem paulò post.

9 Non tantum, quia natura transfert similitudinem à parentibus in filios, imperiorum successionem laudamus; sed etiam, quia maiorem illi quoque earum rerum curam gerunt, quas putant ad alios possessores non esse peruenturas: & hi quemadmodum scriptum est apud Herodotum, cum ad alia cuncta, tum etiã ad reipublice gubernationem melius instituuntur, cui sunt ab ipsa natura, hominumque iustissimo consensu destinati. Ad hæc, successio multò securiorem reipublicæ statum reddit: novos principes rarò sine magno periculo, sæpe cum magna ciuitatū pernicie vide-

videmus esse creatos. Nam cum multis eadem est proposita spes imperij, non potest frequenter respublica periculosissimis motibus non concuti: non potest perditissimis seditionibus nõ discerpi. His igitur, & aliis rationibus persuasi, putamus esse multo melius, vt à bonis parentibus filij similes principatum consequantur.

Herodotus lib. 7.

Apud vniuersos homines institutum est, vt maximus natus liberorum obtineat parentū principatum.

Iustinus historicus lib. 16.

Ptolemæus contra ius gentium, minimo natus ex 11 filiis, ante infirmitatem regnum tradiderat.

Ferus in Exodum cap. 1.

Mutatio regni prima causâ fuit afflictionis populi dei: vt plurimum enim, vbi nouus rex, ibi noua lex, & plerunque deteriora sequuntur.

Idem Ferus in Eccles. cap. 10.

Væ tibi terra, cuius rex puer est, id est, puerilibus moribus. Vult autem indicare summum esse malum, ac certissimum diuinæ iræ signum, cum stultus contingit princeps: sicut è contrario, prudens & cordatus princeps, decens medium est ad religionis totius incolumitatem, & pacem promouendam, conseruandamque. Si igitur contigerit bonus princeps, gratias agamus: nam magnum Dei donum est bonus princeps: si verò malus contigerit, oremus Deum, & pro ipso, & pro nobis: nam magnū malum est princeps malus.

Danielis 4.

Cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit

H 3 illud.

illud. & alibi: Per me reges regnant. *Prouerb. 8.*

Iob 34.

- 15 Deus regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. & alibi ait: Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

Alexius lib. 1. de republica Christiana.

- 16 Ab ipsis cunabulis nihil aliud princeps, quam assentationes audit. & cū suapte natura turgidus homo sit, & ad omnem arrogantiam propensior, neminem, qui dehortetur, neminem qui dissuadeat, quin omnes ad hanc perniciem inuident, inuenire fas est. non desunt, qui principis instillent auribus, omnes omnium facultates esse principis: principem esse superiorem legibus: principem omnem legum vim, omnem consiliorum mundum in pectore reconditum habere: non miramur regum errata, sed execramur adulatorum approbationes, & congratulationes: homo rex est, non Deus. quapropter nihil mirum, si nonnunquam aberrat ab scopo, præsertim partitus negotiis, &c.

DE REGIS EXCELLENTIA.

CAP. VI.

I. Petri 2.

- 1 Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus, tanquam ab eo missis.

Plato in tertio de republica,

- 2 Socratem inducit, qui per similitudinem quædam homines à Deo sic genitos esse tradit, ut qui apti futuri essent ad imperandum, iis aurum admisceret: qui verò his futuri essent auxilio, eis argentum; æs autem, & ferrum futuris agricolis, & opificibus: quod ad ingenium

ingenium potissimum, & virtutes naturales referendum est.

Ephantes apud Stobæum sermone 47.

Diuiniior inter homines rex est, ut qui multum supra communem naturam emineat, corpore reliquis non dissimilis, utpote natus ex eadem materia, sed ab optimo artifice factus, qui fabricauit ipsum archetypo ex sese sumpto.

Diotogenes in lib. de Regno.

Ciuitas ex multis diuersisque concinnata, mundi structuram, & harmoniam imitatur. Rex autem imperium gerens, nulli obnoxium, & lex viua existens, Dei figuram inter homines repræsentat.

Quidam poëta Græcus.

Imago rex est animata Dei.

Stobæus in admonitionibus de regno, sermone 48.

Rex vnicus, & excellens quoddam opus est, immo imago superni illius regis, creatori suo semper familiaris, à subditis verò in regno tanquam lumine conspicua.

Idem sermone de legibus.

Persis lex erat, ut à morte regis, legum, & iuris intermissio per quinque dies fieret: nimirum, ut intelligerent subditi, in quanto pretio regem, ac legem haberi deceat.

Plutarchus lib. de doctrina principis.

Principes ministri sunt Dei ad curam, ac salutem hominum; uti bona, quæ Deus illis largitur, partim distribuunt, partim seruent.

Et post pauca.

Princeps Dei simulachrum est, administrans vniuersa. quemadmodum enim Deus in cælo pulcher-

H 4 rimus

rimum sui ipsius simulachrum constituit solem, ac lunam: talis est in republica imago, ac lumen princeps, qui Dei reuerens, iustitiam tuetur.

Idem in lib. de disputat. Philosoph.

- 10 Nec censebat priuatos homines esse Deorum discipulos, sed reges: quibus si contigerit rectum consilium, iustitia, probitas, fortitudo; continuò futurum est ut omnes adiuuentur, fructumque capiant, qui cum eis habent commercium.

Auerroës in libros Platonis de Rep. tractatu 3.

- 11 Beatissimus omnium rex probus est; miserimus verò, ac detestatissimus tyrannus.

Xenophon lib. 8. de patria Cyri.

- 12 Bonus princeps, lex videns est.

Iustinianus de consulis, constit. 105.

- 13 Imperiali fortunæ Deus ipsas etiam leges subiecit, ipsa hominibus quasi animata quadam lege dimissa.

QVAM SIT VENERABILIS

MAIESTAS REGIA.

CAP. VII.

Dionysius Petrus prioris epistola, cap. 2.

- 1 Deum timete, regem honorificate.

Seleucus in proœmio Legum.

- 2 Cunctos oportet obedire legibus, principes reuereri, eisque exurgere, & quod præcipitur facere: siquidem post Deos, proximis honoribus afficiuntur parètes, leges, ac principes, apud homines qui mentem habent, & incolumes agere student.

Charondas in proœmiis Legum.

- 3 In principes, veluti parentes, beneuolentia nos affectos esse decet: obedientes, ac venerantes ipsos.

Nam

Nam principes etiam patroni, & domini sunt ciuitatis, ac ciuium salutis.

Thoma Mori epigramma.

Totum est vnus homo regnum, idq; cohæret amore: 4

Rex caput est, populus cætera membra facit.

Rex quot habet ciues, (doler ergo perdere quæquã)

Tot numerat partes corporis ipse sui.

Exponit populus sese pro rege, putatque

Quilibet hunc proprii corporis esse caput.

Plutarchus in Themistocle.

Artabanus cū Themistocle loquens, inquit: Hopes, vobis propositum est, libertatem, atque æqualitatem maximè admirari; nobis verò, id est Persis, cū multæ atque pulcherrimæ sint leges, illa omnium honestissima est, obseruare regem, simulachrumque Dei, omnia seruantis, adorare. Si igitur nostris legibus parere volueris, regemque adorabis, fas erit tibi intueri regem, atque alloqui: si tibi autem alia mens est, internuntiis tibi cum rege utendū erit: non enim patrium est, regi hominem minus adorantem audire.

Stobæus sermone de Legibus.

Persis regi gratias agit, qui flagellari ab eo iussus fuerit, tanquam feliciter secum actum sit, quod rex memor ipsius fuerit.

Cyrillus lib. de recta fide ad Theodosium.

Vos estis summarum dignitatum fontes, & supra omnem eminentiam, humaneque felicitatis principium, ac origo.

Orosius lib. 5. de Regis institutione.

Sæpenumero venit in mentem mihi admirari, quid sit illud, quod impulerit hominum multitudinem, ad tantum honorem vni homini deferendum; ut illum

H 5 omnes

omnes ament, illi obtemperent, illi seruiant, & illius vultu pendeant; illum denique in Dei locum venerentur. quod quidem non temerè, neque sine causa fieri videtur. id enim, quod in omni loco ab omnibus tanta consensione fit, nec ad fortunæ temeritatem, nec ad hominum statuta, sed ad naturæ legem videtur esse referendum. & cætera.

Chrysof. in Psalm. 44.

9 Quemadmodum thronus est regni signum: ita etiam virga, & regni, & iurisdictionis.

Diuis Thomas lib. 1. de regimine Principum, cap. 7. cum seq.

10 Nec honor, neque mundi gloria, nec diuitiæ, nec voluptates, probi regis præmia sunt; sed beatitudo, & corona gloriæ, quas Deus præparauit bonis regibus in æternum; ipse enim est, qui dat salutem regibus, & salus eius in sempiternum erit. nihil terrenum sufficiens præmium est boni principis, nec enim, ut Augustinus inquit, Christianos principes, quia diuitiis imperarunt, vel imperatores filios morte placita reliquerunt, vel hostes reipublicæ diminuerunt, vel ciues aduersum se insurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt, felices eos dicimus; sed si iustè imperant; si malunt cupiditatibus potius, quàm gentibus quibuslibet imperare: si omnia faciunt, non propter ordinem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ, tales imperatores Christianos felices dicimus, interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod exspectamus, aduenerit.

D E

DE RELIGIONE PRINCIPIS.

C A P. VIII.

Esther cap. ult.

Altissimi, & maximi, semperque viuentis Dei beneficio, & patribus nostris; & nobis regnum est traditum, & vsque hodie custoditur.

Proverb. 29.

Cum impij sumpserint principatū, gemit populus.

Plato in Epinomide.

Maiorem verò virtutem religione, pietatèque in Deum, nullam in genere humano inueniri quisquam sibi persuadeat.

Lactantius lib. 3. cap. 10.

Summum igitur bonum hominis in sola religione est. Nam cætera, etiam quæ putantur esse homini propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur.

Clemens Papa lib. 1. de constitutionibus Apostolicis.

Lege Regum libros, ut intelligas, quot reges iustè vixerunt, eos à Deo auctos fuisse, & iis promissionè vitæ æternæ apud ipsum permanisse: quot verò reges à Deo defecerunt, rebellionem suam breui tempore interiisse, iusto Dei iudicio, & vita eos priuatos fuisse, & pro requie, æternum supplicium consecutos.

Sanctus Ambrosius de obitu Theodosij.

Licet Constantino baptismatis gratia in vltimis constituto, omnia peccata dimiserit, tamen quòd primus imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus reliquit, magni meriti locum reperit.

Idem diuis ibidem.

Theodosium imperatorem dilexi virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu ecclesiarum, quàm de suis periculis angebatur.

Nicephorus

Nicephorus lib. 13. Eccle. histo. c. 1.

- 8 Theodosius moriens nihil aliud filiis mandavit, quam ut veram pietatem integram seruant, per quam eos asseueravit pacem habituros, & bella sopituros, tropæaque excituros, & victoriam à Deo consecuturos esse.

Cyrellus lib. de recta fide ad Theodosium.

- 9 Gloriosa in Deum pietas regis honoribus immobile fundamentum est. impij reges miseri, ac mali malè pereunt: contra vero pietatis cultores sine labore vincere solent, & aduersariis præualere.

Epistola, inter claras c. de summa Trinitate.

- 10 Nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe. Nihil est quod ita nequeat occassui subiacere, quam vera religio.

Lex Theodosij, & Valentiniani, libro legum Nouellarum Theodosij, tit 2.

- 11 Inter cæteras sollicitudines, quas amor publicus peruigili nobis cogitatione indixit, præcipuam imperatoris maiestatis curam esse perspicimus, veræ religionis indaginem: cuius si cultum tenere poteris, iter prosperitatis humanis aperimus inceptis.

Idem Imperatores inter Cyrilli epistolas in 17.

- 12 A pietate, quæ in Deum est, reipublicæ nostræ constitutio pendet, & multa utrinque est cognatio, & societas: cohærent enim inter se, & altera alterius crescit incremento, ita ut vera religio iustitiæ studio; respublica verò ab utrisque adiuta resplendeat.

Iustinianus de conceptione Digestorum.

- 13 Deo auctore nostrum gubernante imperium, quod nobis à cælesti maiestate traditum est, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum rei-publicæ

publicæ sustentamus, & ita nostros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium, ut neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum ducibus vel nostro ingenio; sed omnem spem ad solam referamus summæ prouidentiam Trinitatis: unde & mundi totius elementa processerunt, & rerum dispositio in orbem terrarum producta est.

Leo Magnus ad Martianum Augustum epistola 42.

Magnam materiam gratulationis accepi, quia studiosissimos vos ecclesiasticæ pacis agnouisti: cui sancto desiderio, digna æquitate confertur, ut quem statum esse cupitis religionis, eundem habeatis & regni.

Idem diuus ad Theodosium Augustum epistola 11.

Pro integritate fidei catholicæ Christianissimum principem conuenit esse sollicitum.

Idem ad eundem epistola 25.

Fauete catholicis vestro more, parentumque vestrorum: date defendendæ fidei libertatem, quam salua clementiæ vestræ reuerentia, nulla vis, nullus poterit mundanus terror auferre; cum enim ecclesiæ causa statum regni vestri agamus, & salutis, ut prouinciarum uestrarum quieto iure potiamini, defendite contra hæreticos inconcussam ecclesiæ statum, ut & uestrum Christi dextera defendatur imperium.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 11.

Curandum est regi, atque etiã tyranno, ut Deum, religionemque semper egregiè colere videatur. Nam minus iniuriam homines à talibus hominibus metuunt, cum principem religiosum esse, ac Deum ueri putant: minusque insidiantur ei, qui Deum auxiliarem habere videatur.

Plutar-

18 Venerandi sunt à principibus dij, & per pietatem in honorem eorum opibus est vtendum: magnopere enim affici multitudo solet, & in opinionem adduci, colendos, venerandósq; esse immortales deos, quando pietatem eorú conspiciunt, quos ipsi maximi ducunt, tam magnificè, & alacriter diuina prosequentiú, atque tot sumptus haud grauatè impendentium.

Lex Constantij lib. 26. Codic. Theod. tit. 2.

19 In qualibet ciuitate, in quolibet oppido, vico, castello, municipio, quicumque voto Christianæ legis, meritum eximie singularisq; virtutis omnibus intimauerit, securitate perpetua potiat. Gaudere enim, & gloriari ex fide semper volumus, sciétes magis religionibus, quàm officiis, & labore corporis, vel sudore, nostram rempublicam contineri.

20 Liuthprandus rex Lōgobardorum, admodú pius, qui plurima castra Baiouariorú cepit, plus semper orationibus, quàm armis fidens, multas ecclesias construxit, & intra suum quoque palatium oratorium Domini saluatoris ædificauit, & quod nulli alij reges habuerát, sacerdotes, & clericos instituit, qui ei quotidie diuina officia decantarent. *auctor Paulus Diaconus lib. 6. de gestis Longobardorum, cap. 17. & 18.*

Biesius lib. 4 de republica.

21 Princeps intentissimis oculis ad diuinam voluntatem semper aspiciat, ad eam instituat omnium rerum, cum priuatarum, tum publicarum gubernationem. Itaq; opere pretiú est, vt principes sancti sint, & prudentes, bonisq; cōsultoribus, & eruditis vtantur: aulas eorú oportet esse gymnasia quædam sapientiæ & pietatis: vnde ciues omnes omnium virtutum exempla sumant.

Orosius

Orosius ad reginam Angliæ.

Deus est cuius numine, consilio, voluntate, regna 22 nascuntur, augentur, atque retinentur: cuius mente, atque ratione gubernantur: cuius ope & auxilio fulciuntur: cuius denique offensione labuntur, & concidunt, atque delentur. Princeps igitur, qui velit munere suo perfungi, & sibi commissum imperium aptè moderari; eam primùm curam suscipiat opus est, vt religionem purè, atque sanctè colat, assiduísque precibus opem à Deo imploret; & statuatur, omnem regni feliciter administrandi rationem numinis placatione contineri.

Idem post aliqua.

Cùm igitur nemo regium munus obire sine ad- 23 mirabili sapientia, sine egregio dignitatis exemplo, sine roboris inuicti constantia possit; & nulla ex istis laudibus è terra nascatur, sed omnes è cælo diuinitus orientur: constat certè omne regis officium esse in religionis sanctissimam rationem conferendum: soli namque sapientes, & moderati, & fortes habendi sunt, qui Deo totius sapientiæ, & honestatis, atque virtutis principi, & architecto, sunt purissimè religionis fœdere deuincti. quòd si neque regnum, neque ciuitas, neque domus vlla sine imperio constare potest, imperium autem religionis puritate sancitur, nihil profectò, religione vtilius, atque salutaris ad hominú multitudinè continendá excogitari potest.

Et paulò procul.

Postremò, cùm omnis respublica principum mo- 24 res imitetur, necesse profectò est, vt si princeps fuerit egregius pietatis atque religionis cultor, vniuersa respublica sese eadem religione constringat. religio

gio autem cupiditatem refranat, petulantiam comprimit, insolentiam frangit, temeritatem, & audaciã coërcet, hominẽsque modestos reddit, & legibus atque legum custodibus obsequentes.

Ex diuo Thoma lib. 2. de regi. prin. cap. vii.

- 25 Diuino cultui rex toto conatu incumbere debet, tanquam debito fini: non solum quia homo est, verum etiam, quia dominus, & quia rex est. omnes autem reges, qui religiosi fuerunt, suum cursum feliciter consummauerunt: qui verò contrà infelicem consecuti sunt exitum, tradunt etiam historici, quòd in qualibet monarchia ab initio seculi, tria se inuicem comitata sunt; diuinus cultus, sapientia scholastica, & secularis potestas: quæ quidem tria se inuicem per ordinem consequuntur.

Cicero de aruspicum responsis.

- 26 Nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos; sed pietate, ac religione omnes gentes, nationesque superauius.

Basilus Magnus in Psalm. 32. concione 8.

- 27 Non militaris potentia munimentum, non muri urbium, non pedestris phalanx, non equestris potestas, non nautici roboris apparatus regi salutem vendicat; Dominus enim constituit reges, ac deponit: saluatur igitur rex non per multam virtutem, sed per diuinam gratiam; non saluatur per armorum potentiam, sed per manuuctionem diuinam. In manu autem Dei est, non rex quilibet, sed qui dignus est regis appellatione. Definiuerunt porro quidam regnum esse legitimam praefecturam, aut principatum super omnes non obnoxium peccato.

Baptista

Baptista Fulgosi lib. I. cap. I.

Romanus senatus adeò semper magni religionem fecit, ut quemadmodum Varro scripsit, quouiescunque senatum magistratus coëgisset, id ipsum, quod primò proponebatur, ad religionem pertineret, nullaque quanquam grauior causa, vel quæ celeritatem requireret, huc morem anteuertebat: ut publicorum consiliorum, quemadmodum etiam aliarum rerum, diuino cultui primæ partes darentur.

Iustinianus constitutione nouella, 42. de episcopis, & clericis, restituta ab Antonio Augustino.

Sed nos omni prouidentia curam ecclesiarum gerimus: per quas, & imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei, ac gratiam muniti credimus. &c.

Diuus Gregorius Mauricio Augusto epistola 76. lib. 4.

Piissimus, atque à Deo constitutus Dominus noster, inter cæteras Augustorum pòderum curas, conseruandæ quoque sacerdotali charitati rectitudine studij spiritualis inuigilat: videlicet piè, veraciterque considerans, neminem posse rectè terrena regere, nisi nouerit diuina tractare, pacemque reipublicæ ex vniuersalis ecclesiæ pace pendere.

Idem diuus Mauricio Tiberio Augusto epistola 163. lib. 4.

Inter armorum curas, & innumeras sollicitudines, quas indefesso studio pro Christianæ reipublicæ regimine sustinetis, magna mihi cum vniuerso mundo lætitiæ causa est, quòd pietas vestra custodiæ fidei, qua dominorum fulget imperium, præcipua sollicitudine semper inuigilat: vnde omnino confido, quia sicut vos Dei causas religiosæ mentis amore tuemini, ita Deus vestras maiestatis suæ gratia tuetur, & adiuvat.

I

Idem

Idem regina Francorum epistola 57. lib. 9.

32 Facite quod Dei est, & Deus faciet quod vestrum est.
Nicephorus in dedicatione historiae Ecclesiasticae.

33 Perspectum est, ad imperij praesidium solam pietatem, & rei diuinae sedulum cultum sufficere, reliqua autem cum his comparata nihil esse.

Idem lib. 7. cap. 46.

34 Constantinus imperator publicitus omnes cohortatus est, ut in primis diuinum numen pie colerent; ita enim fore, ut omnia eis abunde prorsus suppetant, omniaque coepa cum spe optima feliciter cedant: si a pietate tali, & veri Dei religione aberrarent, nihil eos & pace, & bello, quam res aduersas expectare debere, confirmans.

Hierocles in versibus Pythagorae.

35 Ut religio omnium virtutum mater est, ita a religione discessio omnium vitiorum dux.

Alexius reip. Christiana dialogo 1.

36 Sicuti bestiae (ait Plato) nequeunt a bestiis feliciter sine homine duci, ita nec homines ab homine sine Deo.

Orosius lib. 1. de Regis institutione.

37 Constat omnes virtutes religionis gremio atque sinu contineri.

Idem lib. 4.

38 Nulli flagitio affinis esse potest is, qui religionem vnicè colit. omnium enim virtutum fons & origo & incrementum & perfectio, denique & absolutio, vna religione continetur.

Idem lib. 6.

39 Quid de Hispania dicam, in qua post illius euer-
sionem & vastitatem a Mauris propter crimen im-
pietatis

pietatis illatam (erat enim Hispania, cum Mauri in-
illam inuaserunt, non solum luxu & delitiis effemi-
nata, verum etiam impiis erroribus infecta) nullum
vnquam proelium, postquam Hispani ad officium re-
diere, contra Mauros prosperè pugnatum fuit, in-
quo non appareret, nostros magis pietate & religio-
ne, quam armis victoriam fuisse consecutos. &c.

Idem Orosius lib. 8.

Si rex nihil habuerit studio religionis atque pieta-
tis antiquius, nunquam erit diuina ope & auxilio de-
stitutus, & a Deo disciplinam hauriet, qua munus si-
bi assignatum sapièter obeat, & omnia negotia regni
cum summa felicitate conficiet.

Et post aliqua:

Præclare Salomon: Sicut diuisiones, inquit, aqua-
rum, ita cor regis in manu Domini; quocunque vo-
luerit, impellet illud. Non de tyranno loquitur, cuius
mens a Deo semper auersa est; sed de rege, qui se
totum ad studium caelestis regis adiunxerit.

DE IUSTITIA REGIS.

CAP. IX.

Proverbiorum 29.

Rex iustus erigit terram, rex qui iudicat in verita-
te pauperes, thronus eius in aeternum firmabitur.

Ibidem cap. 14.

Iustitia eleuat gentes, miseros autem facit popu-
los peccatum; vbi quidam rectè inquit: Salomon do-
cet iustitiam, si in gente aliqua vigeat, extollere illam,
& celebrem, magnamque reddere: contra, peccatum
causam esse, ut populi variis afficiantur miseriis, &
calamitatibus: ut ne fortuito hæc accidere putemus,

I 2

sed

sed ex iusta Dei mundum gubernatis distributione, di canque principes, recipuā sibi curam habendā, vt iustitia in suis regnis floreat, si bene illis velint.

- 3 Quamuis monarchiā virtutibus omnibus oporteat præditum esse; religione tamen, atque iustitia maximè debet excellere: vt enim Iustinus ait, incredibile est, quantum regna coalescant, in quibus iustitia permitta est cum religione.

Cicero lib. 2. Officiorum.

- 4 Mihi quidem non apud Medos solū (vt ait Herodotus) sed etiā apud maiores nostros, seruandē iustitiā causa videntur olim bene morati reges constituti. Nam cum premeretur inops multitudo ab his, qui maiores opes habebāt, ad vnum aliquem confugebant virtute præstantem, qui cum prohiberet iniuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari iure retinebat.

Plutarchus in Demetrio.

- 5 Nihil tam egregium, tamque proprium regis esse videtur, quā iustitię opus: Mars enim, vt Timotheus inquit, tyrannus est; lex autem omnium rex, iuxta Pindari poëtę sententiā: atque reges, vt inquit Homerus, non expugnatrices vrbum machinas, æratas naues; sed iustitiam à Ioue sumptam exercere, custodirēque decet.

Idem in Aristide.

- 6 Iustitia quidem causa est, cur principes amentur, honorentur, colantur.

Idem in Agesilao.

- 7 Cum dicerēt Agesilao, quædam magno regi placere: Nihil (inquit) maior est ille me, nisi sit iustus etiam magis. rectè præclarēque putans, iustitia velut
mensura

mensura quadam, quantū quisque præcellat regum, existimari debere.

Eusebius apud Stobæum sermone de magistratu.

Ad regnandum promorus es, vt imperio tuo subditos ab aliorum insidiis securos, atque tuto custodires: & vt custos esses recti, & magnæ deæ iustitiæ minister, ac interpretis. Itaque si quid, admiseris præter eius sententiā, aut deceperis ipsam, velut in deā maximam delinquens, tum ab ipsa, tum à constitutis circa eam genis, custodibus, & vltoribus pro factis vindictam expectato.

Musonius apud eundem in admonitionibus de Regno.

Opus est, regem, vt veteribus videbatur, viuam esse legem, equitatem & concordiam machinantem: iniquitatem verò, ac seditiones arcentem, animoque in subditos paterno, Iouem æmulantem.

Diotogenes in lib. de Regno.

Citra iustitiam nullus rex esse poterit: neque iustitia citra legem. Iustum enim per legem iustum est: lex autem efficiens causa iusti. Porro rex, aut est lex viuua, aut legitimus princeps. Ideoque iustissimus, & maximè legitimus.

Diuus Augustinus lib. 4. de ciuitate Dei cap. 4.

Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?

Diuus Gregorius lib. 7. epistola 120.

Summum in regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuiusque iura seruare, & subiectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod equū est custodire.

Paulus Amylius lib. 8.

Iusti legitimique reges nulli rei plusquam iustitiæ debent: maius enim certiusque patrimonium, ac am-

phiores facultates ab eâ acceperunt, quàm à parentibus. illi enim opes, arma, arces, præsidia tradere potuerunt, ut veri, iusti que sint, haberenturque ipsi, ac liberis deinceps per manus eadem relinquât: id munus reginæ sit. cur enim iustitiam reginam vocitare dubitemus? quæ regna tradat, tueatur, sancta efficiat; adeo, ut etiam, si id verum credatur, quod & proceres sapientiæ nonnulli dixere, iustum plus aliis prædesse, quàm sibi: dissimulari tamen non possit, veros reges, eosque in primis, qui regibus orti generaturi reges sint, ei reginæ accepta omnia ferre debere: quam & ipsos in se colere, & cæteris præstare conueniat; & (ut omnia simul complectar) religionis, moderatio- nis, fortitudinis, prudentiæ, liberalitatis, iustitia pa-rens est: nec diuelli à rege potest incolumi regio no- mine.

Chrysoſt. in Psalm. 5.

14 Domine deduc me in iustitia tua, rectè dixit, iustitiam tuam. est enim etiam hominum iustitia, quæ ex externis legibus proficiscitur; sed vilis, & quæ nihil habet perfectum, & absolutum, & constat ex humanis cogitationibus: ego autem tuam peto iustitiã, quæ à te delata est, quæ deducit in cælum.

Sanctus Ambrosius in Psalm. 118. sermone 16.

15 Sola iustitia est, quæ omnibus temporibus, aliis potius nata, quàm sibi, quotidiano usu, & fructu publico, suo dãmno alienas custodit utilitates, quæ nihil habeat utilitatis, & plurimum laudis.

Diuus Hieronymus in lib. 2. Paralip.

16 Rex & populus obedire Deo debet, & legi eius: populus erga regem fideliter agere, & rex populum cum iustitia regere.

Orosius

Orosius lib. 4. de Regis institutione.

In studium iustitiæ omnes regis curæ & cogitatio- 17 nes, omnes labores atque vigiliæ; omnia deniq; studia consumenda sunt: ea namque à principio reges creauit: ea populorum vulnera sanat: motus omnes comprimit: pacem & otium cum dignitate cõstituit: vires reip. firmat: opes & imperium auget: Dei numen piè atque sanctè veneratur. Nulla gens, nulla ciuitas, nullus hominum cœtus, nulla postremò domus sine iustitia potest salua consistere.

DE CÆTERIS VIRTUTIBVS

REGVM. . CAP. X.

Numeri 12.

Erat Moyses vir mitissimus, super omnes homi- 1 nes, qui morabantur in terra.

Psalm. 131.

Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudi- 2 nis eius.

Cicero pro lege Manilia.

Frugi hominem dici non multum laudis habet in 3 rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, & mansuetum: hæ sunt regis laudes.

Apollonius Thianeus Domitiano imperatori scri- 4 bens, inquit, Ut potentia tibi est, pariter & prudentia opus est: alterum altero indiget, quemadmodum visus luce, & lux visu.

Aristot. lib. 3. Polit. cap. 3.

Virtutum sola prudentia est imperium obtinentis 5 propria. Nam cæteræ necessariò communes esse videntur imperantibus cum iis, quibus imperatur.

I 4 *Naſian-*

Nazianzenus oratione 16.

6 Nulla ex omnibus re Deus perinde, ac misericordia colitur; quoniam nil aliud tam peculiare est Deo, quam illa, ante quem misericordia, & veritas gradiuntur, & apud quem misericordia iudicio præpõderat.

Basilii Magni exameron homil. 8.

7 Est quidem aculeus apum regi, sed non vitur eo ad ultionem. leges quædam hæ sunt naturæ non scriptæ, ut tardi sint ad vindictam, qui ad maximas potentias sunt euecti.

Nicephorus lib. 14. cap. 3.

8 Theodosius iunior, cuidam dicenti, neminem ab eo, illorum, qui iniurij ei fuissent, morte mulctatum esse, respondit, vinam eos etiam in vitam reuocare possem, qui iam dudum mortui sunt.

Claudianus lib. 12.

9 Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Baptista Fulgosi lib. 2. cap. 1.

10 Ægyptio regi peracto sacrificio sacerdotes quotidie hominum, qui virtute excelluissent, exempla legebant, ac deinde præsentis regis laudatis virtutibus, ante omnia clementiam eius extollebant.

Cicero lib. 1. de Legibus.

11 Ut cupiditatibus principum, & vitiis infici solet ciuitas; sic emendari, & corrigi continentia.

Plato in primo Alcibiade.

12 Virtute prius ornatus ipse debet esse, quicumque non sibi tantum, ac suis, sed reipublicæ etiam, & iis, quæ ad eam spectant, imperaturus est.

Philo lib. de charitate.

13 Quemadmodum ad prosperam navigationem opus

opus est bono, peritòque governatore; sic etiam sapiente principe ad tuendam tranquillitatem bene constitutæ reipublicæ.

Dio Chrysof. oratione 3. de Regno.

Cui maiore opus est prudētia, quam ei, qui de rebus maximis deliberat? cui sinceriore iustitia, quam ei, qui legibus est ipsis maior? cui maiore animo, quam ei, cuius omnia viribus seruantur? cui abstinentia, & sobrietate maiore, quam ei, cui omnia licent? quem magis oblectare debent virtutis exercitia, quam eum, qui omnes homines animi sui spectatores habet, ac testes? & cuius gesta nihilo magis latere possunt, quam circumlustrantis solis lumen.

Idem in eadem.

Si benignus, si humanus, si legum cultor, si omni cura, & cogitatione populi salutem studeat, & utilitati; si aliis suam felicitatem impartiat, propriam commoditatem à populi utilitate non secernat, tum verè rex est, & potentia maximus.

Alexander Magnus in epistola ad Aristotelem.

Haud abs te rectè factum est, quod speculativas edidisti disciplinas; qua enim in re cæteris iam nos præcellemus, si ea quibus eruditi sumus studia omnibus cœperint esse communia? mallem enim singulari disciplina, quam potestate præstare.

Chrysof. de comparatione Regis, & Monachi.

Is demum verè rex est, qui iram, qui inuidiam, qui voluptatem cohibens, omnia sub Dei leges agit, mentem liberam seruans, neque patiens voluptatum dominationem animo suo imperitare: talem equidè regem libes viderem, & populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dantè. quisquis enim

I 5 animi

animi affectibus rationē magistram præfecerit, is paruo admodum negotio, & hominibus, vnà cum diuinis legibus præfici possit, vt eundem patris loco subditi habeāt, cum omni mansuetudine ciuitatibus consuetudinis suæ copiam facientem.

Idem homil. 1. in Matth. operis imperfecti.

18 Hoc autem notandum est, quod quicūque regum placuerunt Deo, diuitiis regnauerunt, & prosperati sunt; & inimicos eorum humiliavit Deus sub manibus eorum; quotquot autem malignè gesserunt, velociter, & à regno, & à vita cum amara morte præcisi sunt, & humiliavit eos Deus sub inimicis eorū.

Idem homil. 3. eiusdem operis.

19 Verè talis debet esse princeps, vt totus populus semper aliquid boni inueniat, quod imitetur in eo.

Cedrenus in Historiarum compendio.

20 Diuinus Isidorus, qui aliquando discipulus fuit Chrysofomi, Principem, inquit, & benignum esse oportet, & terribilem; vt qui rectè viuunt, rebus fident; & qui mali sunt, delinquere metuant. Nam si horum alterutrū absit, non imperiū est, sed cōfusio.

Ferus in Genesim cap. 40.

21 Sicut clementia honor est principi, sic honor regis iudicium diligit; & vbi totum punitur, regia seueritas crudelitate polluitur: vbi verò totum remittitur, facies maiestatis sine metu disciplinæ contemnitur.

DE VITIIS VITANDIS.

CAP. XI.

Iob. 12.

1 Deus immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuiū: palpabunt, quasi

quasi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet, quasi ebrios.

Ibidem cap. 34.

Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

Origenes in librum Iudicum, homil. 4.

Non semper princeps populi, & ecclesiæ iudex per Dei arbitrium datur, sed prout merita nostra deponunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini; dantur nobis principes secundum cor nostrum; & hoc tibi de scripturis probabo: audi namque quod Dominus dixit, Fecerunt sibi regem, & non per me; & principem, & non per consilium meum, Osee 8.

Chrysof. lib. 2. de compunctione cordis.

In regno positus quis, multa habet, quæ ad luxuriam, atque effusionē prouocent: necessitas ipsa conuiuij affluentis, & regij, quantum segnitiei, quantum putas resolutionis conferat animæ? tum deinde, vis potestatis, quantum elationis, & rursus, quantum rigoris imponit? sed & gloriæ cupido erigit necessario animos ad superbiam: libidinis quoque innumera confluunt incitamenta; quam gignit quidem potestatis auctoritas, nutriunt verò, & fouent deliciarū fomenta; & super omnia regalis luxus inflammat; curarum verò frequentia, velut imbribus infunditur, & perturbatur. Inter hæc autem omnia beatus Dauid multò ardentior in compunctione erat cordis, quàm hi qui solitudines videntur habitare.

Cicero lib. 3. de Legibus.

Non tantum mali est peccare principes (quamuis magnum est per seipsum malum) quantum illud, quod permulti

permulti etiam principum iratores existunt. Nec solum vitia concipiunt ipsi principes, sed ea infundunt in ciuitates: nec solum obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam, quod corrumpunt, pluresque exemplo, quam peccato nocent.

Egesippus libro 2. cap. 5.

6 Sicut boni principis vita, probitatis quaedam prescriptio, & vniuersis viuendi forma est; ita imperatoris colluuius, lex flagitiorum est.

Diuis Gregorius in lib. 1. Regum, cap. 15.

7 Mala certe potentum seculi, magna eis mala sunt; sed bona, quae proferunt, ad exemplum fidelium magis quam bona aliorum profunt.

Idem diuis paulo ante.

8 Quandoque mala regum, & terrae magnorum tolleranda sunt, ne exasperati ad peiora dilabantur.

Nicetas in vita Ioannis Comneni imperatoris.

9 Vt principis mores sunt, ita res ferè administrantur, utpote, à quo pendeant; qui si ignauus sit, ruunt in deterius: si bonus est, & strenuus, eriguntur, & florent.

Laertius lib. 7.

10 Rex Antigonus Zenoni philosopho haec post alia scripsit: Tu modis omnibus enitere, ut tuo cõubernio fruamur, certo sciens, non mei tantum, sed omnium simul Macedonum eruditorem fore. nam qui Macedoniae regem erudit, atque virtute imbuit, eum & subditos quosque instruere ad fortitudinem, & probitatem certum est. Nam cuiusmodi fuerit dux, tales ut plurimum subditos fieri necesse est.

Plinius lib. 4. Epistolarum.

11 Vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur.

Idem

Idem in Panegyrico ad Traianum.

Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil te-
ctum, nihil occultum esse patitur. Principum verò
non modò domos, sed cubicula ipsa, intimosque se-
cessus recludit, omniaque arcana noscenda famam pro-
ponit, atque explicat.

Claudianus lib. 12.

Hoc te praeterea crebro sermone monebo,

13

Vt te totius medio telluris in orbe

Viuere cognoscas: cunctis tua gentibus esse

Facta palam: nec posse dari regalibus vsquam

Secretum vitis. Nam lux altissima fati

Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes

Intrat, & obtrusos explorat fama recessus.

Galenus lib. de diebus decretoriis, cap. 4.

Mihi equidem frequenter in mentem venit, septi-
mi diei naturam regi assimilare, sexti verò tyrano: ille
siquidem clementer, tanquam bonus aliquis prin-
ceps, iis, quos iudicat, vel supplicij partem adimit,
vel illustrat victoriam; hic econtrario, vel pernicie
illius, quem iudicandum accepit, gaudet, vel salute
dolet, quærítque vbi animum expleat, & malè agrum
qui in ipsum incidit, tractet, & longa punitione exerceat.

Origenes in librum Numerorum, homil. 20.

Vides quae sit conditio principum populi: non so-
lum pro suis propriis arguuntur delictis, sed & pro
populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipso-
rum sit culpa quod populus deliquit, ne fortè non
docuerint, ne fortè non monuerint; neque solliciti
fuerint arguere eos, qui initium culpae dederint, ut
ne contagio dispergeretur in plures. haec enim omnia
facere oportet principes, atque doctores.

Diuis

Diuis Gregorius in Psalm. 5. penitentialem.

16 Nulla ratio finit, vt inter reges habeatur, qui destruit potiùs, quàm regat imperium.

Ferus in Exodum cap. 1.

17 Permittit nonnunquam Deus, vt mali principes opprimant subditos: primò, vt sic puniantur pro peccatis, si iustè & piè viuerent, mutare sciret & Deus corda principum: deinde ideo permittit huiusmodi oppressiones, vt suspiremus ad cælestem patriam. nõ igitur est, quòd seditiones moueamus contra tyrannos: non quid patiamur, cogitemus, sed quid meruimus: item non quid homines nobis imponât, sed quid Deus per hæc sibi velit.

DE OPTIMA REGIS
CUSTODIA. CAP. XII.

Proverb. 20.

1 Misericordia, & veritas custodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.

Plutarchus in Demetrio.

2 Regem Antigonom dixisse tradunt: Benevolentiam sibi semper visum optimum regni fundamentum, verissimumque præsidium.

Idem in Arato.

3 Vera, ac stabilis ciuium beneuolentia, optima principis custodia est. Latrones rupes, ac saxa incolunt, & præcipitiis se tutantur: Regi autem nihil fide, ac beneuolentia firmitus, nec munitius esse potest.

Idem Plutarchus alibi.

4 Nulla melior principis custodia, quàm vera, & firma eorum quibus præest beneuolentia. cum enim alluefacti fuerint multi, & potentes ciues, non principem

cipem formidare, sed pro illo timere, ac sollicitos esse: multis oculis videt, multis auribus audit, ac præsentur, quæ aduersus illum aguntur.

Democritus apud Antonium Melissam.

Amabilis esse eligas potius quàm terribilis; qui enim ab omnibus timetur, omnes timeat necesse est.

Idem apud eundem.

Principem habere oportet pro temporum ratione mentem, ac prouidentiam; aduersus hostes præsentem, & alacrem animum: erga subditos verò beneuolentiam.

Isocrates oratione ad Nicoclem.

Custodiam corporis esse putatutissimam, tum amicorum virtutem, tum ciuium beneuolentiam, tum tuam prouidentiam.

Plutarchus in Politicis.

Hominem homini nihil aliud mansuetum reddit, quàm beneuolentiæ fides; iustitiæ, & probitatis certa opinio.

Plinius in Panegyrico.

Nos discimus experimento, fidelissimam esse custodiam principis ipsius innocentiam. Hæc arx inaccessibleis; hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere.

Cicero in Lælio.

Nihil est amabilius virtute, nihil quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter virtutem, & probitatem eos etiã quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. Tanta enim vis probitatis est, vt eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod maius est, in hoste etiam diligamus.

Idem lib. 1. Officiorum.

Vehementer amor multitudinis commouetur ipsa fama,

fama, & opinione liberalitatis, benevolentia, iustitia, fidei, omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem.

Arnobius lib. 8. disputationum aduersus gentes.

12 Naturale est, & odisse quem times, & quem metueris, infestare si possis.

Claudianus lib. 12.

13 Non sic excubiae, nec circumstantia pila,
Quam turatur amor: non extorquebis amari:
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.

Ex diuo Thoma lib. 3. de regimine prin. cap. 6.

14 Necessaria est regi humanitas: & benevolentia. Est enim generosus hominis animus, qui quidem facile ducitur, ac difficile trahitur. habet namque mens altum quiddam, & sublime, atque superioris impatiens, sed quadam humanitatis, ac lenitatis dulcedine subiicitur, ac sibi persuadet ad paria se posse conscendere, & a suo non resilire gradu.

Nazianzenus oratione 5.

15 Nihil est vtilius, & securius, quam cum volentes praesunt volentibus. Nam quod violentum est, nec secularem principatum stabilire potest: quod enim vi subigitur, id se oblato tempore in libertatem vendicare solet.

DE ADVLATORIBVS.

CAP. XIII.

Prouerb. 29.

1 Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.

Diuus Hieronymus epistola 14.

2 Adulorum assentationes, & noxia blandimenta fallaciz,

fallaciae, velut quaedam pestes animae fuge. Nihil est, quod tam facile corrumpat mentes hominum: nihil quod tam dulci, & molli vulnere animum feriat. vnde & quidam Sapiens ait: Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris. in multis, isto maxime tempore, regnat hoc vitium, quodque est grauius numquam, humilitatis, ac benevolentiae loco ducitur: eo fit, ut qui adulari nescit, aut inuidus, aut superbus putetur. Est sane graue, & subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui, & decipiendo, animum sibi obligare decepti: quodque hoc maxime vitio agi solet, tunc laudes certo pretio vendere, haec Hieronymus, siue Paulinus.

Chrysof. de laudibus diui Pauli homil. 9.

Omnia laudare, tam quae bene se habent, quam quae male, non fuerit amici, sed irrisoris, & non diligentis, sed decipientis.

Martialis.

Ne laudet dignos, laudat Caillistratus omnes;
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest.

Plutarchus lib. de discrimine adulatoris, & amici.

Carneades dicere solitus est, diuitum, & regum filios nihil recte neque bene discere, praeterquam equitare: propterea quod his assententur praecipitator in exercitatione literarum, vsque laudans quidquid dixerint: aduletur, & is qui colluctatur, cedens, ac submittens sese. Porro equus haud intelligens, neque cogitans, priuatus quis sit, an magistratus, diues, an pauper, praecipitat, quisquis ignarus sit equitandi.

Idem in eodem.

Adulator semper alicui imminet animi morbo: hunc premit, & vrget bubonis in morem, vndique
K putribus,

putribus, & inflammatis animi partibus incumbens: si irasceris, vlciscere, inquit, si concupiscis, fruere: si times, fugiamus, inquit, si suspicaris, crede, inquit.

Idem in Demetrio.

7 Rex Lyfimachus Philippidem diligebat ob suos integros mores, & vitæ probitatem, in eoque præcipuè viro admirabatur, quòd cum secum versaretur frequenter, ab omni tamè astutia, & adulatione, quibus regiæ domus abundare solent, quasi à perniciosa peste abhorreret.

Isocrates in epistola ad Philippum.

8 Æquum est, vt apud omnes magnos principes maior sit eorum, qui vera dicere non dubitant, auctoritas, quàm horum, qui ad gratiam omnia, nihil autem gratia dignum loquuntur. Fieri tamen solet, vt illi apud plerosque minore in pretio sint, quàm assentatores.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 11.

9 Nemo quidem adulatur, qui liberum animum gerat: Nam viri probi vel amant, vel certè non blandiuntur.

Plato in Gorgia.

10 Facultas adulatoria optimi quidem nullam habet curam, sed super eo, quod dulcissimum est, quasi homo incautam illaqueat mentem; & vsque adeò decipit, vt plurimi apud eam æstimanda videatur.

Laertius lib. 6.

11 Diogenes rogatus, quod esset animal omniùm maximè noxium: si de feris, inquit, sentis, tyrannus; si verò de cicuribus, adulator.

Patricius lib. 5. de inst. reip.

12 Facetè Diogenes interrogatus, quamnam belua sæuius

uius morderet, ex feris, inquit, obrectator; ex cicuribus adulator.

Spartianus in Pescenio nigro.

Viuentes laudare irrisio est; maximè imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publicè possunt, qui possunt necare, qui proscribere.

Beda lib. 2. in Lucam, cap. 6.

Ipsa peccati nutritrix adulatio, sicut oleum flammis, sic in culpa ardentibus solita ministrare fomentum, maxima vtique est pœna peccantium.

Diuus Hieronymus lib. 1. aduersus Pelagianos.

Semper insidiosa, callida, blanda est adulario: pulchrèque adulator apud philosophos definitur, blandus inimicus. veritas amara est, rugosæ frontis, ac tristis, offenditque correctos; vnde & Apostolus loquitur: Inimicus vobis factus sum, veritatem dicens vobis. & Comicus: Obsequium amicos, veritas odium parit.

Nicephorus lib. 10. hist. Eccles. cap. 42.

Themistius philosophus impotèté adulatoriùm assentationè Iouinianum fregisse dicit: quos per quam facetè, & luculenter irridens, ex moribus eorùm deprehendi, ait, purpuram ipsos magis, quàm Deum colere, neque aliqua re ab euripo differre, nunc huc nunc illuc, atque in contrarium adeò motum refluyente.

Melius est in coruos, quàm in adultores incidere; hi enim viuentes, illi mortuos exedunt.

Ferus passionis Dominica parte 3.

Nihil est, quod tam facilè corrumpat mentes hominum, quàm adulatio; & plus nocet lingua adulatoris, quàm gladius persecutoris.

Diuus Thomas in librum 4. Polit. lectione 4.

- 19 Audiuntur, & honoratur adultores; quia vnusquisque diligit suam excellentiam, & vult esse certus de ipsa, & ideo libenter audit illum, qui testificatur de ea: id quod adulator facit, vt placeat.

CONTRA ADVLATORES.
CAP. XIII.

Ad Thessalon. cap. 2.

- 1 Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis.

Eccle. 7.

- 2 Melius est à sapiente corripì, quàm stultorum adulatione decipi.

Plutarchus lib. cum Principibus Philosophos debere disputare.

- 3 Qui semper corrumpunt principes, reges, tyrannos, nempe delatores, criminatores, & adultores, ab omnibus exiguntur, puniunturque; vt qui non in vnum calicem lethale venenum mittat, sed in fontem publicum, vnde bibant omnes, veneno inficit: ita nocentissimus est, qui principis animum prauis infecerit opinionibus, quæ mox in tot hominum perniciem redundant. Nam si capite plectitur, qui principis monetam vitari, quanto dignior est eo supplicio, qui principis ingenium corruerit.

Patricius lib. 4. de Regno, tit. 2.

- 5 Dion Prusensis multo peius adultores peccare censet, quàm falsos testes: quandoquidem illi blanditiis, quem laudant, corrumpunt; hi autem iudicem decipiunt,

decipiunt, sed eum non corrumpunt: nonne maiore odio digni sunt adultores, qui homines vanos faciunt, & stultos atque insanos reddunt?

Plutarchus in Annibale.

Nec deerat talia concupiscenti adulatorum assentatio, perpetuum malum regum: qui dum ea, quæ volunt, libenter audiunt, se adulari sinunt, & falli æquo animo patiuntur.

Idem lib. de liberis educandis.

Nullum animantium genus assentatoribus est perniciosius: scelestissimi hominum, amicitia simulatores ex omni parte nothi, atq; degeneres; ad diuitum nutum vitam agunt, fortuna liberi, electione serui.

Ammianus Marcellinus lib. 25.

Cræsum legimus ideo regno suo Solonem expulisse præcipitem, quia blandiri nesciebat; quæ res perniciofa vitiorum est alitrix.

Quintus Curtius lib. 8.

Alexander, vt Deum coli se iussit; nec deerat talia concupiscenti perniciofa adulatio, perpetuum malum regum; quorum opes sæpius assentatio, quàm hostis euertit.

Patricius lib. 5. de instit. reip.

Vera quidem est illa Quinti Curtij sententia, qua regnum ait sæpius ab assentatoribus, quàm ab hostibus euerti.

Athenæus lib. 6. cap. 6.

Adulationem quidam nomen vertentes, comitem nominant, velut ait Alexandrides in Samia: Nunc comitas vocatur ipsa adulatio.

Diuus Augustinus in Psalm. 9.

Laudatur peccator in desideriis animæ suæ; adulatium

tium linguæ alligant animas in peccatis; delectatur enim ea facere, in quibus non solum non metuitur reprehensor, sed etiam laudator auditur.

Beatus Prosper in Epigrammatis.

13 Lingua assentatrix vitium peccantis aceruat, Et delectatu crimine laude ligat. Nulla sit vt lapsa reparandæ cura salutis, Blāditur fonti dū malè suafus honor.

Oforius ad reginam Angliæ.

14 Sunt adultores veritatis hostes sempiterni, omnibus bonis infesti, regibus valdè perniciosi: neque solum in rempublicam vniuersam teterrimi, sed in Deū ipsum maximè scelerati. Sunt igitur homines isti nefarij, atque pestiferi, in vltimas terras exterminandi, ne sceleris eorum cōtagio ad regum perniciem emanet, totamque rempublicam mortifera tabe conficiant. Contrā verò, qui nihil mentiuntur, nihil simulant, nullas opes veræ virtutis opibus auferunt, vitamque sapientia, atque probitate moderantur, ex abditis etiam sedibus, si latitant, eruendi sunt; & inuiti etiam, atque recusantes, ad regum familiaritatem perducendi, multisque opibus egregiè cumulandi.

Franciscus Sonnius libro 5. demonstrationum religionis.

15 Quæ mala non sequuntur, quando principi suadet adulator, quòd vti liceat plenitudine potestatis, quòd sit dominus omnium; quòd vectigalia, gabellas, tributa, & id genus alia, imponere possit, prout libitum fuerit! quòd generosum sit, bello se vindicare, bello virium suarum ostentationem facere.

16 Sunt multi iudices, qui magno suo & litigantium malo, leges in frontibus superiorum suorum legunt: id est, nihil aliud pro sententia dicere volunt, nec audent, quàm id, quod placitum esse putant regibus,

aut

aut principibus suis. digni profectò qui in hoc etiam seculo sint infelices. Nam in futuro quidem, (nisi resipuerint) erunt infelicissimi.

Nicephorus lib. 9. historia Ecclesiastica, cap. 35.

Liberio papæ relegato Constantius quingentos aureos misit. quos ille reiecit; & ei, qui illos attulerat, imperatori renuntiare iussit, non indigere se eis; daret eos, quos secum in aula haberet adulatoribus, & ad simulandum, dissimulandumque compositis hominibus, quorum insatiabilis cupiditatis inopia animis eorum semper insidens, eosque excrucians, nunquam expleri posset: mihi namque Christus, inquit, patri æqualis, largitor semper alimentorum, atque conciliator, & promus condus bonorum omnium erit.

Adultores autem regibus non nocebunt, si ab eis fuerint explosi, ac malè habiti; solent enim libenter audiri præsertim ab his, qui verbis aut factis dicunt, Nolite aspiciere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia. quos rectissimè dānat Isaias cap. 30.

Oforius lib. 2. de Religione.

O rerum publicarum pestem atque perniciem! quidquid enim reges cupiunt, quamuis id sit nefarium, flagitiosum & impium, neque solum reip. perniciosum, sed etiam omnibus sanctitatibus aduersarium, id continuò per eos adultores, quos in consilium adhibent, est officium iustum & laudabile, & religiosum, & reipublicæ salutare, & Deo gratissimū.

OPORTERE VT REGES DIVITES SINT. CAP. XV.

Ex lib. 3. Regum cap. 3. & cap. 10.

Scriptura quidem Salomonem non modò à sapientia, sed etiam à diuitiis commendat; ait enim illi

K 4 Domi-

Dominus : Sed & hæc quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam; & iterum magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ diuitiis & sapientia.

Diotogenes apud Stobæum.

- 2 Regem oportet opes possidere, ut amicos beneficiis obstringere, ac indigentibus suppeditare liceat, & inimicos iure ulcisci.

Deuteronomij cap. 17.

- 3 Cùm rex fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, neq; habebit argenti, & auri immensa pondera.

Alfonfus Tostadus ibidem questione 9.

- 4 Magis vituperabile est in rege nō habere thesauros, quàm eos habere; ne cùm necessitas ingruerit, cogatur subiectos onerare tributis, &c.

Iosephus.

- 5 Rex David thesaurum ingentem in sepulchro suo abscondit, quem post multos annos Hyrcanus pontifex inuenit: quod, ut quidam rectè inquit, documento est, regias opes non improbari, sine quibus nec reges esse possunt, nec subiectos gubernare, aut etiam tueri; qui tamen & ipsi oculati esse debent, ne temerè pauperum sudorem vel intercipient, vel profundant.

Egesippus lib. 1. cap. 1.

- 6 Antiochus veniens Hierosolymam, Hyrcanum obsedit, repulit Hyrcanus auro, quæ ferro nequibat, referatq; (ut Iosephus auctor est) David sepulchro, tria millia auri talenta eruit, ex quibus trecenta annumeravit Antiocho, ut obsidionem relinqueret, & pretio emptus abiret.

Cornelius Tacitus lib. 13. Annalium scribit,

- 7 Crebris populi flagitationibus immodestiam publicanorum

blicanorum arguentis, dubitasse Neronem, an cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret: sed impetum eius, multum prius laudata magnitudine animi, attinere senatores, dissolutionem imperij docendo, si fructus, quibus res publica sustineretur, diminuerentur.

Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. 1 variarum.

Indigentiam iustè fugimus, quæ suadet excessus, 8 dum perniciofa res est in imperante tenuitas. & quidam rectè dixit: Periculosissimū animal est, rex pauper.

Zonaras in Aureliani imperio.

Aurelianus principatu Romanorum potitus, magnates rogauit, quo pacto imperandum esset? quorū vnus ei respondit: Si rempublicam rectè administrare volueris, auro, & ferro te munitum esse oportebit: ac ferro quidem contra hostes uti, tui verò obseruantes auro remunerari.

Dio Cassius lib. 52.

Mæcenas Augusto Cæsari: diuitiæ magnæ non tam multa accipiendæ, quàm non multos sumptus faciendo colliguntur.

Cicero lib. 4. de rep.

Optimum autem, & in priuatis familiis, & in republica, vectigal ducere esse, parsimoniam.

Expeditissima est ratio augendi census, detrahere sumptibus.

Ex diuo Thoma lib. 2. de regim. principum cap. 7.

Diuitiæ sunt regi necessariae, atque etiam thesaurus, quia sine illis congruè regnum non potest regere. Est enim pecunia instrumentum rerum agendarū, & quasi fideiussor futuræ necessitatis, quia continet omnia; sicut eorum pretium: quod si quilibet priua-

tus ea indiget, rex quidem multò magis. ad hoc, magnificentia, virtus regis propria, magnos sumptus requirit. Deinde rex debet abundare pecuniis, ut domui suæ provideat, & subiectorum necessitati subuenire possit. præterea cum rex indiget pecunia, cogitur facere exactiones indebitas. Item ad bellorum sumptus indiget rex magnis thesauris, nec obstat illud Deuteronomij, quo prohibetur, ne rex habeat auri & argenti immensa pondera: quia id est accipiendum, ne habeat ad ostentationem. Nam ad subventionem regni omnino est necessarium. addo etiam quòd illic prohibetur thesaurus immensus, qui vix congregari potest sine auaritia, & absque maximis exactionibus, non autem iustus thesaurus.

Laurentius Vallen. lib. 3. Historiarum.

14 Ferdinãdus Aragoniæ rex optimus, in patrimonio regali tuendo tenax fuit: quod qui alienarent, aiebat inimicos potius sibi parare, quam amicos: quia ex subditis illos quosdam regulos faceret semper sollicitos, ac suspicantes, eorum iura licentiãque in diminutum, tum illud addo, patrimonio regio alienato, dignitatem ipsam regiam, & auctoritatem, ac potestatem labefactari, multa que alia grauissima incommoda in regni perniciem exoriri.

Aristeas in historia.

15 Ptolemæus rex interrogauit vnum ex septuaginta Interpretibus, qua ratione diues permanere posset: qui respondit: Si nihil præter regni dignitatem, & per luxum egeris; si que sumptus nullos in inania & inutilia impenderis.

Orosius lib. 7. de regis institutione.

16 Duplici ratione peccant reges, cum sine modo de regio

regio patrimonio largiuntur. primùm enim fontem ipsius benignitatis exhauriunt, ita ut nequeant ij qui in regno succedunt, virtutem debitis præmiis ornare. deinde, quòd ignauia atque desidia, & effrenæ libidini adiumenta plurima subministrant.

QVOMODO PRINCIPES

SVNT ADMONENDI. CAP. XVI.

Seneca in proœmio Suasoriarum.

Apud reges etiam, quæ profunt, ita tamen, ut delectent, suadenda sunt.

Apud bonos etiam principes admonendi libertas verbis placidis temperanda est.

Alexius nostras dialogo 2. de rep. Christiana.

Delicatiorem reges habent palatum: quare quidquid illis traditur, melle litum tradere oportet.

Plutarchus lib. in principe requiri doctrinam.

Difficile est, his qui gerunt imperium, de imperio consulere: Reformidant enim rationem, ceu principem admittere, ne potentia bonum, quod habere videntur, impediatur, si id astringat, & seruire cogat honesto.

Diuus Aug. de verbis Apostoli, sermone 13.

Impia mens odit etiam ipsum intellectum, & homo aliquando nimium mente peruersa, timet intelligere, ne cogatur, quod intellexerit, facere: de talibus ait Psalmista, Noluerunt intelligere, ut bene agerent.

Stobæus in admonitionibus de regno, sermone 48.

Demetrius Phalereus Ptolemæum regem hortabatur, ut libros de regno scriptos emeret, ac legeret: Nam de quibus amici reges admonere non auderent, ea in libris esse scripta.

Ex

Ex Nicephoro lib. 18. Eccl. hist. cap. 6.

7 Tiberius imperator successori Mauricio multa egregia praecepta dedit; & hæc inter alia: Ciuum, & subditorum beneuolentiam potius, quam metum fac confecteris, & obiurgationem magis perinde, atque magistrum quendam, quam assentationem complectare. potestas namque res quædam est, quæ admoneri, doceri que nolit, & castigationem ægrè ferat.

Diuus Thomas in epist. ad Galat. c. 4. lectione 5.

8 Qui veritatem dicunt, odio habentur à malis: bonitatis autem signum est, si is, qui corripitur, diligit corripientem. cum enim homo naturaliter illud odiat, quod aduersatur ei, quod diligit: si tu odis eum, qui corrigit te de malo, manifestum est, quod malum diligis; si vero diligis eum, ostendis te odio habere peccata.

Hieronymus Osorius in epistola ad Angliam reginam.

9 Multæ insidiæ principibus à suis domesticis intenduntur, multæ fraudes in aula regia quæstus, & compendij gratia suscipiuntur; multa partim adulatione & perfidia, partim offensionis periculosa formidine dissimulantur; ita ut raro inueniantur, qui regibus liberè loqui audeant.

10 Legat princeps Lampridium in vita Alexandri Seueri, & consilia Augusto Cæsari data, quæ Dio Cassius retulit lib. 52. legat orationes Sallustij ad Cæsarem de republica ordinanda. Legat supremum librum Isidori de summo bono. Legat librum Synesij de regno bene administrando: legat librum de principe Iouiani Pontani: legat libros diui Thomæ, de eruditione principum: legatque id genus alia; & ex hisce libris discet, quæ illi dicere audeat nemo.

Basilius

Basilius Magnus in Psalm. 87.

Dominus reges constituit, & transfert; nec vlla est potestas, nisi à Deo constituta: seruetur ergo rex non per multam virtutem, sed per diuinam gratiam: si enim cor regis in manu Dei est, non per armatam militarem potentiam, sed ipso suppeditante præsidium, & velut manum præcedente seruetur. in manu autem Dei est non quilibet, sed qui regis appellatione dignus fuerit. Quidam autem regnum definierunt legitimam esse præfecturam, vel supra omnes principatum, peccato minimè obnoxium.

Deut. 17.

Postquam rex sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus; & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & caerimonias, quæ in lege præcepta sunt; nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos; nec declinet in partem dextram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filius eius super Israël.

Aristeas in historia.

Rex Ptolemæus interrogauit vnum ex septuaginta Interpretibus, in quibus rebus reges maiori tempore versari deberent? ille respondit: In legendo, & in commentariis legationum illarum, quæ extant perscriptæ ad reges ad instauranda illa, quæ faciunt ad rectam, salutarè, & diuturnam hominum gubernationem.

Ferus in cap. 8. Actorum.

Antiquitus principes in religione, ac disciplinis honestis instituebantur: quin & per omnem vitam lectioni, quæ ad religionem, & rempublicam promouendam

mouendam faceret, erant addicti. hinc & Moyſes præcepit regibus, vt Deuteronomium ſecum habeant ſic fecit Iolue, Dauid, Ezechias, & cæteri.

Amnianus Marcellinus lib. 18.

15 Aristoteles Calliſthenem propinquum ſuum ad Alexandrum mittens, ſapienter ei ſæpè mandabat, vt quàm rariffimè, & iucundè apud hominem loqueretur, vitæ poteſtatè, & mortis in acie linguæ portatè.

16 Inde fortasſe natum prouerbium: Cum regibus aut quàm breuiſſimè, aut quàm iucundiffimè loquendū.

Aeſopus.

17 Cum regibus aut omnino non loquendum, aut quæ ſunt iucundiffima, loqui oportet: Solon correxit, aut quæ ſunt optima.

ADMONITIONVM

CAP. XVII.

Eſther cap. ult.

1 Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus eſt, abuſi ſunt, & aures principū ſimplices, & ex ſua natura alios exiſtimantes, callida fraude decipiunt: quæ res & ex veteribus probatur hitoriis, & ex his, quæ geruntur quotidie, quomodo malis quorundã ſuggeſtionibus regum ſtudia deprauentur.

2 Quamuis autè admonitiones plurimas huc facile transferre poſſem, paucis tamen contentus ero, eafque libenter prætermiſſem, niſi me ſapientium auctoritas, & ſententiurum commouiſſet vtilitas.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 10.

3 Ad regis officium pertinet, cautum, ac prouidentem eſſe, vt nec diuites iniuria, nec populares contumelia afficiantur.

Idem

Idem lib. 8. Eth. cap. 11.

Regis amicitia ad eos qui reguntur, in excellentia beneficij conſiſtit: confert enim in eos beneficia, qui ab ipſo reguntur. Siquidem cum ſit bonus, curã ipſorum habet, quo bene ſeſe habeant, vt ouium paſtor. Vnde & Homerus Agamemnonem populorum nuncupauit paſtorem.

Xenophon lib. 2. de pædia Cyri.

Decet principem non ſe bonum præſtare duntaxat, verùm etiam pro ſubditis diligentiam gerere, vt quàm optimi ſint futuri.

Xiphilinus in epitome Dionis, lib. 47.

Principatus propter ſalutem ſubiectorum conſtituuntur, vt ij nullum damnum ſentiant, non modò ab alienis, ſed neque à ſuæ gentis hominibus.

Seneca in Octauia.

Conſulere patriæ, parcere afflictis, fera cæde
Abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo:
Hæc ſumma virtus, petitur hæc cælum via.

Ouidius lib. 2. de Ponto.

Est piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:
Cuique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Guntherus poëta lib. 1. de geſtis Friderici.

Plus ſæpe nocet patientia regis,
Quàm rigor: ille nocet paucis, hæc incitat omnes,
Dum ſe ferre ſuos ſperant impunè reatus.

Claudianus lib. 2.

Nectibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet reſpectus honeſti:
Tu ciuem, patremque geras, tu conſule cunctis;
Nec tibi, nec tua te moueant, ſed publica vota.

Socrates

Isocrates ad Nicoclem.

11 Regnum, quod summum est rerum humanarum omnium, maximam prudentiam postulat.

Philo lib. de creatione Principis.

12 Sunt quidem principes publici parentes ciuitatum & gentium, quotquot boni sunt: contra, qui in subditorum detrimentum abutuntur potentia, non principes appellandi, sed hostes, cum agant hostilia.

Chrysof. in Psal. 113.

13 Hoc maximè ostendit principem, quod suorum curam gerat, eisque prouideat, ac prospiciat: & ideo dicebat Christus: pastor bonus, non dixit honoratur, & colitur, sed animam suam ponit pro ouibus suis: hoc est principatus, hoc est pascendi scientia, sua negligere, & eorum, quos regit, curam gerere: quod est enim medicus, hoc est princeps, vel potius plusquam medicus. medicus enim arte salutem comparat, princeps autem etiam propriis periculis.

Diuus Bernardus lib. 4. de consideratione ad Eugenium.

14 Non te moneo summis occupatum, intendere infimis, & quasi minutum fieri; minimis impendere, quod maximis debes: vacuum profus à sollicitudine rerum minorum, & viliū oportet esse animum, tam magnis, & tam multis intentum rebus.

Aelianus lib. 2.

15 Nimiam equitandi industriam Anniceris Plato reprehendit, inquit, fieri non posse, ut, qui rebus tam nullius pretij operam nauaret adeò diligentem, possit magnis, & præclaris negotiis vacare. cum enim omnis cogitatio in ista conferatur, necessum esse, ut ea negligentius agat, quæ reuera sunt admiratione digna.

Philo

Philo lib. de creatione principis.

Cum aliquando res magnæ, aliquando minores tractandæ sint, ne in exiguis conterat operam princeps, sub præfectis eas delegabit: maiores verò ipse examinabit diligentissimè, ne sollicitudinem impendendo rebus vilioribus, negligat maioris momenti negotia.

Philostratus lib. 1 de vita Apollonij.

Interroganti regi, quonam pacto stabiliter, tutè- 17 que regnare posset, respondit Apollonius, si multos honoraueris, paucis verò credideris.

Idem lib. 5. cap. 12.

Apollonius Vespasiano dixit: tibicen quidam valdè 18 sapiens, discipulos auditum mittebat ineptissimos tibicines, ut ex eis, quo pacto canendum non esset, ad discerent: tu ita que rex quomodo imperandum non sit, ab eis, qui malè imperarunt, iam didicisti.

Diuus Gregorius in librum 1. Regum cap. 3.

Fortasse idcirco Saul reprobus rex eligitur, ut electus 19 successor eius rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset.

Lampridius in Alexandro.

Aurum & argentum rarè cuiquam nisi militi di- 20 uisit, nefas esse dicens, ut dispensator publicus in delectationes suas, & suorum cõuerteret id, quod prouinciales dedissent.

Lucianus in Demonaxte.

Querenti qua ratione quispiam imperium quam 21 optimè administrare possit: Demonax respõdit: Si ira vacauerit, & quam minimū loquēs, plurima audierit.

Thomas Morus lib. 1. de optimo reip. statu.

Princeps viuat innocuus de suo, sumptus ad redi- 22

L tus

tus accommodet: refranet maleficia, & recta institutione suorum præueniat potius quam sinat incrementum, quæ deinde puniat.

- 23 Principi non quælibet artes discendæ sunt, sed hæc dumtaxat, quæ tradunt rationem rectè administrandi regnum: & verò non omnes literæ conueniunt principi, sed eæ quæ politice tradunt, aut ethice; quæque rectè, ac secus gestorum exempla commostrant, id quod facit historia.

Cassiodorus lib. 10. variarum.

- 24 Qui rationabiliter disponit propria, non appetit aliena: tollitur enim principibus necessitas excedèdi, quoties assuèrint propria moderari: laudata nimirum sententia, quæ rerum præcipit modum, quia nimium non placet, etiam quod bonum putatur.

Ex diuo Thoma lib. 3. de regim. princ. cap. 11.

- 25 Dominus per Moysen in Deuteronomio inquit: Cùm constitutus fuerit rex, non multiplicabit sibi equos, &c. describètque sibi Deuteronomium legis huius, legètque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodiat verba eius (videlicet, ut possit populum dirigere secundum legem diuinam) nec eleuetur cor eius in superfluum super fratres suos: neque declinet in partem dextram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filius eius super Israel. ille quidem legitimus est rex, qui principaliter bonum subditorum intendit, & curam eorum habet, ut bene operentur. Regnum enim nõ est propter regem, sed rex propter regnum, quia ad hoc Deus prouidit de regibus, ut regnum regant, & gubernent, & vnumquemque in suo iure conseruet: & hic est finis regiminis. ad hæc, regnum ex hominibus

bus constituitur, sicut domus ex parietibus, & corpus humanum ex membris. finis ergo regis est, ut regimen prosperetur, & homines conseruentur per regem. & hinc habet commune bonum cuiuslibet principatus participationem diuinæ bonitatis: unde bonum commune dicitur à philosopho esse, quod omnia appetunt & esse bonum diuinum: & sicut Deus, cuius virtute principes imperant, nos regit, & gubernat propter nostram salutem; ita & reges, & alij rerum domini facere debent.

Chrysoſt. in Psal. 143.

Qui subdit populum meum sub me, sic rectè dixit: 26
Nam hic quoque superno auxilio opus est, ut qui ditioni subiecti sunt, acquiescant, & non seditionem agitent, nec insurgant. non ergo solum in subiugandis inimicis, sed etiam in suis subiiciendis, & in officio continendis superno nobis auxilio opus est. nam hoc quoque magnum est, suos bene regere, nec minus est, quam inimicos vincere: multi quidem certè sæpenumero trophæa in bellis erexerunt; in pace autem cæsi sunt, cùm eorum quibus præerant, habenas non rectè possent moderari: non ergo in regni potestate situm est, ut castra subiiciantur, sed in Dei auxilio. quemadmodum autem ab eo procedunt victoriæ de hostibus: ita etiam suorum obedientia.

Basilii Magni in Hexameron hom. 8.

Est apum rex ipse quidem aculeo præditus, spicu- 27
loque armatus; at nunquam irritatur ad ultionem, nunquam aculeo ipso vitur. Leges quædam istæ profectò naturæ sunt, institutæque non literis mandata: tardos inquam eos ad vindictam, pœnamque sumendam esse oportere, qui maximas obtinent potestates.

28 Neque enim nos quosdam imperatores ideò felices dicimus, quia vel diutiùs imperarunt, vel imperantes filios morte placida reliquerunt, vel hostes reipublicæ domuerunt, vel inimicos ciues aduersus se insurgentes, & cauere, & opprimere potuerunt. Hęc enim & alia vitæ huius ærumnosæ, vel munera, vel solatia, quidam etiam cultores dæmonum accipere meruerunt: qui non pertinent ad regnum Dei, quò pertinent isti: & hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista, qui in eum crederent, velut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si iustè imperant, si non extolluntur, sed se homines esse meminerunt, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum, maiestati eius famulam faciunt: si Deum timēt, diligunt, colunt: si plus amāt illud regnum, vbi non timent habere consortes: si tardiùs vindicant, facillè ignoscunt: si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque reipublicæ, non pro saturandis inimicitarum odiis exerunt: si eandem veniam, non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent: si quod asperè coguntur decernere, misericordiæ lenitate, & beneficiorum largitate cōpensant: si luxuria tantò in eis est castigatior, quanto posset esse liberior. & si hęc omnia faciunt, non propter ardorem inanis gloriæ, sed propter charitatem felicitatis æternæ: si pro suis peccatis humilitatis, & miserationis, & orationis sacrificium, Deo suo vero immolare non negligunt: tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.

Ferus

Diuitiæ, & potentia, si non adsit timor Dei, superbum, & ferocem hominem reddūt: itaque omnium maximè principibus Dei timor necessarius est. hinc David, Erudimini, qui iudicatis terram; seruite Domino in timore. Vide historias, quid faciat potentia sine timore Dei, in Anna, Achab, Saul, Antiocho, & cæteris.

Ammianus Marcellinus lib. 30.

Agenti imperium omnia nimia velut prærupti scopuli sunt deuitanda.

Suetonius in Tito Vespasiano, cap. 8.

Non oportere, ait, quenquam à sermone principis tristem discedere.

DE EADEM RE.

CAP. XVIII.

Quid aliud est regnum, quàm magna familia? I contrahendâ igitur sunt impendia superuacanea: magnum enim vectigal est parsimonia.

Capitolinus in Antonino Pio.

Victus Antonini Pij talis fuit, vt esset opulentia sine reprehensione, parsimonia sine sordibus. Salaria multis subtraxit, quos otiosos videbat, accipere: dicens: Nihil esse sordidius, immò crudelius, quàm si rempublicam ij arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrēt. Nullas expeditiones obiit, nisi quòd ad agros suos profectus est, dicens: Grauem esse provincialibus comitatum principis, etiam nimis parci.

Lampridius in Alexandro Seuero.

Neminem passus est esse in palatinis, nisi necessarium hominem: iureiurando deinde constrinxit, ne

L 3

quem

quem ascriptum, id est, vagantium haberet, ne annoni rempublicam grauaret, dicens: Malum pupillum esse imperatorem, qui ex visceribus prouincialium homines non necessarios, nec reipublicae vtilis pasceret.

4 Multis ciuitatibus, quae post terrae motus deformatas erant, sumptus ad instauracionem operum publicorum, & priuatorum, pecuniam ex vectigalibus dedit.

5 De omnibus hominibus per fideles suos semper quaesuit, & per eos, quos nemo nosset, hoc agere: cum diceret, omnes praeda corrumpi posse.

6 Notum illud est, meliorem esse rempublicam, ac propere tutiorem, in qua princeps malus est, ea, in qua sunt amici principis mali. siquidem vnus malus potest a plurimis bonis corripri: multi autem mali non possunt ab vno quouis bono, vlla ratione superari. Et quidem ab Homulio ipsi Traiano dictum est, cum ille diceret, Domitianum pessimum fuisse, amicos autem bonos habuisse; atque ideo illum magis odio fuisse, qui rempublicam peioris vitae hominibus commendaauerat; quia melius est, vnum pati malum, quam multos. Haec atque alia scribit Lapidius notatione digna.

Diuis Bernardus lib. 4. de consideratione ad Eugenium.

7 Veniamus ad collaterales, & adiutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt: quamobrem si boni sunt, tibi potissimum sunt; si mali, aequè plus tibi: Ne te dixeris sanum, dolentem latera: hoc est, ne te dixeris bonum, malis innitentem: aut si bonus sis, bonitas tui solius quem fructum afferre potest? Quid emolumentum affert tua vnus hominis iustitia, vbi sententia praevalet aliter affectorum? sed nec tuta tibi tua bonitas obsessa malis, non magis quam sanitas vicino serpente.

serpente. Non est quo te subducas malo intestino: & e regione bonum domesticum eo amplius, quo sapius iuuat: sed siue leuent, siue grauent, cui rectius imputandum, quam tibi, qui tales aut elegisti, aut admisisti? & qui potestatem non habent, nisi quam tu eis aut tribueris, aut permiseris? Tibi imputa quidquid patieris ab eo, qui sine te potest facere nihil.

Spartianus in Hadriano.

Optimos quoque de senatu in cotubernium imperatoriae maiestatis adsciuit: & in concione, & in senatu saepe dixit: Ita se rempublicam gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam.

Capitolinus in Gordianis.

Miser est imperator, apud quem vera reticentur, 9 qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est, ut audiat, & vel audita, vel a plurimis roborata confirmet.

Sextus Aurelius victor in Traiano.

Duo sunt quae ab egregiis principibus expectantur: sanctitas domi, in armis fortitudo, & vtroque prudentia.

Plutarchus in Apoph.

Quidam cum dixisset, omnia regibus & honesta & iusta esse: Per Iouem, inquit Antigonus, regibus barbarorum: sed nobis sola honesta, sunt honesta; & iusta, sola iusta.

Diuis Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium.

Modestus moderabitur curas: temperabit a superfluis, non deerit necessariis.

Zonaras in fine Annalium.

Homini priuato satis est moderatio, aequitas, placabilitas, & in omni cultu, & victu modus: imperatori

tori verò præter hæc, & iustitia est colenda, & ratio
ciuium habenda, & vetera instituta sunt tuenda.

Nicephorus lib. 16. Eccles. histor. cap. 1.

- 14 Ego verò dixerim, non ex eo verum imperatorē,
quia legibus solutus, arbitrio ipse suo viuat, quòd
aliis imperet, æstimari; verum si in seipsum potius
potestatem exerceat, neque prauis quicquam animū
suum subire sinat: vnde ille aduersus fœditatem, &
turpitudinem inuictus, & à libidine omni alienus,
perinde atque animata virtutum effigies, ciues, subdi-
tòsque suos vniuersos ad imitationem sui pertrahat.

Ex eodem lib. 18. cap. 6.

- 15 Tiberius imperator Mauricio successori hæc in-
ter alia dixit: Quibus amplior est faciendi quæ velint
potestas, eos peccata plura consequuntur. & paulò
post: Imperium sapientem gubernatorem requirit.
& post aliqua: Potestatis insolentiam ratione fac fræ-
nes, & philosophiæ artibus sapienter potentia sca-
pham gubernes: imperium namque res quædam est
sublimis, & excelsa, in altum qui ei insidēt sustollens,
& rectè cogitata excutiens.

Paulus Aemilius lib. 5.

- 16 Ludouicus Crassus Francorum rex, cum fatalem
sibi diem appetere sentiret, hortatus est filium, vt
religionem coleret; paci, communique dignitati, ac
saluti inferuiret: Regnum nihil aliud, quàm pro-
curationem, munusque publicum existimaret, cu-
ius in vita administrati reddendam exactè rationem
continuo post fata sciret, sedente in se immortalis
iudice: sua cuique facinori parata præsentis, sempiter-
næque mercede.

Bonfinius

Bonfinius lib. 15. rerum Ungaricarum.

Multa dissimulari opus est his, qui ceteris præfunt, 17
ne inferioribus videantur iniurij, neque læuæ tyranni-
dis nota fugillentur.

Idem lib. 17.

Cum reges antehac promiscue, atque immode- 18
stius ab hominibus adirentur, aurisque indoctæ
multitudini accommodantes, modò garrulitatis fa-
stidio, modò loquendi inscitia afficerentur, neque
grauitatem pro dignitate seruarent, neque distinctè
iudicia enuntiarent: hinc factum est, vt Bela primus
petitionum, ac precum formulas instituerit, ex impè-
ratorum, pontificumque more; & duos precum mi-
nistros adsciuerit, qui quotidianas petitiones ei secre-
tò legerent, rescriptaque manu regia responsa refer-
rent. vnde optimus iudiciorum & gratiarum mos
tunc Ungaris introductus.

Regnum illud stare diu non poterit, in quo ma- 19
iores fuerint sumptus, quàm redditus. nam intra pau-
cos annos consumetur, dissipabitur, atque peribit:
quod quidem euidentius est, quàm vt in eius pro-
batione multa verba sint impendenda.

Ferus in librum Iudicum, cap. 9.

Vulgò dicitur de tyrannis: Inuant vt vulpes: re- 20
gnant vt leones: moriuntur vt canes. hoc est, occu-
pant regna astute: administrant ea ferociter: sed tan-
dem pereunt turpiter.

*Diuis Thomas lib. 2. de eruditione
principum, cap. 2.*

Multum cauendum est principi, ne à ministerio 21
transire velit ad dominium. de hoc punitus fuit Na-

L 5 bucho-

buchodonosor, qui à ministerio regni transferat in dominium, reputans se regni sui dominum. *Dan. 4.*

Idem diuus in lib. 5. Polit. lectione 12.

- 22 Ad saluandam rempublicam tyrannicam, oportet, quòd tyrannus ea, quæ accipit à subditis, non expendat gratis, & in superfluis, aut in talibus, quæ contristent subditos; vt quando accipiunt à subditis laborantibus, & operantibus assidue, & postmodum abundanter dant meretricibus, & extraneis, & (quos habent sibi sæpè familiares) artificibus & histrionibus: quando enim sic facit tyrannus, odio habetur à subditis, & faciliùs insurgunt contra ipsum. & ideo cauendum est, quòd non expendat bona, quæ accipit à subditis, in illis, quæ molestant ipsos.

Saxo lib. 13. historia Danica.

- 23 In regni fastigio collocatos, difficiles accusatoribus aures præbere conuenit.

Quidam in Politicis.

- 24 Perniciosæ assentationes non rapiant principem in transuersum, vt à iure & æquitate discedat: nam principi verè dominantia ea sola licent, quæ iusta sunt: nec enim ad malum est vlla potestas.

Idem.

- 25 Caueant principes ne bona publica dissipent, aut alienent; id enim interitus regnorum, & reip. est.

Et paulò pòst.

- 26 Immodicas profusiones reprehendo, quibus principum facultates exhauriuntur, cum iustius esset, vt bona sua propter filios, & heredes, & propter rempublicam conseruarent.

Et paulò

Et paulò procul.

Ne fiant immodicæ profusiones, præsertim in luxum, & inuiles largitiones, quæ nunc omnes aulas propè exhauriunt, ac multa incommoda gignunt: ex quibus profluunt immoderatæ exactiones, quæ iam in omnibus regionibus vsitatae sunt: quas quia plebs misera diutiùs tolerare non poterit, imperiorum mutationes, ac ruinæ metuendæ sunt.

Orosius lib. 8 de regis institutione.

Princeps reipublicæ, qui sapiens fuerit, rempublicam faciliè temperabit, atque ad optatum finem perducet. Sic enim rex sapientissimus Solomò ipsam Sapientiam loquentem inducit: Meum est consilium & disciplina: mea est prudentia & fortitudo: per me reges regnant, & legum conditores decernunt iustitiam: per me principes imperant, & omnes qui ius in terra dicunt, rempublicam moderantur.

D E

DE REPUBLICA

LIBER IIII.

REMPUBLICAM SINE LEGIBVS

STARE NON POSSE.

CAP. I.

Exodi 24.

1 **D**IXIT Dominus ad Moysem: Ascēde ad me in mōtem, & esto ibi, dabōque tibi tabulas lapideas, & legē, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos.

Plato lib. 9. de Legibus.

2 Necessē est, leges hominibus ponere, vt secundū leges viuant: nam si absque his viuerent, nihil à feris atrocissimis discreparent. Cuius rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita natura institutum est, vt quæ ad publicum humanæ vitæ bonum conferūt, sufficienter cognoscat; & si agnouerit, vt optimum id quod nouit, semper agere possit, ac velit. &c.

Cicero lib. 3. de Legibus.

3 Nihil est tam aptum ad ius, conditionēque naturæ, quàm lex: sine qua nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura, nec ipse mundus potest.

Idem pro Cluentio.

4 Ciuitas sine lege, vt corpus sine mente, suis partibus, vt neruis, ac sanguine, & mēbris, vti nō potest.

Aristoteles lib. 10. Ethi. cap. 9.

5 Omnino in omni vita legibus opus est.

Socrates in Panegyrico.

6 Atheniensium ciuitas cū Græcos sine legibus viuentes, & sparsim habitantes inuenisset, quorum alij potentiorū dominatu contumeliosè vexabantur,

alij

alij quōd nullos magistratus haberent, interibant; etiam his malis eos liberauit, alios in potestatem suā redigendo, alios exemplo suo emendando, primò enim leges tulit. &c.

Maximus Tyrius sermone 6.

Ipsam ego reipublicæ salutem intelligo consistere in more composito ciuitatis, atque eius administratione decora: quæ quidem nequaquam aliter effici possunt, quàm optimarum legum ministerio.

Stobæus sermone de republica.

Demosthenes orator leges ciuitatis animam esse dixit: vt enim exanime corpus procumbit; similiter ciuitas, si leges absint, non consistit.

Plutarchus apud eundem sermone de Lege.

Tot, tantorūque bonorum, & munerum, quæ dii largiuntur, nullus est fructus, aut vsus rectus sine lege, iure, & principe.

Demosthenes contra Aristogitonem.

Æquitatis amica legum sanctio maximi facienda est, quæ omnes & vrbes & regiones tuetur. Per leges & reguntur vrbes, & conseruantur: quæ si abrogentur, & pro sua cuique libidine licentia detur, non respública dumtaxat intereat, sed nihil etiam inter nostram & belluarum vitam interfit. Omnia præclara, & augusta, & ea per quæ vrbs ornatur, & conseruatur, legibus accepta sunt ferenda. Et quorsum dicere attinet legibus, & obseruantia legum ornari omnia?

Nulla vsquam fuit, vel mediocris respública, sine certis legibus constituta. Nam & si Lycurgus nullas scripsit leges, certas tamē quasdā prodidit, nō tabulis; sed vt notiores essent, memoriæ ciuiū insculpendas.

Heraclitus

Heraclitus Ephesius dixit,

- 12 Non minus ciues pro legibus pugnare debent, quàm pro mœnibus ciuitatis: quòd absque legibus nullo modo ciuitas incolumis esse possit, absq; mœnibus possit.

Liuius lib. 1.

- 13 Multitudo coalescere in populi vnus corpus nulla re, præterquam legibus potest.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

- 14 Haud planè de republica differi potest, nisi vis legum prius explicetur: quibus tanquam firmissimo fundamento omnis ipsa respublica nititur, fulcitur, ac continetur: legesque ad omnem ciuitatè fundandam, ac conseruandam, non tantùm sunt vtilis, sed omnino necessariæ: quæ in quocunq; hominum cœtu aut societate parum valent, nulla ibi esse potest respublica, aut ciuitas.

Q V I D . S I T . L E X .

C A P . I I .

Basilii Magni in cap. 1. Isaiæ.

- 1 Lex est regula iustorum, & iniustorum: ea quidè imperans, quæ agenda sunt, his contradicens, quæ non veniunt faciendæ. ad cuius studium qui attentus est, ceber euadit, etiam si ignoret quid utilitatis ex eius obseruatione dependeat.

Aristoteles lib. 10. Eth. cap. 9.

- 2 Lex est sermo ab aliqua prudentia, atque mente profectus, quæ vim habet cogentem.

Idem in proœm. Rhetor. ad Alexandrum.

- 3 Lex, vt ita dixerim, ratio quædam est, quæ cõmuni ciuitatis cõsensu definita, iubet quo pacto vnumquodque agendum sit.

Marsilius

Marsilius Ficinus in Minõ hanc definitionem colligit ex Platone.

Lex est vera gubernandi ratio, quæ per commoda 4 media ad finem optimum gubernata dirigit; trãsgressienti pœnam, obedienti præmium statuens.

Stobæus sermone de Legibus.

Stoici legem dicunt orationem esse grauem, & 5 rectã; quæ faciendæ imperet, nõ faciendæ prohibeat.

Cicero Philipp. 11.

Lex nihil est aliud, nisi recta, & à numine deorum 6 tracta ratio, imperans honesta, prohibensq; cõtraria.

Vida lib. 2. de dignitate reip.

Hanc nos legem nominamus, & à legendo nomẽ 7 fecimus, quam Græci νόμον dici maluêrunt, quòd per eam vnicuiq; suum tribuatur. illi siquidè in legis nomine, æquitatis vim, nos verò delectus naturam attendimus. vt sit id, si rectè perpeditur, nihil planè aliud est, quàm ipsa ratio humanas actiones ad signũ dirigens, omnium domina atque regina.

Et paulò pòst.

Legem nobis à natura datam ita probare solent, 8 aiunt enim nobis à natura datam esse rationem, si ratio, etiam rectam rationem: atque lex nihil est planè aliud, nisi recta ratio insita in natura, in iubendo, & vetando, honesta imperans, turpia prohibens.

Diuus Thomas lib. 2. quest. 90.

Lex est quædam rationis ordinatio ad bonũ com- 9 mune, ab eo qui curã communitatis habet ordinata.

Besius lib. 4. de republica.

Leges sunt publicæ vitæ præcepta, quibus nos om- 10 nes obtemperare semper oportet: siquidem commune bonum, & æquitatem ipsam perpetuò spectat, atque

atque ab eo, qui iubendi, & iussa exequendi potestatem habet, proponuntur.

Alfonfus Castrus lib. 1. de potestate legis poenalis cap. 1.

- II Lex est recta voluntas eius, qui vicem populi gerit; voce, aut scripto promulgata, cum intentione obligandi subditos ad parendum illi.

DE UTILITATE LEGVM.
CAP. III.

Leuit. 26.

- I Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, ego quoque hoc faciam vobis; visitabo vos velociter in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras, & cetera.

Beatus Augustinus in Ioannem tractatu 6.

- 2 Ipsa iura humana per imperatores, & reges seculi Deus distribuit generi humano. tolle iura imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa villa, aut meus est ille seruus, aut domus haec mea est?

Solon versibus Elegiacis.

- 3 Inuehit heu quantas legum violatio clades!
At iustae leges commoda quanta ferunt?
Compedibus stringunt sceleratos, ordinis aequi
Conseruatrices, nil nisi recta sinunt.
Aspera complanant, sedant fastidia, frenant
Indomitos, abigunt semina quaeque mali.
Iura regunt, mansuefaciunt turgentia corda:
Compscunt miseram seditionis opus.
Litis bilem atram reprimunt, ac denique vitam
Humanam erudiunt, ut sapienter eat.

Aliter.

- 4 Haec moneo ciues, nec fabula ficta putetur,
Leges, atque Deum spernere, crede, nocet.

Sed

Sed placidam retinet pacem reuerentia iuris,
Peccanti quae non parcere lenta solet.

Haec prohibet turpem luxum, frenatque rebelles,
Crescere nec paritur semina sparsa mali:
Iudicis emendat fraudes, violentaque facta
Nasci inter ciues, diffiditque vetat.
Denique vita hominum tranquilla & honesta manebit,
Seruandi leges dum pia cura manet.

Aliter.

Cum leges soleant, corruptaque iura nocere,
Ciuiibus haec duxi commemoranda meis;
Omnia salua manent, vbi recta lege decenter,
Riteque res geritur ordine quaeque suo:
Compedibus fraudes vbi constringuntur iniquae,
Poenaque supplicio facta maligna premit.
Vrbem felicem, locus est vbi legibus aequis,
Et vires retinent iura sacra suas.
Non illic luxus regnat, morésue proterui:
Cuncta tenent recta cum ratione modum.
Publica res floret, tum noxia damna cessant,
Et bona mirantur crescere quisque sua:
Iudiciis fraus omnis abest, & facta superba,
Cumque suis cessat factio diffidiis.
Cum rixis cedunt irae sunt omnibus apta
Omnia, nec quidquam commoditate caret.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 6.

Lex pactum est, atque (ut Lycophron Sophista dixit) 6
Sponsor, & vas in officio mutuo permanendi.

Idem lib. 1. Rhetoricorum, cap. 4.

Salus ciuitatis in legibus sita est. 7

Iamblicus apud Stobeum sermone de magistratu.

Lex perhibetur omnium esse regina: eadem videtur 8

M

bons

bona præcipere, contraria prohibere. Quid igitur putamus, profectam ab ipsa bonam iuris, legumque constitutionem esse? quali pulchritudinis, quâtaque excellentia, & iustitia rebus omnibus antestare? quæcunque enim, & quantacunque genera, & species virtutum sunt per illa, & eiusmodi omnia legum pulcherrima præcepta penetrant; earum utilitas per totam reipublicæ administrationem, & omnes hominum vias extenditur. Est igitur lex commune bonum, sine quo nihil unquam boni fieri posset.

Dionysius Halicarnass. lib. 2.

9 Intellexit Romulus rectis legibus, honestorumque studiorum æmulatione piam, temperantem, iustam, belloque fortem ciuitatem fieri.

Idem lib. 7.

10 Libertas aufertur, ablato iure, ac legibus. Nam ex quacunque ciuitate ius legesque exulant, in eam seditio bellumque solent ingruere.

Demosthenes aduersus Midiam.

11 Robur corporis paucorum, leges robur sunt vniuersorum: legum præsidio vnusquisque vestrum saluus est; quidquid bonorum habetis, legum beneficio habetis.

Idem contra Timocratem.

12 Ad felicitatem reipublicæ, & populi libertatem in nulla re alia plus virium, & momenti est, quàm in legum auctoritate: leges causa sunt publicæ felicitatis.

Cicero pro Cecinna.

13 Maior hæreditas venit unicuique nostrum à iure & legibus, quàm ab his, à quibus illa bona relicta sunt. Nam vt perueniat ad nos fundus, testamento alicuius fieri potest, vt retineamus, quod nostrum factum est sine iure ciuili non potest.

Idem

Idem Cicero ibidem.

Nihil est in ciuitate tam diligenter retinendum, 14 quàm ius ciuile. Etenim hoc sublato nihil est, quare exploratum cuique possit esse, quid suum, aut quid alienum sit; nihil est quod æquale inter omnes, atque vnum omnibus esse possit.

Iornandes lib. de regnarum, ac temporum successione.

Romani, vt ait Iamblicus, armis, & legibus exercent sese, orbem terræ suam fecerunt. Armis siquidem constrinxerunt, legibus autem conseruauerunt.

Theodoricus rex apud Cassiodorum lib. 5. variarum.

Decet prouincias regno nostro subiectas legibus, 16 & bonis moribus ordinari: quia illa vita verè hominum est, quæ iuris ordine continetur. nam beluarum ritus est, sub casu viuere.

Idem apud eundem lib. 3.

Exiite barbariem, recipite paulatim iuridicos mores; non sit nouitas molesta, quæ proba est: quid enim potest esse felicius, quàm homines de solis legibus confidere, & casus reliquos non timere? iura publica, certissima sunt humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, potentium fræna.

Gregorius nonus in proœmio epistolarum Decretalium.

Effrænata cupiditas, sui prodiga, pacis æmula, mater litium, materia iurgiorum, tot quotidie noua litigia generat, vt nisi iustitia conatus eius sua virtute reprimeret, & quæstiones ipsius implicitas explicaret, ius humani fœderis litigatorum abusus extingueret, & dato libello repudij concordia extra mundi terminos exularet; ideoque lex proditur, vt appetitus noxius sub iuris regala limitetur: per quam genus humanum, vt honeste viuat, alterum non lædat, ius suum unicuique tribuat, informatur.

M 2 DE

DE LEGVM PRÆSTANTIA.

CAP. IIII.

Psalm. 18.

1 Lex Domini immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiã præstas paruulis.

Prouerb. 6.

2 Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ, increpatio disciplinæ.

Demosthenes contra Aristogitonem.

3 Vniuersa vita mortalium, natura, & legibus regitur: ac natura quidem confusa & inæqualis est, & à peculiari cuiusque pēdet ingenio: leges autem communes, & ordinatæ sunt, & eadem vniuersis. Quòd si praua natura fuerit, sæpè mala cōsilia molitur, quare tales facilè in delicta ruere liquet. Leges autem æqua, & honesta, & vtilia spectat, & ad illa referuntur, quæ inuenta si fuerint, commune iam indè mandatum omnibus proponitur, par, & æquale. atque ea lex est, cui parere omnes debent, cum propter multa, tum hac de causa potissimum, quòd omnis lex inuentum est, & donum deorum immortalium: decretum hominum sapientum; regula delictorum; quæ de industria, & fortuito cōmittuntur: ciuitatis commune pactum, cui viuere conuenienter omnes, qui sunt in vrbe, debent.

4 Maiora nos penè beneficia à legibus, quàm à natura habemus: quippe quòd naturâ homines vehementissimo cupiditatum æstu rapiantur, & constricti ducantur: leges verò iis ipsis cupiditatibus, quibus homines præcipites aguntur, coërcendis, atque frandis, hominum naturam per se ad vitia pronam, regant, ac dirigant, & ad virtutem flectant.

*Euripidi**Euripides in Supplicibus.*

Nihil est ciuitati præstantius, quàm leges rectè positæ: nam & inferioris homo sortis, & qui ditior est, æquale ius experiuntur: vincit autem minor maiorem, si iustam causam habeat.

Cicero lib. 1. de Oratore.

Docemur auctoritate, nutuque legum, domitas habere libidines, coërcere omnes cupiditates, nostra tueri; ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.

Biesius libris de Republica.

Legibus omnes reipublicæ partes tanquã in vnum corpus arctissimè deuinctæ sunt, leges tanquam rectissimæ quædam regulæ sunt, secundum quas vitam suam omnes ciues componant: legibus tanquã nervis omnia reipublicæ membra sunt in vnum corpus arctissimè deuincta: sine quibus, variis opinionum, & morum diffidiis confestim dissoluantur.

Cicero pro Cluentio.

Fundamentum libertatis, fons æquitatis, mens, & animus, & consilium, sententia ciuitatis posita est in legibus.

Non modò aduersus tyrannidem in legibus innocentia præsidium est, sed & magistratibus aduersus vulgi importunitatem, hic tanquam aheneus quidam murus est.

Imperator Leo in procemio constitutionum Nouellarum.

Sunt leges tanquam custodes vitæ nostræ, & medici, dum mala ne oriantur, impediunt, & quæ irperierint, corrigunt, & euellunt.

Idem Leo constitutione 19.

Qui leges reipublicæ oculos esse dixerit, is profecto nihil indecens pronūtiauerit. quemadmodum

M 3 enim

enim res maximè necessaria est animali, non titubans oculus; ita & reipublicæ legū æquus & rectus status.

Antiphones.

12 Fouétur omnes humanæ leges ab vna diuina, quæ quidem tantum potest, quantum libet, & sufficit omnibus, atque etiam superat.

Iustinianus de conceptione Digestorum.

13 Nihil tam studiosum in omnibus rebus inuenitur, quàm legum auctoritas, quæ & diuinæ, & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit.

Orosius lib. 5. de Regis institutione.

14 Est quidem lex mens omni perturbatione vacua, à mente diuina hausta, atque delibata. *Et post aliqua:* Sunt enim leges diuinæ benignitatis munera, sapientia decreta, humanæ societatis fœdera sacrosancta.

Et eodem libro.

15 Cùm igitur reipub. salus, dignitas, ornamentum; cùm regis ipsius officium, maiestas & amplitudo; cùm pax, libertas, omniumque bonorum affluentia; cùm regni securitas, imperium & propugnaculum in legibus constitutum sit: possumusne quidquam facere congruentius, quàm inculcare illius animo, vt neque se, neque quenquam alium plus in reipublica valere patiatur, quàm leges?

DE LEGISLATORE. CAP. V.

Proverb. 8.

1 Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.

Chrysof. in Psalm. 111.

2 Amor in legislatorem, facilem & gratam facit legem, etsi videatur aliquam habere difficultatem.

Plato

Plato in lib. Ciuili.

Patet legumlationem ad dignitatē regiā pertinere. 3

Xenophon lib. 8. de pædia Cyri.

Hæc quoque ita habent, quæadmodum item alia, 4 quando princeps melior sit, puriora iura constituit; quando verò deterior, nequiora.

Plutarchus in commentario, in principe requiri doctrinam. 5

Iustitia quidem legis est finis, lex autem principis opus.

Aristoteles lib. 10. Ethic. cap. 9.

Parris quidem præceptio vires non habet, neque necessitatem, neque vllius omnino vnus viri, nisi sit rex, aut aliquis talis: lex autem vim habet cogentem.

Ex lege Theodo. & Valentin. lib. legum Nouellarum Valentiniani, tit. 4.

Albine præfecte charissime, illustris, & præclara 7 magnificentia tua saluberrimam sanctionem mox in omnium peruenire notitiam propositis iubebit editis, vt possit facile cognosci condendarum, conseruandarumque legum curam nobis esse præcipuam.

Philo lib. 2. de vita Mosis.

Regis officium est iubere, quæ oportet fieri; & vetare, à quibus abstinere decet. Cæterum iussio faciendorum, & interdictorum cauendorum propriè ad legem pertinet. Atque ita consequitur, vt rex animata lex sit, lex verò sit rex iustissimus.

Thomas lib. 2. quest. 90.

Lex respicit ordinem ad bonum commune: ordinare autem aliquid ad bonum commune est, vel totius multitudinis, vel alicuius gerentis vicem totius multitudinis. & ideo condere legem, vel pertinet ad totam multitudinem, vel ad personam publicam,

M 4 que

quæ totius multitudinis curam habet: quia, & in omnibus aliis, ordinare in finem est eius, cuius est proprius ille finis.

Ex Aegidio lib. 3. parte 2. cap. 27.

10. Duobus modis probatur non esse cuiuslibet hominis leges condere, vno quia leges nos ordinant ad commune bonum, & cuius est ordinare, ac dirigere ad aliquod bonum, eiusdem est condere leges, & regulas tendentes ad bonum illud. Cùm igitur principis sit curare commune bonum, & ad illud subiectos dirigere; planè relinquatur, ad eundem pertinere, vt leges cõdat. altero modo id ipsum probatur, quia leges habent vim cogentem, cogere verò non potest, nisi princeps, vel alter qui summam habeat potestatem: Ergo ab eo duntaxat leges fieri possunt.

Dionysius Carthus. lib. 3. de fide orthodoxa artic. 103.

11. Prudentia quæ conuenit regi, specialis est virtus, & dicitur regitiua siue legis positiva, quoniam condere leges, est principalis actus eius, & solis regibus propriè conuenit: aliis verò, in quantum aliquid de regali proprietate participant.

12. Ex quibus omnibus aliisque multis perspicuū est, legumlationem regis esse, aut certè illius, qui summo imperio reipublicæ præest. Nec enim rectè rempublicam regere possit, si leges non ferat, nec leges proficiant, nisi ab eo factæ, & promulgatæ sint, qui cogere possit.

Chrysost. in Psal. 44.

13. Constituti sunt apostoli principes super omnem terram, & omnibus principibus fuerunt magis propriè principes, regibus potentiores. reges enim dum viuunt, dominatum obtinent; iis autem mortuis intercidit

tercidit dominatus: & regum quidem leges ratæ sunt & validæ intra eorum fines, iussa autem piscatorum per vniuersum orbem terræ extensa sunt. Imperator Romanorum Persis non possit ferre leges: nec Persarum rex possit ferre leges Romanis. hi autem Palæstini, & Persis, & Romanis, & Thracibus, & Scythis, & Indis, & Mauris, & vniuerso denique orbi terrarum leges dederunt: nec solum dum ij viuerent, firmæ & raræ fuerunt; sed iis etiam mortuis confirmatæ sunt: & qui eas leges acceperunt, mallent animas millies profunderè, quàm ab illis desciscere.

Plato lib. 4. de legibus.

Eum quippe solum rectè ferre leges existimo, qui 14 veluti sagittarius illuc animum semper intendit, vnde continuò aliquid sempèrque sequatur eorum, quæ bona sunt: cetera verò reliquit, siue diuitias, seu huiusmodi aliud, quod à virtutibus sit separatum.

Vid. lib. 2. de reip. dignitate.

Porro leges condere, res est ardua, quæ non modo 15 consilio atque prudentia plurimum indiget, sed etiam, vt sensit Plato, sine diuino fauore atque præsidio, seniorumq; consilio id munus perfectè minimè impleri potest.

Aristoteles lib. 2. Eth. cap. 1.

Legumlatores, ipsos ciues assuefacientes, bonos 16 efficiunt. Atque omnis quidem legumlatoris hæc est voluntas: qui verò non bene id faciunt, peccant.

Idem lib. 2. Polit. cap. 4.

Socrates duo legumlatori in legibus condendis 17 spectanda esse tradit, regionem, & homines: at nihilo secius addere oportuit, vt rationem vicinorum locorum habeat, si ciuitati vita est agenda ciuilibus: nec

M 5 enim

enim solum armis vti necesse est, quæ vsui sint in suis finibus, sed quæ ad externa loca possint accommodari.

Idem lib. 3. cap. 8.

18 Queritur à nonnullis, num legum conditor in re-
ctissimis legibus ferendis, ad meliorum commodum
debeat, an ad plurimum vtilitatem spectare: nam for-
tasse, quod rectum est, suscipi debet. Forsitan autem
rectum est, vt totius ciuitatis commodum, & ciuium
commune bonum legumlator sibi proponat.

Demosthenes oratione 2. contra Aristogitonem.

19 Eas vrbes maximè florere videmus, in quibus le-
gumlatores optimi extiterunt. Nam vt quæ in corpo-
ribus oriuntur infirmitates, medicorum inuentis cu-
rantur: sic animorum immanitas, legumlatorum pru-
dentia exterminatur.

Philo lib. 2. de vita Moysis.

20 Non ignoro, quod in legislatore optimo requi-
rantur omnes virtutes integræ: sed facultati legisla-
toris quatuor hæc sunt coniunctissima, charitas erga
proximos, iustitia, amor virtutum, & vitiorum odiu.
Quisquis enim ad leges ferendas animum appulit, ab
his causis singulis permotus est; siquidè charitas do-
cet sententias vtilis proferre in medium: iustitia ho-
noratur, vt æqualitas suu cuique tribuens. Virtutum
amor approbat, quod natura bonum est, & id omni-
bus dignis exhibet sine inuidia. Odium autem vitio-
rum exagitat contéptores virtutis, suspectos habens
vt hostes humani generis publicos, & perpetuos.

Dionysius Halicarn. lib. 2.

21 Oportet eum, qui mente sit præditus ad res admi-
nistrandas idonea, siue is legislator sit, siue rex, leges
ferre, quæ iustas, ac temperatas reddant vitas ciuium.

Ad

Ad legislatorem pertinet præstantissima quadam 22
ingenij vi, diuinæque mentis acie, omnia humana
providere; nullamque esse reipublicæ partem, quam
ipse non constituat: omnesque res, siue bellicæ, siue
domesticæ, siue forenses, siue rusticæ, siue urbanæ
cius præscripto regi: quin etiam ciues sanctis mori-
bus ab illo formari, ad beatamque vitam perducere.

Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum.

Legum ferendarum peritia, regnandi scientiæ pars 23
est, sicut etiam iudicandi facultas.

Diuus August. lib. de vera religione cap. 31.

Conditor legum temporalium, si vir bonus est & 24
sapiens, legem æternam consulit, vt secundum eius
incommutabiles regulas, quid sit pro tempore iubē-
dum, vtandumque discernat.

Fortunatianus lib. 2. Rhetoricorum.

Cum lex fertur, vel rogatio, quot locis diuiditur? 25
tredecim: Cum verba scripti executimus, id est, cum
quærimus, an obscura sit lex, an minus plena, an du-
bia, an anceps. sequens locus quis erit? Cum quæ-
rimus an contra legem, vel decretum, vel morem
referatur, & siquid huiusmodi fuerit. quid tertius?
an honesta sit lex, quam ferimus. quartus? an utilis
sit vel iusta. quintus? an necessaria. sextus? an facilis
sit in accipiendo. septimus? an possibilis in faciendo.
octauus? an alia lege satis caueatur id quod in hac
noua significatur. nonus? an hoc alio modo fieri
possit, quod noua lege comprehenditur. decimus?
quo animo quis contradicat. duodecimus? conie-
ctura, qua quærimus, qua causa quid factum sit, vel
fiat. tertiusdecimus? cum quærimus, quid sit futurum,
si lex fuerit probata, vel si non fuerit accepta.

Sanctus

Sanctus Chrysoſt. in Euang. Ioan. homil. 9.

- 26 Legumlatores veneramur, diligimus, & admiramur, qui nulla noſtra re indigentes, vel potiùs neſcij, qui futuri ſint, qui ex ipſorum legibus fructum ſint percepturi, tamen vitæ noſtræ curam habuerunt, eòſque qui honeſtè & probè viuunt, laudibus; qui malè & perperam, ſupplicio proſequuntur, & à ſceleribus arcent, ac ſi humanam offendant ſocietatem.

QVAMOBREM LEGES FACTÆ
SINT, ET FIANŦ. CAP. VI.

Proverb. 19. & 21.

- 1 Peſtilente flagellato ſtultus ſapientior erit. Multato peſtilente, ſapientior erit paruulus.

Demosthenes contra Ariſtogitonem.

- 2 Res duæ ſunt propter quas omnes feruntur leges, tum vt ne quiſquam iniuſti aliquid agat, tum vt iis, qui ius violarunt, punitis, alij meliores reddantur.

Cicero lib. 2. Officiorum.

- 3 Eadem conſtituendarum legum fuit cauſa, quæ regum. Ius enim ſemper quæſitum eſt æquale, nec enim aliter eſſet ius: id ſi ab vno iuſto, & bono viro conſequebantur, eo erant contenti: cùm id minus contingeret, leges ſunt inuentæ, quæ cum omnibus vna atque eadem voce loquerentur.

Demosthenes epistoſa 3.

- 4 Omnes leges propter æqualitatem, & ſalutem bonorum, & frugi hominum feruntur.

Cicero in Vatiniũ.

- 5 A maioribus noſtris nulla alia de cauſa leges ſunt inuentæ, niſi vt ſuos ciues incolumes conſeruarent.

Idem

Idem lib. 2. de Legibus.

Ad ſalutem ciuium, ciuitatũque incolumitatem, 6
vitamque hominum, & quietam & beatam, conditæ ſunt leges.

Idem lib. 1. de Inuentione.

Ea virtute & ſapientia maiores noſtri fuerunt, vt 7
in legibus ſcribendis nihil ſibi niſi ſalutem atque utilitatem reipublicæ proponerent.

Idem in eodem.

Vt ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi 8
quod ad corporis utilitatem ſpectat, quoniam eius cauſa eſt inſtituta; ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod reipublicæ conducat, proficiſci; quoniam eius cauſæ ſunt comparatæ.

Horatius Satyra 3. lib. 1.

Iura inuenta meri iniuſti, fateare neceſſe eſt, 9
Tempora ſi faſtoſque voles euoluere mundi.
Nec natura poteſt iuſto ſecernere iniquum,
Diuidit vt bona diuerſis, fugienda petendis.

Ouidius lib. 3. Faſtorum.

Inde data leges, ne fortior omnia poſſet; 10
Cœptaque ſunt purè tradita ſacra coli.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

Ne magiſtratus, & qui populos regunt, in iubendis 11
ac vetandis rebus errarent, neque quicquam agerèt
ex libidine, conditæ fuerunt mira omnium gentium
conſenſione leges, ſapientiffimorum hominum cogitata, atque inuenta: quibus iura ac iudicia deſcribuntur, vnum idemque nempe propoſitum legum, & magiſtratum eſſe debet, eademque voluntas, & ratio,

Et paulò poſt.

Hinc dicimus conditas fuiſſe leges ad ſalutem ci- 12
uium,

uium, vitamque omnium quietam ac beatam, ad compescendamque improborum licentiam, ut oderint iniustitiam, iusti autem naturam diligant, atque ut homines ab iniuria inter se attemperent, ut suum cuique tenere liceat.

Aristides oratione Platonica 1.

13 Atque id quidem fatebuntur omnes, nullam ad rem aliam legibus opus fuisse, nisi ut nihil a nobis inuicem damni pateremur, nec mali; & audaces prohibis potiores essent, verum iis iure cederent.

Lactantius lib. 2. Epitomes.

14 Ex eo tempore quo multi dii consecrari ab hominibus, colique coeperunt, fugata est (sicuti poetae aiunt) iustitia. Sic diremptum est omne foedus, dirempta societas iuris humani: cum sibi quisque consulere, ius in viribus computare, nocere inuicem; fraudibus aggredi, dolis circumscribere, commoda sua aliorum incommodis adaugere; non cognatis; non liberis, non parentibus parcere; ad necem hominum pocula temperare; obsidere cum ferro vias, maria infestare; libidini autem, quod furor eduxerit, fraena laxare: nihil denique sancti habere, quod cupiditas infanda non violaret. Cum haec fierent, tum leges sibi homines condiderunt pro utilitate communi, ut se interim tutos ab iniuriis facerent.

LEGES COMMVNEM VTILLI-

TATEM RESPICIANT.

CAP. VII.

1 *Basilus Magnus in principium prouerb.*

Valde ad praecipua morum tradenda refert, eum qui scribit, regem esse. Si enim regnum est legitima potestas,

potestas, manifestum, quod ex rege, alioqui hoc nomine digno, exeuntes vitae praeceptiones multum quidem apud omnes momenti habeant ad considerandam, consequendamque in communi bono utilitatem, & non ad priuata commoda respicientes. hoc enim tyrannus a rege differt, quod ille sua ipsius quomodocunque, & vndeunque respicit, ac tuetur; hic subditis consulere tantum quaerit.

Chrysof. in verba illa Pauli, Habentes autem eundem Spiritum.

Illae potissimum leges hominem similem Deo reddunt, quatenus Deo similem fieri hominem licet, quae ad publicam utilitatem faciunt.

Plato in Critia.

Has nos negamus esse republicas, neque censemus rectas esse eas leges, quae non sint communiter totius ciuitatis gratia positae. qui autem aliquarum partium gratia leges condunt, eos non ciues, sed seditiosos putamus, & iura sua frustra sic ab eis vocari censemus.

Idem epist. 8.

Principio, leges tales sint, quae non ad opes, pecuniasque comparandas, neque ad libidines mentes conuertant; sed cum tria sint, anima, corpus, pecunia, virtutem animi maxime anteponant: secundo vero loco virtutem corporis, virtuti animi seruientem. tertio, ultimoque gradu pecuniarum pretium collocent, animo, corporique ministrans. Quaecunque lex haec efficit, recta est, reuera beatitudinem videntibus afferens. Locupletes vero beatos appellare, sermo amens est, & infelix, mulieribus, puerisque conueniens, atque eos qui id credunt, tales efficiens.

Cicero

Cicero lib. 2. de Legibus.

5 Constat profectò ad salutem ciuium, ciuitatim-
que incolumitatem, vitamque omnium quietam &
beatam, conditas esse leges; eosque qui primùm eius-
modi scita sanxerunt, populis ostendisse, ea se scriptu-
ros atque lauros, quibus illi ascriptis, susceptisque,
honestè beatèque viuerent: quæque ita composita,
sanctaque essent, eas leges videlicet nominarunt.

Archita lib. de Lege, & Iustitia.

6 Ad ciuilem communionem conducet, si lex non
monarchica fuerit, neque ad priuatam quorundam,
sed ad communem vtilitatem instituta, & ex æquo
ad omnes pertinens. Oportet autem vt lex regionis,
& locorum rationem habeat: Nam nec omne solum
fert omnia, nec omnium hominum animi earundem
virtutum capaces sunt.

Liuius lib. 34.

7 Nulla lex satis commoda omnibus est: id modò
quæritur, si maiori parti, & in summam prodest.

8 Leges conquire, quæ & iustæ sint, & reipublicæ
conducibiles, & inter se consentientes. Deinde, quæ
lites quàm paucissimas pariant, & exortas quàm fieri
possit ocysimè finiant.

LEGES PERSPICVÆ SINT,
ET POSSIBILIA VELINT.

CAP. VIII.

Deuter. 27.

1 Scribes omnia verba legis huius planè & lucidè.

Demosthenes contra Timocratem.

2 Arbitror confitendum esse omnibus, probam le-
gem, & multitudini profuturam, primùm simpliciter,
& omni-

& omnibus æquè apertè scriptã esse oportere, ne eam
alius aliter interpreteretur. Deinde fieri posse oportere
ea quæ iubet: nam si præclarè constituta sit, sed ali-
quid tamen, quod nequeat fieri, proponat; id voti
potius, quàm legis fuerit officium.

Plato lib. 5. de Legibus.

Possibilia volet fundator legum, impossibilia nec
volet; nam vana esset ea cupiditas.

Isocrates in Panathenico.

Leges sint cognitu faciles: deinde iustæ, & vtilis, &
inter se consentientes, & magis in hoc intentæ, vt pu-
blica instituta præclara sint, quàm vt priuata com-
mercia sine fraude fiant, quales esse decet in republi-
ca bene constituta.

Plutarchus in Solone.

Decet autem in ferendis legibus possibilitatis, &
facultatis rationem habere: si quis velit vtiliter in pau-
cos, quàm sine vtilitate in multos animaduerrere.

Proverb. 30.

Qui vehementer emungit, elicit sanguinem.

Matth. 23.

Alligant onera grauia, & importabilia, & impo-
nunt in humeros hominum.

Deuteron. 31.

Leges verba legis huius corã omni Israel audien-
tibus eis, & in vnum omni populo cõgregato; vt au-
dientes discant, & timeant Deum, & custodiant, im-
pleantque omnes sermones legis huius.

Expedit vt leges sint populo notæ, vnde veteres
eas in tabulis, & albo descriplas publicitùs exhibe-
bant, quo cunctis essent conspicuæ; deinde vt verbis
apertis, minimèque perplexis descriptæ sint.

N *Chrysof.*

Chrysoſt. in Pſalm. 110.

- 10 Mandata Dei facta in veritate & æquitate: nihil est in eis obliquum, nihil contortum, nihil obscurum, nihil ad gratiam vllam aut odium; sed omnia ad bonum & vtilitatem: non sicut leges hominum, quæ magna ex parte sunt mométaneæ, & obscuræ, & quæ multum habent ex homine: ex humanis enim perturbationibus multæ sæpè leges latæ sunt.

DE MULTITVDINE LEGVM.

CAP. IX.

Isocrates in Areopagitico.

- 1 Veteres Athenienses existimabant multitudinem, & nimis exquisitam legum constitutionem, signum esse mali status reipublicæ. Nam dum delicta quasi aggeribus obiectis coërcere nitantur, necessariò cumulari leges. Decere autem prudentes magistratus non porticus implere legibus, sed efficere vt ciues animis insitum iustitiæ studium habeant.

Stobæus sermone de Rep.

- 2 Archefilaus dicebat: Quemadmodum vbi pharmaca multa, multique medici sunt, ibidem & morbi abundant: sic etiam vbi plurimæ leges fuerint, ibi & iniustitia viget maximè.

Strabo lib. 6. Geographia.

- 3 Boni legumlatores sunt, non qui omnia accusatorum acta cauerint, sed qui simpliciter latis persistunt. Hoc à Platone dictum est: Quibus leges ad sunt plurimæ, & item pœnæ plurimæ, iis & viuendi ritus deprauatos esse: sicut quibus plures adsunt medici, iis & egritudines permultas adesse probabile est.

- 4 Rectè quidem Tertullianus censebat, squallentem legum

legum siluam principum constitutionibus, tanquam securibus, esse truncandam.

Georgius Cedrenus in compendio Historiarum.

Basilus imperator videns ciuiles leges multum habere confusionis atque obscuritatis, operam dedit vt iis conuenientem faceret medicinam: itaque abrogare inutiles, iisque amputatis multitudinem bonarum expurgare intendit. Sed mors eius hoc institutum interceptit, res à filio deinde perfecta est.

Ioannes Curopalates in historia.

Cum videret Basilus ciuiles leges multa obscuritate & confusione refertas, operam dabat vt eas, quæ admodum parærat, pro dignitate corrigeret, & abrogatas, quæ nulli vsui essent, abiiceret & amputaret: earum verò quæ ratæ essent, multitudinem expurgaret: verum non datum est ei idoneum spatiu morte occupato; sed Leo eius filius postea hoc munus expleuit.

Dabit operam optimus princeps, non vt multas condant leges, sed vt quàm optimas, maximèque reipublicæ salutares. Nam bene institutæ ciuitati, sub bono principe, & integris magistratibus, pauca leges sufficiunt.

Demosthenes aduersus Leptinem.

Intelligitis, Athenienses, quo pacto & quàm præclare leges ferre Solon iubebat. Primum apud vos, qui iurati estis, deinde contrariis legibus abrogatis, vt singulis de rebus leges singulæ sint: ne homines imperitos idipsum turbet, & efficiat vt deteriore conditione sint, quàm qui vniuersas cognitatas & perceptas habet. Sed vt iure perspicua & simplicia legere & intelligere liceat omnibus. Non erit tanta mul-

titudo legum, si leges superflua reiciantur, & quae barbarae sint & incommodae, abrogentur: & quae in dissuetudinem abierunt, ex libris legum tollantur: & quae admodum, ac de grauioribus duntaxat leges nouae ferantur.

Suetonius in Iulio Caesare cap. 44.

- 9 Ius ciuile ad certum modum redigere, atque ex immensa, diffusaque legum copia optima quaeque & necessaria in paucissimos conferre libros destinabat.

NE LEGES NOVAE FACILE

FIANT. CAP. X.

Seleucus in proemio legum.

- 1 Si quis voluerit leges sanctitas mouere, aut nouam statuere, is collo in laqueum immisso, de lege verba faciat. Quod si per suffragia videatur veterem legem esse tollendam, aut eam, quae noua infertur, bonam esse: indemnis maneat. contra si prior lex melius habere videatur, aut quae noua proponitur, iniusta sit, is qui mouet, infertve legem, laqueo attracto moriatur.

Demosthenes contra Timocratem.

- 2 Narrabo vobis iudices, quo pacto Locris leges ferre soleant, nihil enim vobis nocuerit, exemplum aliquod audiuisse, tale praesertim, quo laudata respublica vitur. Nam illi vsque adeo censent veteribus legibus vtendum, & instituta patria ornanda esse, vt si quis legem nouam rogare velit, collo in laqueum inserto id facere cogatur: quae lex, si honesta, & utilis videtur, auctor eius viuit, & abit: sin minus, perit constricto laqueo. Proinde nouas rogare leges non audent, sed veteribus religiosè vtuntur.

Plato

Plato lib. 6 de Legibus.

Omnibus perspicuum est, neminem leges nouas 3 facile suscepturum.

Thucydides lib. 6 in oratione Alcibiadis.

Ad summam, sic sentio, tutissimos inter omnes 4 degere eos homines, qui praesentibus moribus, ac legibus, etiam si minus bona sint, vtentes, eodem tenore rempublicam administrant.

Agathius lib. 2. Historiarum.

Liquet sane, homines, & singulas nationes, eas le- 5 ges sanctiores caeteris ducere & potiores, quibus diu insueuerunt; atque adeo, vt si quid praeter illarum instituta geratur, fugiendum his esse, & plane ridiculum videatur, & eiusmodi demum, vt prorsus nil fidei faciat. Adiuuentae sunt tamen mortalibus diuersae quidem pro legibus suis tuendis rationes, & causae, partim forsitan veriores, partim, quae ad persuadendum sic valeant, comparatae.

Beatus August. epistola 118.

Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quae adiuuat 6 vtilitate, nouitate perturbat.

Vt in morbis non sunt tentanda noua remedia, si 7 veteribus succurri malo possit: sic non sunt condenda nouae leges, si veteres ministrant aliquid, quo malis reipublicae medearis.

Ferus in Ecclesiastem cap. 1.

Nemo conetur omnes defectus simul auferre; non 8 enim potest in rebus humanis tam bene agi, vt omnia rectè fiant, & non plurima mala restent. videmus enim, eos qui omnia optimè reformare & corrigere volunt, saepe plurimum nocere; neque quisquam se plus a quo affligat, si non omnia corrigere potest. Nam

N 3

& sancti

& sancti plura tolerare coacti sunt, & Domini iudicio committere; & ipse Christus inquit: finite vtraque crescere, ne fortè cum zizaniis simul eradicetis & triticum.

DE ABROGATIONE, ET
MUTATIONE LEGVM. CAP. XI.

Plato lib. 6. de Legibus.

1 Nihil sponte in legibus moueatur: si qua verò necessitas aliquādo vrgere videbitur, de hoc simul consulent magistratus omnes & populus vniuersus, & omnia deorum petantur oracula; si horum omnium vnus erit consensus, moueant: aliter verò nunquam, sed vnus qui prohibeat, vincat.

Idem Plato ibidem.

2 Omnes eas leges colunt, & innouare formidant, in quibus educati sunt: si illæ diuina quadam fortuna longis temporibus stabilitæ fuerint.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 6.

3 Cùm parua commoditas inuitauerit, quia nocet reipublicæ, vt ciues assuescant facilè leges antiquare, haud dubiè satius fuerit, peccata quædam legumlatorum & magistratuum permittere. Nec enim tantum legum mutatio profuerit, quantum consuetudo imperantibus non parendi nocebit. At tota vis parèdi legibus in more posita est: qui mos, nisi lōgo tempore, non ingeneratur. Itaque ex prioribus legibus in nouas mutatio, legis potentiam infirmit.

Dion Cassius lib. 53.

4 Augustus Cæsar in præceptis bene administrandæ reipublicæ hoc primum tradidit: Leges firmiter retinete, neque quidquam in his mutate: nam quæ eadè
semper

semper manent; & si sint non nihil vitiosa, vtiliora tamen sunt his, quæ subinde, etiam si in melius, innouantur.

Thucydides lib. 3. in oratione Cleonis.

Multò melior est status ciuitatis, quæ licet deterioribus, firmis tamen, legibus vititur; quàm illius, quæ bonis quidem, sed quæ perinde non obseruentur.

Plutarchus in Apoph. Laconicis.

Pausanias ad quendam interrogantem, cur ex prioribus legibus nullam mouere apud Spartiacas liceret: quia leges, inquit, hominum, non homines legum dominos esse oportet.

Hierocles apud Stobæum serm. de patria.

Oportet autem leges patriæ tanquam alteros deos obseruare: si quis verò leges aut violare aut innouare conabitur, hic omni studio prohibendus, & modis omnibus oppugnandus. Contemptus enim legum, & innouatio ab antiquitate separata, non bonum ciuitati est studium.

Theodosius tit. 13. lib. legum Nouellarum.

Habet hoc insitum sollicita æquitatis examinatio, habet secundarum cogitationū subtilior & exactior cura, vt si quid in legibus ferendis post impetum primum deliberatio præpropere deliquerit, id consilio propensiore reuocetur: permittit enim consuetudo ipsa rerum, ad stipulantur innumera vetustatis exempla, multas leges à suis latoribus, dempta aut addita parte, posse corrigi; multa tractatu maturiori penitus abrogari.

Beatus August. lib. 1. de libero arbitrio.

Si populus sit bene moderatus, communisq; utilitatis diligentissimus custos, in quo vnusquisque mi-

noris rem priuatam, quàm publicam pendat; nõne rectè lex fertur, qua huic ipsi populo liceat creare sibi magistratus, per quos sua res, id est publica, administratur? rectè prorsus. Porrò si paulatim deprauatus idem populus rem priuatam reipublicæ præferat, atque habeat venale suffragium, corruptus ab eis qui honores amant, regimen factiosis consceleratisque committat; nõne item rectè si quis extiterit vir bonus, qui plurimum possit, adimat huic populo potestatem dandi honores, & in paucorum bonorum, vel etiam vnus redigat arbitrium? & id rectè. num dicemus aliquàm earum iniustam esse, & ferri minimè debuisse? nullo modo.

Tertullianus in Apologetico, cap. 4.

10 Si lex tua errauit, puto ab homine cõcepta est, nec enim de cælo ruit. miramini hominem aut errare potuisse in lege condenda, aut resipuisse in reprobanda? nõne & vos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis, totam illam veterem & squalentem siluam legum, nouis principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis & cæditis? quot adhuc vos repurgandæ leges latent, quas neque annorum numerus, neque cõditorum dignitas commendat, sed æquitas sola?

Ex diuo Thoma prima 2. quest. 97.

11 Ex duabus causis lex iustè mutari potest, vna vt lex fiat perfectior & utilior; altera propter mutationem conditionis subiectorum, quibus varia expediunt secundùm diuersitates temporum & locorum: sed nunquam lex debet mutari, nisi maxima necessitas aut utilitas euidentissima id expostulet.

Ioannes

Ioannes 22. tit. 9.

Quia in futurorum euentibus sic humani fallitur incertitudo iudicij, vt quod coniectura probabili ex nunc interdum attentata consideratio vtile pollicetur, reperiri damnosum quandoque contingat; nonnunquam quod consultè statuitur ex sanioris inspectione iudicij, consultius reuocatur.

Æschines in Ctesiphontem.

Solon Thesmothetis præscripsit, vt quotannis publicè leges corrigant, cum diligenter exquisierint & considerarint, si ne lex aliqua alteri contraria, aut irrita inter ratas & firmas; aut sicuti leges plures vna de quaque rescriptæ sint. quòd si quid tale inuenerint, concionem conuocent, & magistratus populi suffragiis alias leges abrogent, alias relinquant, vt lex sit vna de quaque re, non plures.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

Leges ciuiles per alias leges tolli possunt, & plerunque tolluntur; si aut non iure rogatæ fuerunt, eaque vsus coarguit; aut si eas aliquis status reipublicæ inutiles fecit.

Idem.

Draco apud Athenienses leges scripserat, quas deinde Solon ferè omnes sustulit, quòd in illis mors erat definita pœna, tã iis qui furati essent olera, quàm sacrilegis, & patriæ proditoribus; peccatæque omnia, perinde ac si essent paria, vltimo supplicio mulctauerat. Propterea ferunt Demaden quendam acutè dicere solitum, Non atramento, sed sanguine, Draconem leges suas exarasse.

N 5 D E

DE LEGIBVS NOVIS.

CAP. XII.

Lib. 2. Machabæorum cap. 2.

1 Iudas & fratres eius famosissimum templum recuperarunt, & ciuitatem liberarunt, & leges quæ abolitæ erant, restituerunt.

Cornelius Tacitus lib. 14. Annalium.

2 Caius Cassius in senatu Romano in hunc modum differuisse traditur: Sæpenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta & leges maiorum noua senatus decreta postularentur: neque sum aduersatus; non quia dubitarem, super omnibus negociis melius, atque rectius olim prouisum, & quæ conuerterentur, in deterius mutari: sed ne nimio amore antiqui moris, studium meum extollere viderer.

3 Satius quidem interdum est, aliquid à maioribus non omnino optimè constitutum tolerare, quàm id multarum ætatum usu receptum & comprobatum, dum quasi iniquum tollere volumus, vniuersæ ciuitatis ocium atque pacem perturbare, aut etiam in aliquod seditionis discrimen eam adducere. Tum illud addo, quòd ex nouis legibus, quàm ex veteribus, plerunque maiora nascuntur incommoda.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 6.

4 Leges vniuersè scriptas esse necesse est; actiones autè in singulis versantur: quo palam fit, leges quædam & quandoque utiliter mutari.

Ulpianus lib. 4. Fideicommissorum.

5 In rebus nouis constituendis euidenter esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure quod iam diu æquum visum est.

6 Bonis legibus occurrendum est malis moribus, corrigendæ

rigendæ leges deprauatæ, tollendæ iniquæ.

Seleucus in proæmio Legum.

Ex conditis legibus, si quæ videbitur non bene lata esse, in meliorem formam mutetur: Confirmatis verò, & permanentibus omnes obediunt.

Proæmium legis Martiani lib. legum Nouellarum eiusdem imperatoris, tit. 5.

Sæpe materiam scribendis ferendisque legibus, negocia inopinatè exorta suppeditant, & aut nouas constitui sanctiones, aut durius & asperius latas faciunt abrogari: equalis enim in utroque equalitas est, vel promulgare quæ iusta sunt, vel antiquare quæ graua sunt.

Liuius lib. 34.

Ego quemadmodum ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis reipublice inutilem fecit: sic quas tempora aliqua desiderarunt, leges mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video: quæ in pace latæ sunt, plerunque bellum abrogat, quæ in bello, pax: ut in nauis administratione alia in secunda, alia in aduersa tempestate vsi sunt.

Diuus Chrysostr. in priorem epistolam ad Corinth. sermone 7.

Nihil adeò animos perturbat (etiam si de utilitate agatur) quàm innouare aliquid, & à consuetudine alienum facere: & maximè cum de cultu & Dei gloria agitur.

Thomas Morus lib. 1. de optimo reipublicæ statu.

Leges abrogatas consuetudine haud temerè princeps

ceps reuocet, præsertim quæ diu desiræ nunquam desideratæ sunt.

Marsilius Ficinus in librum Platonis de Regno.

- 12 Rex vnà cum senatu leges condatur, quas non liceat, vel cuiquam priuato transgredi, vel vulgo mutare: liceat tamen regi, senatuique simul pro temporum opportunitate, quatenus expedit, diligenti cum equitate, & rebus ipsis accommodare atque temporibus, & si oportuerit, permutare.

Vida lib. 2. de reip. dignitate.

- 13 Sunt leges aliquæ, quas indies ætas retractat, expoliturque, & in meliorem rationem mutat. namque humana solertia non omnia, quæ cogitat, ilico perfectè videt, ac sentit; verùm indies hominum ingenia magis ac magis acuuntur atque illustrantur: & per sepe quæpiam, quæ animus tuus heri & nudius tertius ignorauit, hodie scire incipit. Natura enim paulatim nobis sese detegit, atque enudat: idcirco quotidie, prout tempus desiderare videtur, nouæ cõduntur leges.

Et post aliqua.

- 14 Quoniam verò ea, quæ sunt à natura, hominum industria plerunque meliora fiunt, (etenim quæ natura inchoat, hominum sapiëntia perficit, quæ ue confusa, & quasi per caliginem ac nebulam quandã nobis ostendit, nos distinguentes illustramus) sapientissimi homines legumlatores philosophiæ lumine adiuti, iuris, ac iusti, quod erat planè inuolutum, naturam & vim mortalibus ostenderunt; & quæ natura fusè, & liberè animis hominum suggerit, illi articulatim, distinctèque diuidentes in genera, plurimos ab eo fonte riuulos deduxere; legesque, iudicia & iura enucleatè

enucleatè describere, declarantes quæ publica, quæve priuata; quid sacrum, quid profanum; quid suum cuiusque, quid alienum.

DE ALIIS LEGVM QUALITATIBVS. CAP. XIII.

Plato lib. 7. de Legibus.

Multa sunt in ciuitate quæ doctrinæ potiùs quàm legibus congrua esse videntur: quæ enim priuatim & per singulas domos, tum multa, tum parua & occulta quotidie fiunt, cum faciliè ex voluptate, dolore, & cupiditate singulorum, præter legumlatoris consiliũ agantur, varios & dissimiles mores ciuium reddunt: quæ res ciuitatibus officit. Cum verò parua & frequentia sint, singulis multa imposita, ea legum positione vetare, non satis honestum esset atque decorũ; quin etiam scriptis legibus derogaret, cum in paruis & multis ad contemnendas leges homines cõsuescerent: quapropter leges de his scribere difficile est. ridiculus quidem legislator habebitur, si multa, frequentiaque, & minima quæque de familiari administratione decreuerit.

Idem Plato lib. 9.

Legislator necessitate coactus leges imponit. ipse namque nullum vellet vsum necessitatẽque legum vnquam fore.

Ex Thucydide lib. 3. in oratione Diodoti.

Ingenitum natura est omnibus, & priuatim & publicè delinquere; nec vlla lex tanti est quæ illud prohibere possit, cum per omnia sit itũ supplicia, si quomodo his terroribus homines à facinorosis minùs læderentur; & nihilominus delinquunt homines: itaque

itaque aut aliquis isto vehementior inueniendus est terror, aut ne iste quidem coërcebit. Ergo impossibile est crimina omnino prohibere aut legum vi, aut alia difficultate. Quare non oportet leges durissimas ferre, ne ad desperationem ij qui defecerint, impellantur, tanquam eis pænitere non liceat, neque unquam delicta eluere, aut eorum veniam impetrare, aut pœnas tolerare non queant.

4 Durum quidem & iniquum atque captiosum est, illaqueare populum multis legibus non necessariis.

Ex Alfonso Tostado in parte 2. defensorij, cap. 61.

5 Non solum principes seculares omnia crimina punire non debent, sed ne Ecclesiæ prælati pro quolibet peccato pœnam possunt imponere: quin etiã ipsi peccarent, si talia statuerent aut exequerentur: quia vitare omnia vitia est supra hominis naturam. & quia legislator ea dumtaxat prohibere debet, quæ rempublicam aut ciues lædunt, *vt idem Alfonsus docet cap. 54.*

Diuus August. lib. 1. de libero arbitrio.

6 Ea vindicanda sibi lex populi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperitis, & quãta possunt per hominem regi. *Et paulò post: Videtur tibi lex ista, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere atque impunita relinquere, quæ per diuinam tamen prouidentiam vindicantur, & rectè.*

Isocrates ad Nicoclem.

7 Leges quare in vniuersum æquas & vtilis, & inter se consentientes; & præter hæc tales, quæ controuersias quàm paucissimas pariant, & compositiones quàm fieri potest celerrimas inter ciues efficiant. Hæc enim inesse oporteret omnia legibus bene constitutis.

Ex

Ex Egidio Romano lib. 3. parte 2. cap. 26.

Tria respicere debet lex humana: ius naturale, à quo debet habere fundamentum: bonum commune, ad quod est dirigenda: subditos ipsos, quibus est applicanda. itaque tria lex continere debet: vnum ex lege naturæ, quod sit iusta: alterum ex communi bono, quod sit vtilis: tertium ex subiectis, quod sit possibilis, & moribus, locis, temporique conueniens. & nullo priuato cōmodo lex ferenda est, nisi bonum illud ordinetur ad bonum commune.

Guntherus lib. 8. de gestis Friderici.

Ac primùm moneo, quidquid statuisse licebit, 9
Vtile sit, iustum, naturæ, moribus aptum,
Temporis atque loci patiens, & prorsus honestum.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

Perrarò solerti homini contingit errare, si in ferendis 10
legibus nihil ab illa principe & summa lege naturæ deflectat: quam sequi debet, & ad illam cynosuram cursum tendere; sicut in omnibus etiam rebus industria & solertia humana, quoad potest, imitatur naturam. Quãobrem ciuitatum scita & instituta nihil aliud esse videntur, quàm illius æternæ legis quædam quasi explanatio atque illustris explicatio, quæ eam omnibus apertã & dilucidam reddit, in qua fusa consistunt omnia iusta, quasi legum occulta quædam semina.

LEGES SINT GRATÆ POPV-
LO, ET ACCOMMODATÆ REIP.

CAP. XIII. *Plato lib. 3. de Legibus.*

Illud etiam legislatoribus multi præcipiunt, vt leges huiusmodi ferant, quales multitudo & populus libenter suscipiat.

Laertius

Laertius lib. 1.

2 Aiebat Solō leges araneorum telis esse simillimas; illis quippe si quid leue & imbecillum inciderit, inuolui ab eis atque cōtegi; si quid maius aut grauius, perrumpi ac perire.

Stobaeus lib. de Potentibus.

3 Zaleucus Locrensiū legislator, leges aiebat araneorum telis similes esse. Nam sicut in illas, si musca, aut culex inciderit, retinetur; si verò vespa, aut apes, disupta tela auolat: ita legibus pauperes detinentur, ditiores, atque potentes elabuntur.

Plutarchus in Solone.

4 Cūm Solon publica negotia tractare, ac leges describere aggressurus esset, atque id apud Anacharsim percrebuisse, impensam Solonis operam & studium vehementer irrisisse aiunt: quippe qui existimaret se iniurias ciuium, & cupiditates literis coërcere posse, quæ nihil ab araneorum telis differrent: sed quemadmodum illæ, sic hæ ex captis debiles, atque imbecilles detinent; à locupletioribus autem atque potentibus rumpuntur. Ad hæc Solonem respondiisse dicūt: Conuentiones tamen, & pacta homines seruare solere, quæ transgredi ex contrahentibus nemini conducatur: eodem modo se ita ciuibus leges accommodare, vt eas seruare, quàm non, vtilius, & salutaris omnibus esse videatur.

5 Leges ad rempublicam accommodari debent, & ab omnibus accommodantur, non ad leges respublica.

Plutarchus in Politicis.

6 Statim mores, & ingenia conari mutare populi, nouisque ea legibus moderari extemplo velle, non modò non facilè, verùm ne tutum quidem omnino est:

est: vt res quæ multo tempore, & ingentibus viribus indiget.

Ad ciuilem hominum consuetudinem leges accommodandæ sunt, non aliter atque pharmacum attemptari oportet ægri corporis nature ac viribus.

Ex diuo Thoma prima 2. quest. 96.

Cūm lex humana, sit regula, & mensura humanorum actuum, & ponatur multitudini hominum, in qua maior est numerus imperfectorū: ideò non prohibet omnia vitia, à quibus probi homines abstinēt, sed solum grauiora, à quibus possibile est, maiorem partem multitudinis abstinere, maximè quæ in aliorū detrimentum sunt, & societatem humanam turbant.

Alfonsus Tostadus lib. de optima politia.

Legislator non debet condere optimas leges, quia imperfectus populus leges perfectissimas tolerare non poterit: si quis autem veller optimas facere, hoc ipso faceret pessimas, & nullo modo conuenientes reipublicæ: neq; Deus ipse leges simpliciter optimas dedit Hebræis, sed populo illi accommodatas.

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo Senatore.

Quemadmodum hominum diuersi mores, varia studia, dispar conditio, sic rerum publicarum multiplex est gubernatio: quarū singulæ tametsi finis vnius causa, boni scilicet, quod est in hominum felicitate positum, constitutæ sint, eamque felicitatem persequè omnes expetāt; diuersas tamē eius consequendæ rationes inire solēt, variisque legibus, & moribus vtūtur. Si quis enim respublicas ab antiquis legumlatoribus constitutas inspiciat, diuersissimas in eis leges, dissimiles magistratus, dispares rerum publicarum formas sanè viderit: illi septem etiam sapientes diuersa
O studia,

studia, leges, imperia pro ingenio ciuium in resp. induxerunt, variisque institutis, & moribus eas administrarunt.

- 11 Ex quibus omnibus, aliisque multis perspicuum est, insigniter errare illos, qui zelo quidem, sed non secundum scientiam, moti, quidquid bonum sibi videtur, protinus id legem esse volunt: quo fit, ut legibus, atque decretis ferè innumerabilibus, vtrunque rempublicam premant.

DECERE VT REX LEGES

SERVET. CAP. XV.

Diuus Ambrosius epistola 32. ad Valentinianum Imperatorem.

- 1 Cùm leges prescripsisti aliis, prescripsisti & tibi: leges enim imperator fert, quas primus ipse custodiat.

Xenophon de laudibus Agesilai.

- 2 Inter maximas patriæ virilitates, hoc ego eius facinus posuerim, quod perspicuè ostendebat, se nihil malle, quàm legibus inseruire. Quis nanque refragari his voluisset, cùm regè obtemperare intueretur?

Dionysius Halicarnas. lib. 5.

- 3 A principio omnes Græcæ ciuitates erant sub regibus, nisi quòd illi non barbarica licentia dominabantur, sed legitimè iuxta patrios mores regnum exercebāt; optimusque rex habebatur, qui esset iustissimus, & legum seruantissimus, nusquam discedens ab institutis patriis. id quod ex Homero liquet, appellante reges, iuris redditores, siue iuridicos. Sed postquam aliqui eorum inceperunt abuti potestate, & in rebus administrandis nō tam leges sequi, quàm suam

suam libidinem; regni rædio magna pars Græciæ mutauit statum publicum.

Diodorus Siculus lib. 2.

Reges Ægypti veluti priuati tenebantur legibus; neque id ægrè ferebant, existimantes parendo legibus, se beatos

Salomonius lib. 1. de principatu.

Oportet in ciuitate principē habere regulam, per quam dirigatur in operationibus suis, ac dirigat alios, & per quam iudicet: hoc autem fit per legem, ut ait Thomas 4. Commentariorum in Politica.

Diuus Thomas in lib. 3. Polit. lectione 9.

Legem oportet esse dominam eorum omnium, de quibus leges determinare possunt: principem autem oportet esse dominum illorum omnium, quæ per leges non possunt cum certitudine terminari. lex enim fertur in vniuersali, & ideo in aliquo particulari quandoque habet instantiam: in isto autem casu princeps dominatur. Est verò manifestum, oportere in ciuitate ut princeps habeat regulam, per quam dirigatur in operationibus suis, ac dirigat alios, & per quam iudicet; hoc autē potest facere per legem: quare oportet legem dominari.

Stobæus sermone de Legibus.

Lacedæmonij omnes regi consurgunt, præter Ephoros: & rex ante susceptum imperium iurat, imperaturum se iuxta ciuitatis leges.

Plutarchus in Apoph. Græcorum.

Themistocles ad Simonidem iudicium quoddam minus iustum efflagitantem, dixit: Neque illum esse bonum poetam posse, si præter numerum caneret; neque se bonum principem, si præter legem iudicaret.

Idem in Apoph. Laconicis.

- 9 Agefilaus ab Ephoris reuocatus, ex Asia soluit, dicens, Bonum imperatorem oportere legibus parere, ac tamen quidem verè iustèque ducem imperare, quando legibus parat. *Idem in Apoph. Græcorum.*
- 10 Antiochus tertius ad ciuitates scripsit, si quid contra leges per literas facere iusserit, ne sibi tanquam ignaro parèant.
Lex Theodosij, & Valentiniiani.
- 11 Digna vox maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri: ad eò de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas: & reuera maius imperio est, summittere legibus principatum.
Lex Alexandri imperatoris.
- 12 Licet lex imperij solemnibus iuris imperatorem soluerit, nihil tamen tam proprium imperij est, quàm legibus viuere.
Iulius Paulus lib. 5. Sententiarum.
- 13 Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa imperatorem vindicare inuerecundum est. Decet etiam tantæ maiestati seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur.
Orosius lib. 5. de Regis institutione.
- 14 Occurrit alia adulatorum turba prudentiæ nomine commendata, qui vt se in gratiam regum insinuent, illis persuadent eos esse supra leges. *Et post aliqua:*
Nunquam in regnis & ciuitatibus homines scelerati defuerunt, nec hodie defunt, qui principes erroribus turbulentis inficiant. quibus illi quidem annumerandi sunt, qui cum se iure consultos existimari velint, regibus persuadent, illos omnino solutos esse legibus.

Idem

Idem paulò post.

Inquit tamen adulator: imminuis tu quidem principis maiestatem, imò tu auges amentiam. parui & angusti animi est vereri leges, imò profligari atque perditas, eas despicerè. non est regium habere voluntatem alligatam, imò nihil magis regium est, quàm vinculis arcere libidinem. miserum est non facere omnia quæ velis; miserius certè multò est, velle facere quod non licet: id tamen longè miserrimum, posse facere quod ita velis.

Ausonius in Pittaci sententiis.

Pareto legi, quisquis legem sanxeris. 16

Rex est (vt inquit Speusippus) imperans secundum leges subiectis, irreprehensibilis, ciuilibus ordinis institutor. 17

Xenophon lib. 8. institutionis Cyri.

Hæc quoque ita se habent, quemadmodum item in aliis; quãdo princeps melior est, magis integrè leges obseruantur; quãdo verò deterior, magis peruersè.

Sana Zarus ad Federicum regem.

Publica nimirum res tunc sibi constat, & æquum imperium, cum rex quod iubet ipse facit. 19

Vida lib. 2. de reip. dignitate.

Magistratus, gubernatores, regesque obediunt quoque ipsi legibus, id est rectæ rationi; nihilque ab illis est agendum quod non dici possit rectè & in ordine factum, & summa ratione obvallatum. Porro regem ipsum non subiici legibus, sceleratam vocem esse clamant, & detestantur omnes. Namque (vt est apud Xenophontem) leges non modò parere docent, sed etiam imperare.

O 3

Aristeas

Aristeas in historia.

21 Rex Ptolemæus interrogauit vnum ex septuaginta Interpretibus, reges quibus potissimum insistere deberent: ille respondit, Legibus: vt suo iustè agendi studio demereantur omnium famam & approbationem.

Reclè quidam in Politicis.

22 Princeps (vt Vlpianus ait) legibus solutus est, variè retorquent ac calumniantur hoc assentatores, vt principum auribus seruiant, sibi acquirant, aliis damnum inferant, progrediatur parasitus vltterius, ac vertat folia, inueniet rescripta & constitutiones quibus prohibetur relaxatio atque contemptus disciplinæ legum apud principes; ac pestifera & venenata temeritas & improbitas adulantium coërcetur.

Orosius lib. 5. de Regis institutione.

23 Rex ipse intelligat se multò magis esse legibus, quàm omnes qui illius imperio continentur, alligatum. Regis enim officium est, omnia quæ reipubl. conseruant, summo studio, cura, vigilantia, sedulitate tueri: nihil est autem quod magis reip. conseruet, quàm leges. rex igitur est legum custos & vindex, publicique iuris administer. Ergo cum leges transgreditur, officium suum prodit, reip. labefactat, Dei in se numen acriter incendit.

OMNES LEGIBVS OBE-

DIANT, EASQUE CVSTO-

DIANT. CAP. XVI.

Genesis 16.

1 Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præ-

rit præcepta, & mandata mea, & carimonias, legè que seruaerit.

Leuit. 18.

Custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens 2 homo viuet in eis.

Diuus Ambrosius lib. 5. exameron cap. 21.

Hic reipublicæ vsus est, leges omnibus esse com- 3 munes, atque obseruari eas deuotione cõmuni, vno omnes teneri vinculo, non alterius esse, quod alius intelligat sibi non licere; sed quod liceat, licere omnibus; & quod non licet, omnibus non licere: esse etiam communem reuerentiam senatorum, quorum consilio reipublica gubernetur, commune omnibus vrbs domicilium, communis conuersationis officium, vnum præscriptum omnibus, vnum esse consilium.

Plato libro Ciuili.

Nemo quicquã præter leges committere audeat, 4 & quisquis audet, morte mulctetur, extremisq; omnibus suppliciis affligatur. *Idem in eodem.*

Si magistratus spretis legibus, aut lucri causa, aut 5 propriæ libidinis gratia, alia quædam præter ea, quæ sunt legibus constituta, imperitus rerum agere teter; scelus graue committit, officia vitæ confundens, atque peruertens. Quapropter legibus constitutis altera iam nauigatio est, vt nemo quicquam vnquam præter illas facere permittatur, siue singuli, siue populus id conetur.

Idem in Apologia.

Non ad hoc sedet iudex, vt per gratiam concedat, 6 sed vt iudicet secundum leges.

Idem Plato in Critia.

Magistratus ei dandus est, qui legibus maximè 7 parebit,

O 4

parebit,

parebit, & hac re cæteris in ciuitate præstabit: hinc enim salus est ciuitati, & contrarium ex contrario.

Thucydides lib. 1. in oratione Archidami regis.

8 Edocti sumus, indoctorum esse, leges contemnere, modestiusque vel cum difficultate illis obtemperare.

Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum.

9 Qui legibus semper obtemperarunt, ij optimi videntur, & in optimatum ciuitate gerendarum rerum principatu potiuntur.

Idem lib. 5. Polit. cap. 8.

10 In rebus publicis bene temperatis prouidendum est in primis, ne quid præter instituta, morésque fiat; sed maximè omnium quod exiguum est cauere debet: detrimentum enim latenter obrepit, quia non totum simul contrahitur.

Idem lib. 7. Eth. cap. 10.

11 Incontinens similis est ciuitati, quæ leges habeat bonas, sed eis non utatur, vt Anaxádrides facetè dixit:

Urbs consultabat, leges quæ negligit almas.

Aliter: Nil iura curans consulebat ciuitas.

Fallitur urbs nimium consultans, lege relicta.

Demosthenes aduersus Midiam.

12 Sunt autem leges quando feruntur, considerandæ, quænam & cuiusmodi sint; cum verò receptæ fuerint, custodiendæ, & vsurpandæ.

Idem contra Aristogitonem.

13 Leges tuendæ sunt, & à vobis, qui quoque tempore iudicia exercetis, confirmandæ. Harum enim præsidio boni sunt improbis superiores.

Iustinianus constitut. 82. de iudicibus.

14 Omnis iudex siue magistratum gerat, siue aliter iudicet, leges obseruato, & secundum has proferto senten-

sententias: & quamuis in medio litis nostram contingat iussionem, aut sacram formam (licet pragmatica sit) procedere, legem tamen sequitor: nos enim id obtinere volumus, quod nostræ volunt leges.

Lex Leonis, & Alexandri.

Existimo equidem eorum neminem, qui iudicia-rio funguntur munere, eò vnquam stuporis, aut inscitæ prorupturum, vt aliter quàm ex præscripto legum, iudicium sententiámve ferre audeat. & cætera, quæ in promptuario iuris Armenopolus retulit.

Iosephus in præmio antiquitatum Iudaicarum.

His qui Dei voluntati obsequuntur, & leges bene latas transgredi verentur, omnia prosperè succedunt supra quàm credi possit: quòd si ab illarum diligenti obseruatione discedant, neque consilia eorum exitum inueniunt, & boni ipsorum opinione conatus, in calamitates immedicabiles desinunt.

Aeschines contra Ctesiphontem.

Illud bene nostis, Athenienses, tres esse politicos status apud omnes homines: Regnum, oligarchiam, id est, paucorum dominatum, & statum popularem. Administrantur autem regna, & oligarchiæ moribus præsentium; at resp. gubernantur legibus constitutis.

Idem ibidem.

Legumlator Solon hoc primum in iureiurando, quod iudices iurare debent, seruandum posuit: Sententiam feram secundum leges. illud enim bene nouit, quòd si seruentur leges in ciuitate, salua erit & respública: quæ vos memoria repetetes, oportet odisse illos qui decreta scribunt contra leges.

Euripides in Supplicibus.

Quod continet hominum ciuitates, illud est,

O 5 cum

cùm quis bene obseruat leges.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

- 20 Legibus qui parent, rationi obtemperant, quæ est legum ipsarum procreatrix, emendatrix, conseruatric; iusta & iniusta diiudicans, iniuriæ & prauitatis vindex: qui verò eis non obediunt, ad naturam propiùs belluarum quàm hominum accedunt.

Orosius lib. 5. de Regis institutione.

- 21 Qui se legibus addicit, seruit sapientiæ, seruit honestati, seruit immortalitati, seruit officio & religioni, illustribusque in rempub. meritis viam in cælum præclarè munit.

Idem lib. 7.

- 22 Illud sanè constat, omnes respubl. quæ se legibus astrinxerunt, & à quibus ius æquabile cultum fuit, non in pace tantùm summas opes adeptas fuisse, sed etiam bello latissimè imperium propagasse; atque tantisper opibus & imperio floruisse, dum leges atque iudicia sanctè conseruata sunt.

Et mox.

- 23 Vbi verò primùm leges conculcari, iura perfringi, iudicia rescindi, magistratus contemni cœperunt, imperium labi cœpit; atque tandem extinctum & deletum fuit. &c.

LEGES DOMINARI

DEBERE. CAP. XVII.

Diuus August. in Psalm. 59.

- 1 Lex in Latina lingua feminini generis est, in Græca masculini est: sed magis masculinam vim habet, quia regit, non regitur.

Plato

Plato in Critia.

Interitum esse paratū illi ciuitati video, in qua non 2 lex magistratibus, sed legi magistratus præfunt.

Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 12.

Præstat legem dominari, quàm vnumquempiam 3 ex ciuibus. qui legem imperare iubet, is Deum & leges iubet imperare: qui verò hominem, beluam adiungit; huic enim similis est cupiditas, & ira magistratus etiam optimos viros peruertit. Itaque lex est mens sine appetentia.

Idem lib. 4. cap. 4.

Respublica nulla est vbi leges non tenent imperiū: 4 oportet enim vt lex rerum omnium imperiū habeat.

Idem lib. 3. cap. 11.

Ratio vniuersalis rempublicam moderatibus ad- 5 esse debet: quod autem omnino caret affectibus, potius est, quàm cui naturâ sunt insiti. quod malum vt legibus abest, sic humanis omnibus animis adesse necesse est.

Idem lib. 2. cap. 3.

Periculosum est, vt imperio non ex legis scripto, 6 sed suo iudicio & arbitrato magistratus fungantur. Ea enim omnia rectiùs ex lege quàm ex volūtate hominum, quæ periculosa norma est, efficerentur.

Diuus August. lib. de mundo.

Lex ciuilis immobilis ipsa existens in vtentium ani- 7 mis, regit omnia ad rempublicam pertinentia: & ciues quidem quasi eius asseclæ in medium prodeunt; qui autem principes vocantur, ad prætorium se conferunt; legislatores ad propria tribunalia: senatores denique & concionatores ad confessus sibi contributos conueniunt.

Aristo-

Aristophanes apud Stobaeum sermone de Rep.

- 8 Tunc saluæ sunt ciuitates,
Cum leges vt decet obseruantur.
- 9 Isocrates optimè habitari dixit ciuitatem, quæ secundùm leges viueret.

Cicero pro Cluentio.

- 10 Legum ministri magistratus, legum interpretes iudices; legum denique idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus.
- 11 Solon rogatus, quomodo ciuitas in optimo statu degeret, dixit: Si ciues quidem magistratui obediât, magistratus autem legibus.

Idem in eadem Oratione.

- 12 Illud est hominis magni, iudicis atque sapientis, cum illam iudicandi causa tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcunque concupierit licere; sed habere in consilio legem, religionem, fidem, æquitatem: libidinem autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatēque omnes amouere; maximi aestimare conscientiam mentis suæ, quæ à nobis auelli non potest: quæ si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine vllō metu, & summa cum honestate viuemus.

Vida lib. 1. de reip. dignitate.

- 13 Vbicunque lex ipsa dominatur, omnes sunt in officio, rectēque se habent, & ordine administrantur omnia: quoniam nutu rationis res fluunt, ratioque ipsa potius quàm lex dominari videtur.

Osorius lib. 5 de regis institutione.

- 14 Vbi leges à populi rectore negliguntur, omnes qui aliquid in rep. opibus & gratia valent, opinantur ignominiosum esse legibus astringi. itaque vbi viderint

viderint violandi iuris facultatem oblatam, eam minimè præteribunt.

Et lib. 7.

Hoc & antiquitatis monimentis, & vitæ communis exemplis, & legis diuinæ sanctionibus exploratum est, illud regnum & imperium diu permanere non posse, in quo leges, iura, iudicia sacrosancta & inuiolata non sint.

Iudex quidem & magistratus qui affectu aliquo motus, aut sub styli vel consuetudinis prætextu, ius & leges non seruat, iniquus est, periurus est, tyrannus est.

LEGES MINIMA TAMEN
ARBITRIO IUDICVM RELINQVE-
RE DEBENT. CAP. XVIII.

Plato lib. 9. de Legibus.

Legislator minimas dumtaxat multas iudicibus committat: plurima verò & maxima quæque in ferendis legibus ipse declaret.

Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 1.

Maximè conuenit, vt quæ rectè positæ sunt leges, cuncta ipsæ explicent quæ explicari queant, & quàm minima iudicibus relinquunt. Primum, quia vnum aut paucos prudentes, qui leges ferre possint aut iudicare, facilius est inuenire, quàm multos. Deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissimè conficiuntur, difficile est vt bene à iudicibus iustum & conducibile distribuatur. Illud autem omnium maximum est, quòd legislatoris iudicium non de singulis nec de præsentibus, sed de vniuersalibus & de futuris est: senator verò & iudex

dex de presentibus iam determinatisque iudicant. Unde fit, ut cum ament & oderint, sua quoque utilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas vel dolor iudicia sua obumbrat. quare minimam ceterarum rerum potestatem iudici tribuendam dicimus. Factum vero esse aut non factum, & fore aut non fore, esse quoque vel non esse; hæc omnia cum non possit lator legis providere, iudicibus relinquenda necessario sunt.

Martianus lib. ad Turpillianum.

- 3 Ut Papinianus respondit: Facti quidem quaestio in arbitrio est iudicantis; poenae vero persecutio non eius voluntati mandatur, sed legis auctoritati reseruat.
- 4 Minima dumtaxat iudicium voluntati relinquuntur à legumlatoribus, ne in rebus maioribus arbitrio proprio iudices abutantur, & legibus sapientiores se esse arbitrentur.

Diuus Ambrosius in Psalm. 118. sermone 20.

- 5 Bonus iudex nihil ex suo arbitrio facit, & proposito domesticae voluntatis; sed iuxta leges & iura pronuntiat, scitis iuris obtemperat; non indulget propriae voluntati, nihil paratum & mediatum domo defert; sed sicut audit, ita iudicat; & sicut se habet negotij natura, decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causae merita, non mutat: qui iudicat, voluntati suae obtemperare non debet, sed tenere quod legum est.

Archita Pythagoreus lib. de Lege & Iustitia.

- 6 Omnis hominum coetus ex principibus ac subditis, & tertio legibus consistit. Lex alia animata, nempe rex est; alia inanimata, scriptum: & hæc quidem lex partibus reipublicae ceteris praefenda est. huius enim

enim conseruatione rex legitimus erit, magistratus officio suo satisfaciet: populus erit liber, vniuersus autem coetus felix futurus est. In eiusdem violatione rex tyrannus fiet, magistratus officio suo deerit, populus seruus, totus denique coetus infelix euadet.

Solon in Elegia.

Inuehit heu quantas legum violatio clades!

Iudices ministri legum sunt & executores: secundum leges se iudicatuos iurant: leges custodire debent tanquam pupillam oculi sui: ab eis se auelli non patiantur, tametsi caelum ruat.

Ex lege Valent. & Martiani lib. legum Nouellarum Martiani, tit. 1.

Iudices legum custodes, & earum peruigiles defensores esse debent.

Athenis Nomophylaces erant, qui apud praefectos in omnibus publicis consiliis candidis fasciis coronati assidebant, ut prohiberent ne quid contra receptas leges decerneretur.

Ferus in Ecclesiastem cap. 7.

Noli esse nimium iustus. referri potest hic locus ad exactiorem seueram legum, qua nonnunquam fit, ut summum ius fiat summa iniustitia. Sunt enim animi hominum diuersissime affecti; ideoque leges saepe moderari oportet. ad hoc autem opus est sapientissimis viris, quorum tamen pauci sunt. plures interdum casus accidunt, in quibus oportet à litera legis deflectere ad intentionem legislatoris. Vult igitur Salomon ut leges seruentur, sed quatenus conducunt, oportet enim nonnunquam dissimulare: nam stultus legibus rigide obseruatis plus nocet, quam sapiens dissimulatis.

D E

DE LEGIBVS INIQUIVIS.

CAP. XIX.

Isaias cap. 10.

1 Væ qui condunt leges iniquas.

Plato in Minoë.

2 Nequaquam congruit iniquam constitutionem legem esse.

Demosthenes aduersus Leptinem.

3 Consideret leges malas etiam florentibus rebus publicis nocere.

Idem contra Timocratem ait:

4 Res iudicatas rescindere iniquum & nefas esse, & status popularis euersionem: si quis autem ea quæ iudicata sunt noua lege abrogarit, quis finis reperietur? Lex ea dicenda erit, an legum interitus? an non grauissimum supplicium talis legislator meretur? extremum mea quidem opinione, non modò quòd hanc legem tulit, sed quia viã ostendit alius tollèdi iudicia.

Idem ibidem post multa.

5 Flagitiosa lex vrbs eius in qua recipitur, est publica ignominia & dedecus; nocetque omnibus his qui ea vtuntur.

Isocrates in Panathenaico.

6 Leges in tabulas relatas, & publicè positas videntur: non his quas nunc habemus similes, neque confusionis plenas & inter se pugnantibus; ita vt tam rectè quàm antiquatæ, siue eadem vtilis siue superuacaneæ sint, propè nihil auctoritatis habeant, sed primùm paucas, sic tamen vt satisfacerent, & cognitu faciles essent iis qui vsuri erant.

Cicero lib. 1. de Legibus.

7 Quæ sunt variæ & ad tempus scriptæ, populi fauore

uore magis quàm re, legum nomen tenent. *Et paulò post:* Ex quo intelligi par est, eos qui perniciofa & iniusta populis iustia descripserint, quiduis potius tulisse, quàm leges.*Tertullianus in Apologetico cap. 4.*

Si lex tua errauit, putò ab homine concepta est, neque enim de celo ruit: miramini hominem aut errare potuisse in lege condèda, aut resipuisse in reprobanda? Leges neque annorum numerus, neque conditoris dignitas commendat, sed equitas sola: & ideo cum iniquæ recognoscuntur, meritò damnantur.

Diuus Augustinus lib. 1. de libero arbitrio.

Mihi lex esse non videtur quæ iusta non fuerit. 9

Idem lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 21.

Non enim iura dicenda sunt vel putanda, iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiæ fonte manauerit.

Idem diuus epist. 50.

Quicumque legibus imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. 11

Salomonius lib. 3. de principatu.

Iniusta lex est (vt inquit Aquinas) quam princeps in suam & non in communem fert utilitatem; & illa etiam quæ non distribuit æquè onera vel honores ad bonum commune. 12

Alciatus oratione de Legibus.

Legum prudentiam ab ipsis maiorum gentium diis in homines transfusam, diuino quodam cultu merito excipiendam existimauere; à Ioue ipso ceu præcipuum quoddam donum mortalibus traditam, à iustitia neruos accipientem; à prudentia intellectum, à

P

forti-

fortitudine executionem : cui si diuinæ virtutes hæ absint, non iam leges dicuntur, sed hominum carnificinæ, sed seditiones, & quoduis potius aliud quàm leges. Nec enim verba ipsa, & quod vel membranis scribitur, vel ære figitur, lex est; sed quod iustitia dictante, æquitate præuia, bono consilio profertur, verum legis nomen habet.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

14 Multa pestifera & perniciofa interdum in populis scita fuerunt, vel principum scelere, vel populorum ipsorum negligentia aut auaritia, quæ quodque aliud potius sunt, quàm leges: vt si non totius ciuitatis, sed principis duntaxat, aut vnus tantum parus ciuium gratia constitutæ fuerunt; aut si non maiori saltem parti & in summum profunt, fraudes potius corruptæ & deprauatæ ciuitatis, quàm leges dicendæ sunt.

Idem post multa.

15 Nisi leges omnes, quas quisque rulerit, ad illam principem diuinam referantur, ad illamq; respiciant, & illi sint omnino consentaneæ, & ad naturam, quæ nihil nisi iustum admittit, accommodatæ existant, nullo pacto leges sunt habendæ, neque hoc nomine dignæ censentur.

16 Honorius tertius legem iniustam pestem appellat, & Innocentius tertius iniquam constitutionem, destructionem esse ait: & beatus Thomas inquit, Lex sine ratione peruersitas est, non lex. & idem diuus alibi: Placitum principis iniustum non est lex, sed iniquitas. & Lucas Penæus, non lex, sed fæx: & Baldus, non lex, sed lis: & Marius, non lex, sed labes. Adde, lex iniqua non lex est, sed error, sed tyrannis, sed corruptio, & quiduis potius, quàm lex.

D E

DE PRAVIS CONSVETV-

DINIBVS. CAP. XX.

Quia multa iniusta ac praua fiunt moribus, vt ait **X** Comicus, & consuetudinibus iniquis labefactantur publicæ res; oportet malos mores corrigere iustis legibus atque seueris.

Sapientia 14.

Conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

Chrysof. in Psal. 49.

Longa vitiorum consuetudo magnam affert cæcitatem animæ, & amentes efficit, & perspicaces oculos intelligentiæ eruit.

Plautus in Trinummio.

Nunc mores nihili faciunt quod licet, nisi quod lubet. 4
Ambitio iam more sancta est, libera est à legibus.

Perere honorem pro flagitio, more fit;
Sirenuos præterire, more fit.

Mores leges perduxerunt in potestatem suam.
Eæ miseræ etiã ad parietem sunt affixæ clauis ferreis,
Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.

Cicero lib. 1. de Legibus.

Corruptela malæ consuetudinis igniculi extinguuntur à natura dati, exoriunturque & confirmantur vitia contraria.

Idem lib. 2. ad Heren.

Consuetudo peccandi, maleficij suscipiendi reuertitur dubitationem. 6

Seneca lib. 3. de beneficiis.

Pudorem tollit multitudo peccantium, & desinit esse probri loco commune delictum. 7

P 2

Quidam

Quidam poeta Græcus.

8 Tempus est multo potentius legibus.

Sæctus Nilus lib. Ascetico.

9 Magna est consuetudinis vis. ad se nos trahit, nec ad instituta virtutis studia reuerti permittit: ex consuetudine habitus, ex habitu natura proficiscitur: naturam porrò mutare difficillimum est.

Philol. lib. de temulentia.

10 Certum est, consuetudinem pertinere ad infirmiores effeminatorésque animos, quando quidem virilis, robustæ, verèque masculæ rationis officium est, naturam ducem sequi, non prauas iniustasque consuetudines.

Beatus Augustinus in Enchiridio, cap. 80.

11 Magna & horrenda peccata cum in cõsuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur.

Origenes lib. 1. contra Celsum.

12 A nullis consuetudinibus homo difficiliùs diuellitur, quàm ab his, quæ ad opiniones pertinent, quibus iam imbuta est anima: quod autem ita natura cõparatum sit, liquet considerantibus, quàm peruicaces sint homines in retinendis patriis traditionibus, quibus semel occupati sunt, etiam si turpissimæ: itaque non citò persuaderes Ægyptio contemptum religionis acceptè à maioribus, ne Deũ putet aliquod brutum animal, nève gustum eius carniū magis quàm mortem horreat.

Chrysof. homil. ad baptizandos.

13 Dura res cõsuetudo, & quæ facilè mutari nõ possit, & quæ nos nonnunquã & inuitos trahit, & nolentes committere cogit illicita: Nam reuera multũ consuetudo præualet, & iura didicit immutare naturæ.

*Idem**Idem diuus lib. 3. aduersus vituperatores vitæ Monastica.*

Dura enim dura, ac potius acuta & violenta res 14 consuetudo est, ad vincendam capiendamque animam; præsertim cum voluptatem adiutricem habet.

Idem serm. 14. ad populum Antiochenum.

Vbi est legis timor, facilè soluitur consuetudo, 15 etiam si valde diuturna sit.

Beatus Ambrosius lib. de Tobia, cap. 23.

Aliqui dixerunt, quid sibi voluit episcopus aduer- 16 sus sceneratores tractare, quasi nouum aliquid admissum sit, quasi non vetus sit scenerare? verum est, non ego abnuo, sed culpa vetus est: denique peccatum ab Adam, ex illo culpa, ex quo & Eua; ex illo præuaricatio, ex quo & humana conditio: sed ideo Christus venit, vt inueterata aboleret, noua cõderet; & quæ inueterauerat culpa, renouaret gratia.

Diuus Chrysof. in Genesim, homil. 56.

Si quid bonum & vale fuerit, etiam si nõ sit con- 17 suetudo, fiat: sin damnosum & perniciosum est, etiam si consuetudo sit, reiiciatur. Nam si hoc admiserimus, & fur, & adulter, & quantumuis malus alius, ad consuetudinem prouocabit.

Cyprianus epist. ad Pompeium.

Consuetudo sine veritate verustas erroris est. 18

Diuus August. lib. 4. de Baptismo, cap. 6.

Si consuetudinem opponas, aduertendũ est quod 19 Dominus dicit: Ego sum via, veritas & vita: non dixit Consuetudo, sed Veritas.

Gratianus distinctione 9.

Mala consuetudo non minus quàm perniciosa 20 corruptela abiicienda & vitanda est.

MEMORABILIA DE QVADAM LEGE SOLONIS.

CAP. XXI.

Aristoteles legem quandam Solonis retulit in hanc sententiam.

1 Si ob discordiam dissensionemque seditio atque discessio populi in duas partes fieret, & ob eam causam iratis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque; tum qui in eo tempore, in eoque casu civilis discordiæ non alterutra parte sese adiunxerit, sed solitarius separatúsque à communi malo ciuitatis secesserit; is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul extorrisque esto.

Plutarchus de sera numinis vindicta.

2 Omnium ineptissima lex illa Solonis, quæ honore eum priuat, qui in seditione nulli adhæret parti, siue dissensionem se haud immiscere conatur civili.

Idem in vita Solonis.

3 Ex aliis autem eius legibus illa præcipuè incredibilis atque in primis admiranda est, quæ honoribus abdicat eum qui orta seditione neutram factionem secutus sit. voluit quidem, ut videtur, neminem cum priuatas rationes in tuto locasset, nulla communi cura ac sollicitudine contineri, gloriantem quòd aliorum incommodis difficultatibusque minimè angeretur: verum optimis ac iustissimis viris esse propositum, cum aliis pariter periculo se committere, atque opem afflictis rebus ferre magis, quam absque periculo quietum exitum victoriæ spectare.

Aulus Gellius lib. 2. cap. 12.

4 Cùm hanc legem Solonis singulari sapientia præditi legissemus, tenuit nos grauis quædam in principio

pio admiratio requirentes, quam ob causam dignos esse pœna existimarit, qui se procul à seditione & civili pugna remouissent. Tum qui penitus atque altè usum ac sententiam legis inspexerat, non ad augendâ, sed ad desinendam seditionem legem hanc esse dicebat: & res prorsum se sic habent. Nam si boni homines, qui principio coercendæ seditionis impares fuerint, populumque percitum & amentem non deteruerint, ad alterutram partem diuisi sese adiunxerint, tum eueniet ut cum socij partis seorsum utriusque fuerint, eoque partes ab iis ut maioris auctoritatis viris temperari ac regi cœperint, concordia per eos potissimum restitui conciliarique possit, dum & suos apud quos sunt, regunt atque mitificant, & aduersarios seruatos magis cupiunt quam perditos.

Sed melius aut certè tutius illud est, quod reiecta illa Solonis lege tradit Plutarchus in Politicis: Ciuibus, inquit, pereuntibus nullo sensu moueri, nihil dolere, tranquillitatem animi, atque adedò indolentiam prædicare, vitam otiosam tanquam beatam verbis extollere, perinde utique est, ac aliorum miseris oblectari: immo Theramenis cothurnum induere debes, ut utrisque conuenias, neutris tamen addictus: qua ratione videberis neutris iniuriam facere, & propterea non alienus: utrisque opitulari, ac proinde communis: nec concitabis aduersum te ullam inuidiam, scilicet quia sis solus expertus malorum, cæteris calamitate afflictis; quippe qui vicem utrorumque pariter indolere videri possis.

DE REPUBLICA
LIBER V.
LEGES SINE MAGISTRATI-
BUS NIHIL PROFICERE.

CAP. I.

Prouerb. II.

- 1 VBI non est gubernator, populus corrui-
Chrysoſt. in psal. 148.
- 2 Prouidentia Dei opus fuit, in eos qui magistratus gerunt, & in eos, qui illis parent, vniuersam diuifisse; si hoc autem sustuleris, vniuersum interit: certo enim ordine, & modo constituta hominum administrationis Deus curam gerens, & ne plus quam ferino ritu multi viuerent, prouidens, veluti quandam currus regendi artem, & nauis gubernandi scientiam, magistratus & regna largitus est.
Idem diuus in priorem epistolam ad Corinthios sermone 34.
- 3 Principio quidem Deus imperium vnum fecit, viri scilicet in mulierem. Postquam vero in alias, aliaque degenerauit enormitates genus nostrum, imperia constituit plura, heroum scilicet in seruos, principum in subditos, omnia magno quodam amore nostri: & quia prauitas hominum dissoluit, perdiditque imperia, medicos ille mediis in vrbibus iudices locauit, qui vitia velut charitatis pestem exagitantem, ad concordiam homines reuocarent.
Plato lib. 6. de Legibus.
- 4 Nemini dubium est, quin cum magna res legumlatio sit, si quis ciuitati per leges bene paratae non idoneos magistratus constituat, quamuis leges bene
positae

positae sint, tamen non modò id nihil proderit, risumque mouebit, verum etiam calamitates maximas ciuitatibus pariet. *Idem Leod. manti epistola II.*

Si putant aliqui, legum quarumlibet positione ciuitatem bene quandoque constitui posse, nisi sit aliquis cum auctoritate praesidens ciuitati, quotidianae omnium vitae moderator, aded vt sit temperata, & fortis, tam in seruis, quam in liberis, non recte putat.

Demosthenes aduersus Midiam.

Legum vis in quo est? vtrum in eo, si quis affectus iniuria exclamet, vt ipsae accurrant, & praesentia sua opitulentur? non: literae enim sunt, & scriptura constant, neque hoc facere possunt. In quo igitur earum vis est? si vos eas confirmabitis, & semper ratas exhibebitis omnibus earum opem implorantibus: ita & leges per vos firmatae sunt, & vos per leges.

Pomponius lib. Enchiridij.

Parum est, ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura reddere possint.

Iustinianus constitut. 161.

Non tantum decenter leges ferre summo bono est, sed etiam sancita accurate custodire, & ad effectum deducere, transgressoresque competentibus poenis subicere. Quae enim legum erit utilitas, si in literis dumtaxat consistat, non etiam per ipsa facta, atque opera subditis utilitatem de se praebent?

Biesius lib. de republica.

Quamuis lex anima dicatur, & domina ciuitatis, proprium tamen efficiendi motum ipsa nullum habet, sed potius instrumentum quoddam rerum communium bene gerendarum est, quo egregius aliquis artifex utatur.

10 Tam legi necessarius est magistratus, quam lex ipsa civitati: & ut quidam rectè inquit, longè videtur optabilius esse, ut iniquæ legi præsit optimus magistratus, quam ut improbus æquissimæ. Nam vir bonus in iure dicendo, præter æquabilitatem, & iustitiã, nihil spectabit; si quid erit in lege vitiosum, pro sua sapientia corriget: siquid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quæ ad pietatẽ, ad communem civium utilitatem, ad reipublicæ salutem propensior esse videatur: sin autem improbus sit magistratus, legis vocẽ non exaudiat, sed ad suum arbitrium, suamque libidinem omnia reuocabit.

Vida lib. 2. de reip. dignitate.

11 Multitudini opus est rectore, & duce, ut societas conferuetur. dilabatur namque, diffuatque populus, nisi adsit rector, qui eum contineat. quippe cum suæ quisque rei seorsum, seiunctèque studet, in diversa distrahantur omnes, nemine existente, qui bonum commune curet, tueaturque, & in mediũ consulat: publici nempe cura civitatem coniungit, atque connectit; privati verò studium, & amor disiungit, ac dissipat. hanc autem rectionem esse à natura, nemo ambigat, qui aliquid sentit, aut intelligit.

Et paulò post.

12 In omni communitate necesse est semper unũ excellere, qui director rerũ prudens, vel perpetuò, vel ad tempus quoddam certum, ac præstitutum, inuicem alios gubernet. hunc penes, ut cæteri omnes sint in officio, oportet, sit omnis imperandi, ac præcipiendi potestas: eiusque officium est, ut sicut ciues sua quisque curant commoda, ita ipse rei communi prospiciat, suæ utilitatis penè oblitus, pacemque & concordiam

diam inter omnes in civitate conciliet, atque conferuet: quod minus commodè fieri possit, nisi penes unum sit principatus, ut præscribere valeat, dirigere, & ordinare, iubere atque imperare.

CIVITATEM SINE MAGISTRATIBVS ESSE NON POSSE.

C A P. I I.

Chrysoft. in epist. ad Rom. sermone 23.

Innumera bona civitatibus per magistratus proveniunt, quæ si sustuleris, omnia simul pessum ibunt: ita ut neque vrbes, neque agri, neque domus, neque forum, aut aliud quippiam consistere queat, sed omnia simul subvertantur, potentioribus imbecilliores impunè deuorantibus.

Idem diuus in epistolam ad Hebræos sermone ultimo.

Malum quidem est, ubi nullus est principatus, & multarum cladum hæc res existit occasio, & confusionis est, turbationumque principium. Sicut enim si ex choro ipsum coryphæum auferas, nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit: & phalanx militum, si ducem non habeat, nullo modo numero acies illa vel ordine procedit: & navis si gubernatore priuetur, pessum eat necesse est: & gregi si pastorem abstuleris, cunctus dispergetur, & peribit. malum igitur est, ubi nullus est principatus, subuersionis quippe hoc est argumentum. malum autem est non minus, & inobedientia eorum, qui reguntur à principe: idè malum quippe contingit, & cætera.

Aristoteles lib. 4. Polit. cap. 4.

Ostava pars civitatis, eorum est, qui publicis muneribus funguntur, magistratúsque gerentes suum officium

officiū præstant; siquidem ciuitas esse absque magistratibus non potest. *Idem lib. 6. cap. 8.*

4 Sequitur ut rectè de magistratibus differamus. Nam nec esse ciuitas potest sine magistratibus necessariis; nec rectè sine iis, quæ pertinent ad rectum ordinem, & ornatum administrari.

Cicero lib. 3. de Legibus.

3 Magistratibus opus est, sine quorum prudentia, ac diligentia ciuitas esse non potest: quorum descriptione omnis reipublicæ moderatio continetur.

Dionysius Halicarnas. lib. 6.

6 Publica utilitas alteros seruat per alteros. Hæc nos prima, & sola contraxit in vnum, nec vnquam sinet separari ab inuicem. Eger enim, semperque egebit imperita multitudo prudentibus ducibus: itidè qui præesse possunt, & rebus consulere, opus habent aliquibus, qui parere velint; idque non rationibus tantum, verum etiã quotidianis experimentis discimus.

Lucretius lib. 5.

7 Res itaque ad summã faciem, turbasque redibat; Imperium sibi cum, ac summatū quisque petebat. Inde magistratum partim docuere creare, Iurãque constituere, ut vellent legibus uti.

Plutarchus in Catone Vticensi.

8 Dixit sententiam in senatu Marcus Bibulus, qua censebat, solum Pompeium cõsulem designandum. Caro autem assurgens contra expectationem omnium, Bibuli sententiam laudauit, afferens, præstare, ut quæuis potestas in vrbe sit, quàm rempublicam sine magistratu, ac præside manere.

Ephantes Pythagoricus lib. de Regno.

9 Citra constitutionem magistratuum nulla ciuitas habitari

habitari posset. Requiritur autem ad illam constitutionem leges, ciuilibus gubernatio, subditi, atque præfecti, si per se conseruanda sit.

Ferus in librum Iudicum cap. 17.

Historia hæc ideo scripta est, ut videamus, quàm ¹⁰ confusè, inordinatè, inciuiliter, & impiè, omnia, tam in ciuili policia, quàm in religione, in eo populo qui caret legitimo magistratu, gerantur. quamuis enim tyrannus ciuibus suis impius, grauis, & penè intolerabilis sit; historia tamen hæc ostendit, etiam tyrannum magistratu fungentem multò tolerabiliore esse reipublicæ, quàm si populus absq; magistratu viuat.

Idem ibidem.

In diebus illis nõ erat rex in Israël; non sine causa ¹¹ dictum hoc toties repetitur, pulchrum quidem videtur carnalibus, non habere superiorem, quæ timeat, & facere posse quidquid libet: reuera autem perniciosissimum est. Nihil enim sani agitur, imò nihil nisi confusio rerum omnium expectanda est, vbi non est legitimus magistratus; natura enim nostra sic corrupta est per peccatum, ut non nisi ad mala festinet, nisi vel internè timore Dei, vel externè humano retrahatur. propria siquidem voluntas nihil sani cogitat, & agit. Hæc nisi frangatur, actum est; eam autem Deus frangere studet, vel immitendo aduersa, vel ponendo homines super capita nostra. igitur vel ob hoc vnum potestas ferenda est, quod bestiam illam, omnium malorum causam, propriam scilicet voluntatem, subigit; quanquam sunt & aliæ commoditates externæ potestatis: Nam & pacem præstat, & conseruat ab hostibus, & politicam vitam instruit.

M A G I

MAGISTRATUS ESSE DEBE-
RE BONO GENERE NATOS.

CAP. III.

*Qui autem sunt Magistratus Arist. tradit lib. 4.
Polit. cap. 15.*

1 Magistratus, inquit, siue imperia nuncupari hi potissimum debent, quibuscunque potestas de quibusdam deliberandi & iudicandi, atque imperandi adest; sed maximè quibus imperandi: iubere enim magis imperium attingit.

Idem lib. 3. Polit. cap. 8.

2 Ex melioribus meliores procreari probabile est.

Idem lib. 1. cap. 4.

3 Ut ex homine hominem, & beluis beluam; sic ex bonis bonum generari putant.

Fabius Quintil. lib. 5. cap. 10.

4 Similes parentibus ac maioribus suis filij plerumque creduntur, & nonnunquam ad honestè turpiterque viuendum inde causæ fluunt.

Isocrates in Areopagitico.

5 Maiores nostri modestiæ tantam rationem habuerunt, ut senatum Areopagiticum censuræ morum præfecerint; nec quisquam in eum ordinem admittebatur, nisi qui honesto loco nati essent; & egregium virtutis & réperantiæ suæ specimè in vita præbuisent.

Dionysius Halicarn. lib. 2.

6 Atheniensium respublica florebat illo tempore, ubi patricos appellabant ex illustribus familiis, & pollentes opibus, penes quos fuit ciuitatis regimen.

Idem paulò post.

7 Romulus verò postquam discreuit potiores ab inferioribus, mox legibus latis præscripsit quid utrisque facien-

faciendum; ut patricij sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, secum rem publicam administrarent, res urbanas obirent: plebeij verò ab his negotiis immunes essent.

Plutarchus in Theseo.

Nobilibus tractandi rem diuinam, magistratus ex suo ordine creandi, administrandique leges, tum pia, religiosaque interpretandi, definiendique potestatem fecit.

Biesius lib. 4. de rep.

Si reliqua paria sint, virtus maiorum suam etiam dignitatem filiis affert. Nam & effecta suas causas, & filij parentes referre, & à bonis parentibus illi meliùs institui solent: verum oportet, ut ad reliquam nobilitatem vitæ integritas accedat.

Plato in primo Alcibiade.

Consentaneum est, meliores esse naturas nobili in genere, quam ignobili: ac necesse est, ut bene nati, si bene educentur, ita demum ad virtutem perueniant.

Deuterono. cap. 1.

Tuli de tribubus vestris viros sapiètes & nobiles, constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos; præcepitque eis dicens, Audite illos, & quod iustum est, iudicate: nec accipiatis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est.

Diuus Thomas in epistola ad Hebræos cap. 1. lectione 2.

Tria requiruntur, quæ faciunt facilitatem ad dignitatem aliquam administrandam, primum quidem sapientia, ne erret in gubernando, secundum est, generis presapia, ne contemnatur præcipiendo. *Prouerb. vltimo*: Nobilis in portis vir eius cum sederit cum senatoribus terræ, tertiū virtutis potètia in exequendo.

Saxo

Saxo lib. 3. historiae Danicae.

- 13 Ob inuisos parētis mores suspecta quoque posteritas erat: nec solum praesens patris, sed etiam futura metuebatur impietas liberorum: quod filiorum affectus paternis soleant ingenis respondere.

QVALES ESSE DEBEANT
MAGISTRATVS. CAP. IIII.

Exodi 18.

- 1 Prouide de omni plebe viros sapientes, & timen-
tes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auari-
tiam; & constitue ex eis tribunos, qui iudicent popu-
lum omni tempore. *Plato lib. 3. de rep.*
- 2 Is qui singulis aetatibus semper pueritia, adoleſcen-
tia, matura aetate probatus est, & immaculatus existit,
cultos & iudex ciuitatis constituendus est.
Idem lib. 6. de Legibus.
- 3 Oportet eos qui recte magistratum accepturi sunt,
ab adoleſcentia probatos fuisse, tam ipsos, quam suos
vsque ad ipsam electionem.
Dionysius Halicarnas. lib. 3.
- 4 Apud nos magistratus, ac honores deferuntur non
ditissimis, non his qui longiore maiorum indigena-
rum possunt ostendere seriem, sed dignissimis. Nulla
enim alia re quam virtute, hominis nobilitatem con-
stare dicimus.
Plato in primo Alcibiade.
- 5 Virtute prius ornatus ipse debet esse, quicumque
non sibi tantum, ac suis, sed reipublicae etiam & iis quae
ad eam spectant, imperaturus est.
Idem lib. 1. de rep.
- 6 Qui magistratum gerere debent, probi, electique
sint.

sint. Nam ut oculi propria virtute priuati, male vi-
dent: ita anima propria virtute destituta, male suum
opus peragit. Necessesse est igitur, malam animam male
imperare, atque curare: bonam vero haec omnia be-
nefacere. *Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 12.*

Bonum non nisi a viro bono videtur: prauitas enim
peruertit intellectum, efficitque ut circa principia re-
rum agendarum improbus homo fallatur.

Ferus in Acta cap. 5.

Nihil vtilius reipublice, quam prudentes, & pios
habere consiliarios. non satis est, ut docti sint, nisi &
Deum timeant. anima iusti aliquando magis videt
vera, quam septem speculatores. Pius homo & si vnus
sit, tamen aliquando totum populum a perditione
conseruat.

PLVRA DE PROBITATE
MAGISTRATVVM. CAP. V.

Gregorius Theologus inter opera Basilij epistola 131.
Celestio scribens inquit.

Delinquis ipse iudex, quod non ieiunas: & quo-
modo humanas leges seruabis, cum diuinas contem-
nas? abole tuum iudicium, ut ne ex duobus alterum,
aut malus sis, aut puteris. in summa, scito te iudicem
iudicari, & minus peccabis.

Plato lib. 3. de republica.

Bonum, & sapientem iudicem esse oportet. prauitas enim neque se, neque virtutem cognoscet vnquam:
virtus autem naturae, tempore addita disciplina, &
ipsam simul, & prauitatem intelliget.

Socrates in Panathenaico.

Veteres Athenienses non temere quosuis ad con-
silia,

filia, & magistratus admittebant, sed prudentissimos, & optimos, & vitæ integritate spectatissimos. Atque hos ipsos tum imperatores creabant, tum legatos, si quando necesse esset, mittebant: tum magistratus urbis omnes illis mandabant.

Herodotus in Thalia.

4 Ex optimis viris credibile est optima existere consilia.

Philo lib. de legatione ad Caium.

5 Solet Deus bonis viris bona consilia, & reipublicæ commoda suggerere.

Imperator Constantinus ad agentes in rebus.

6 Vir idoneus probitate morum, & bonis artibus præditus, nostris obtutibus offeratur, ut nostro ordinetur arbitrio.

Civis meus Sepulveda epistola 94.

7 Moralis philosophia, quæ latissimè patet, pertinetque ad omnes vitæ partes; & rerum publicarum, legumque ferendarum rationem & moralium dogmatum, quæ à recta ratione æternæ legis imagine profiscuntur, cognitio, & inuentio, in vitiosum, & intemperantem hominem cadere non potest, cum sit inquinata eius & mens & conscientia, ut Paulus ait, hoc est corrupta ratio, & intellectus obtæcatus; ita ut mala pro bonis iudicet, & bona pro malis virtute destitutus: quæ virtus causa est, ut Aristoteles docet, rectè de principio existimandi.

Ferus in Genesim cap. 9.

8 Certissimum signum boni magistratus est, si eum mali timeant, boni diligant, & è contrario.

SIT

SIT IVDIX IUSTITIÆ CV-
STOS. CAP. VI.

Sapientia 1.

Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. 1

Diuis Bernardus lib. 3 de consideratione ad Eugenium.

Diligite inquit iustitiam, qui iudicatis terram. 2
Parum est iustitiam tenere, nisi & diligas. qui tenent, tenent: qui diligunt, zelantur. Amator iustitiæ inquit iustitiam, & prosequitur eam: porro omnem iniustitiam persequitur.

Aristoteles lib. 5. Ethicorum cap. 4.

Cum altercantur homines, ad iudicem confugiunt: 3
ad iudicem autem ire, est ire ad ius ipsum; quippe cum iudex nihil aliud sit, quam ius quoddam animatum; & querunt iudicem medium, & vocant nonnulli mediatorem, quasi si medium fuerint consecuti, ius quoque ipsum sint consecuturi. ius igitur medium quoddam est: siquidem & iudex medium est, iudex autem ad æqualitatem redigit.

Demosthenes contra Aristogitonem.

Inexorabilis, & veneranda iustitia, quam is, qui 4
sacrosancta initia nobis monstravit Orpheus, folio Iouis assidentem, omnia facta hominum ait intueri. Eam unusquisque in se detigere putet oculos; itaque pronuntiet, ut caueat, & provideat, ne eam pudefaciat, à qua cognomen habetis singuli, qui sorte iudices quoque tempore delecti estis, ad omnium in republica degentium honestatem, & ius, & utilitatem tuendam; & hodierna die tanquam depositum iureiurando astricti accepistis à legibus, & republica, & patria.

Q 2

Cicero

Cicero lib. 3. de Legibus ait,

5 Magistratus leges esse loquētes, leges autem multos magistratus.

Iosephus lib. 4. antiquit. Iudaicarum cap. vlt. inter alias Moysis leges, hanc retulit:

6 Iudicibus quidquid visum fuerit, illorum sententia valere debet: nisi constet, pecuniis esse corruptos, aut manifestè coargui possint, non rectè decreuisse. Oportet enim sine lucri, & dignitatis respectu iudicare, & iustitiam omnibus aliis rebus antepone. Hæc enim iniuria in Dei contumeliam recidit, quasi verò is infirmior sit habēdus, quàm illi, quorum potentia metu præter ius fertur calculus. Nam Dei potentia est iustitia. Ergo qui in magnatum gratiam præuaricatur, potentiores illos, quàm Deum facit.

Plutarchus in Catone Vticensi.

7 Iustitia virtus est, quam fides populorum maximè sequitur. Nec enim duntaxat in honore habent iustos, quemadmodum fortes: neq; admirantur, quemadmodum sapientes; verùm etiam amant, atque eis confidunt.

Idem in Apoph. Græcorum.

8 Ægyptiorum reges ex sua ipsorū lege iudices adiurabant, ne quid iniustè, etiam si rex imperaret, iudicarent.

Cicero lib. Officiorum 2.

9 In primis autem videndum erit ei, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque à bonis priuatorum publicè diminutio fiat. Hanc enim ob causam maximè, ut sua tuerentur, respública civitatesque constitutæ sunt.

Iusti-

Iustinianus de proconsule Cappadocia constit. 30.

Conuenit omnia secundum nostram legem agere, 10 utentem in cognoscendo æquitate, in rebus gerendis puritate; vbique colentem iustitiam: qua nihil inter homines vnquã exiit robustius, aut pulchrius, quod vel Deum, & imperatorem placare, conciliareque magis possit.

Diuus Ambrosius lib. de paradiso cap. 3.

Nulla abundantiores videtur habere fructus virtus, 11 quàm æquitas atque iustitia, quæ magis aliis, quàm sibi prodest: utilitates suas negligit, communi emolumenta præponens.

Isidorus in Etymologiis.

Iudex dictus est, quasi ius dicens populo, quòd 12 iure disceptet: iure autè disceptare, est iustè iudicare. non est ergo iudex, si non est in eo iustitia.

Philo lib. de Iudice.

Sicut ignis quæcunque adiuuentur, calefaciens, 13 ipse primùm innata sibi vi calet; nix contrà, sua te natura frigida infrigidat & alia: sic iudex ipse debet esse plenus iustitia, si aliis ius administraturus est: à quo ceu fonte, promanent fluentia dulcia legum, & potabilia sitientibus iustitiam.

Georgius Cedrenus in compendio Historiarum.

Pythagoras iubet in omni re iustitiæ curâ habere, 14 sententiã semper ad id, quod melius est, accommodare.

Alexius lib. 3. reip. Christiana.

Iustitia est diuina quædam lex, vinculum societa- 15 tis humanæ necens; quæ sua cuique & seruat & tribuit, videlicet Deo, & sibi, & proximo.

Psalm. 7.

1 Deus iudex iustus est, & patiens. Itaque ad illius exemplum iudices, & magistratus, & fortitudinem habere debent, & patientiam.

Ecclesiasticus cap. 7.

2 Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumperere iniuities, ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in agilitate tua: id est, ne iudex, aut magistratus sis, nisi vir fortis, & constans fueris: ne timiditate, & inconstantia tua offendas subditos, & à iustitiæ via metu potentium recedas.

Nazianzenus inter opera Basilij epistola 138.

3 Prudentia, & fortitudo principatum gubernant, altera excogitans, quod faciendum est; altera facilè perficiens quod inuentum est: & quod maximum est, puritas manus, qua omnia diriguntur.

Plato lib. 2. de Legibus.

4 Virtute egere iudices affirmamus. nam & prudentiæ eos, & fortitudinis oportet esse participes. Prudentiæ quidem, &c. Fortitudinis autem, quia non debet propter ignauiam, & formidinem, ex eodem ore, quo iudicaturus Deos inuocauit, ignauiter iniquum iudicium promulgare.

Cicero pro Sestio.

5 Sudandum est his, qui magistratum gerunt, pro cõmunibus cõmodis adeundæ inimiciæ; subeundæ sæpe pro republica tēpestates: cum multis audacibus, improbis nonnunquã etiam potentibus dimicandũ, quæ quidem sine fortitudine fieri non queunt.

*Plato**Plato lib. de Iudice.*

Is qui ad iudicandum ascendit tribunal, iudicari se non minus quàm iudicare cogitet: & unã cum potestate assumat prudentiam, ne decipiatur: iustitiã, vt suum cuique tribuat: fortitudinem, ne flectatur precibus, aut misericordia; quo minus animaduertat in conuictos sceleris. Nam cuiusq; virtutes hæ cordi fuerint, bene meritus de republica existimandus est, qui more boni gubernatoris, sedat tempestates negotiorum commissorum suæ fidei, ad salutem, securitatẽque illorum, qui pendent ab eius arbitrio.

Plutarchus in Pelopida.

Timor qualis nunquam antea Bœotiam inuaserat. 7 Tum Pelopidas domo exiens lacrymante vxore, atq; orante, vt se ipsum vellet seruare, hæc inquit, ô mulier, oportet semper priuatis viris persuadere, nõ his, qui magistratus gerunt, vt alios saluos faciant. Atq; 8 hæc quidem est constans illa, & perpetua voluntas, ius suum vnicique tribuens, quæ nec potentia frangitur, nec vi, aut metu flectitur.

Platina lib. 8. de optimo ciue.

Ne iustitia vlla ex parte labefacteretur, adiungenda illi fortitudo est, omnium virtutum robur, & vallũ; vt enim fortitudo sine iustitia, iniquitatis materia est: ita iustitia sine fortitudine terga nonnunquam vertit, atque eos deserit, quos tueri deberet. optimi autem ciuis proprium est, pro religione, pro patria, pro iustitia, & honestate, omne discrimen subire, & pericula quæque contemnere; ac multo id magis est optimi magistratus.

Orosius lib. 7. de regis institutione.

Socer Moysis ait: Delige ex omni populo viros potentes,

Q 4

tentes, qui Deum timeant, & fidem colant, & auaritiam odio persequantur; potentes inquit, ne timore et imbecillitate prepediti, causas contra ius & fas hominibus, qui multum in rep. possunt, adiudicent.

Et paulò post.

- II Considerandum est, Moyfis focerū inter alias virtutes, quibus iudices instructos esse vult, non numerasse; nimirum in interpretatione iuris acumen: nec enim dicit, sint iudices subtiles, acuti, veteratores & callidi. nihil horum dicit. nec enim tunc tantus honor malitiæ habebatur, vt ij iuris consultissimi existimarentur, qui nimio acumine subnixi, variè leges interpretarentur, & simplicitatem iuris eluderent: nihil enim magis sapientiæ repugnat, quàm nimia subtilitas, &c.

PATIENTIAM ESSE NECESSARIAM CAP. VIII.

Proverb. 14. & 16.

- 1 Qui patiens est, multa gubernatur sapientia; qui autem impatiens est, exalrat stultitiam suam: melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.
- 2 Quamuis omnes virtutes omnibus hominibus necessariae sint, quaedam tamen (vt ait Seneca lib. 1. de clementia) quibusdam personis aptiores sunt, & cunctæ virtutes melius in tribunali, quàm in plano conspiciuntur.
- 3 Pars fortitudinis patientia est, voluntaria perperffio rerum difficilium honestatis causa, vt Cicero definit lib. 2. de inuentione.
- 4 Patientia quidem admodum necessaria est iudicibus

cibus & magistratibus: quippe qui molestis, & importunis litigantium precibus, & querelis ita obtuuntur, fatigantur, & irritantur, vt non facile sit subinde nõ commoueri; ac tantum non in morositatem quandam incidere.

Sanctus August. de tempore sermone 232.

Nemo dicat, quòd in istis temporibus martyres non sint, quotidie martyres fiunt: martyr enim testis interpretatur. quicumque ergo pro veritate testimonium dederit, & omnes causas cum iustitia iudicaerit; quidquid pro testimonio veritatis, vel iustitiæ pertulerit, totum ei Dominus pro martyrio computabit.

Plato lib. 7. de rep.

Querendus est vir memoria valens, integerrimus, & tolerantissimus.

Plinius lib. 6. epistolarum.

Etenim temerarium exitimo diuinare, quàm spatiofa sit causa inaudita, tempusq; negotio finire, cuius modum ignores: præsertim cum primùm religioni suæ iudex patientiam debeat, quæ pars magna iustitiæ est. At quaedam superuacua dicuntur etiam, sed factius est & hæc dici, quàm non dici necessaria. Præterea an sint superuacanea, nisi cum audieris, scire non possis.

Ulpianus lib. 1. de offi. Procon.

Circa aduocatos patientem esse proconsulē oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur: nec dissimulare, si quos causarum concinnatores, vel redemptores deprehendat.

Linus lib. 25.

Nihil aliud à cæde ac dimicatione continuit homines, nisi patientia magistratuum, quòd cesserint

Q 5 in

in præsentia furori, atque audaciæ paucorum.

Diuus Chrysoſt. lib. 3. de ſacerdotio.

10 Est verò mortalibus bonorum omnium auctor paciẽtia, hominis animum tanquam in ſerenũ quendam portum appellens.

Idem diuus in priorem epiſtolam ad Corinthios ſermone 33.

11 Patientia eſt omnium bonorum cauſa, vniuerſæ philoſophiæ radix, ſcutum inexpugnabile, turris firma, mala omnia repellens.

Cyprianus de bono patientiæ.

12 Patientia eſt, quæ nos Deo commendat, & ſeruat; ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frænã, quæ mentem gubernat: pacem cuſtodit, diſciplinam regit, tumoris violentiam comprimit.

Beatus Auguſtinus lib. de patientiæ.

13 Patientiam magnum Dei donum eſt; patientia comes eſt ſapientiæ, amica eſt bonæ conſcientiæ.

Idem diuus de verbis Apoſtoli, ſermone 4.

14 Non inuenit locum ſapientia, vbi nõ eſt patientia.

Sanctus Gregorius in Euangelia homil. 35.

15 Scriptum eſt, doctrina viri per patientiã noſcitur: tanto ergo quiſque minus oſtenditur doctus, quanto conuincitur minus patiens.

Prudentius de pugna patientiæ, & iræ.

16 Omnibus vna comes virtutibus aſſociatur, Auxiliũque ſuum fortis patientia miſcet. Nulla anceps luçtamen inuit virtute ſine iſta Virtus, nam vidua eſt, quam non patientia firmat.

Lactantius lib. 5 cap. 22.

17 Magna & præcipua virtus eſt patientia, quam pariter & vulgi voces publicæ, & philoſophi, & oratores ſummis laudibus celebrant.

DE

DE MANSVETUDINE.

CAP. IX.

Eccleſiaſtici cap. 3.

Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper i hominum gloriam diligeriſ.

Chryſoſt. in Pſal. 119.

Nihil eſt manſuetudine potentius, nihil lenitate 2 validius ac firmitus.

Plato in Gorgia.

Iuſti manſueri ſunt.

3

Demoſthenes de rep. ordinanda.

In armis formidabiles, in iudiciis humanos eſſe 4 decet.

Socrates oratione ad Philippum.

Difficiles mores moleſtos eſſe video, tum iis, qui 5 eos habent, tum hiſ, qui eorum conſuetudine vtuntur. Manſuetudinem non in animantibus ſolum & hominibus, & cæteris rebus omnibus; ſed in diis quoque celebrari.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Nihil laudabilius, nihil magno, & præclaro viro 6 dignius placabilitate atq; clementia. In iuris æqualitate exercenda etiam eſt facilitas, & altitudo animi: ne ſi irāſcamur, aut intempetiue accedentibus, aut imprudenter rogantibus, in moroſitatem inutilem, & odioſam incidamus. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, vt adhibeatur reipublicæ cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.

Chryſoſt. in Pſal. 131.

Neque ferire eſt abſolutæ atrocitatis, nec parcere 7 manſuetudinis: ſed mitis ille eſt, qui ferre poteſt, quæ

in

in se ipsum peccata sunt, qui aliis factam iniuriam propulsat, & eis fert opem, & est vehemens ultor eorum, qui probra ingerunt: qui autem non est eiusmodi, sed hebes, & deses, & somnolentus, & mortuo nihilo melius affectus; non est mitis, nec mansuetus.

Stobaeus sermone de rep.

8 De magistratu & subiectis ita sentiebant Pythagoræi. Magistratus quidem dicebant, non oportere tantum prudentes esse, verum etiam benignos: subditos vero non morigeros tantum, sed amantes quoque magistratum.

Plutarchus in Apoph. Laconicis.

9 Ciuium quodam dicente, oportere bonum regem omnino mitem esse: Respondit Cleomenes, eò usque dum contemptui non sit.

Idem in Coriolano.

10 Non erat ille vir, qui grauitatem simul cum mansuetudine, quibus in rebus ciuilibus maxime virtus constat, studiorum ratione, aut disciplina temperatam haberet; ignarus ei, qui administrator in republica futurus est, fugiendam esse magnopere pertinaciam, & hominum societates celebrandas.

Idem in Phocione.

11 Qui in administrandis rebus ita versatur, ut ad salutem, publicumque commodum, velut ad metam aliquam sua consilia dirigantur, non nihilque interdum ciuium gratiae & voluptati concesserint, nec singula velut ad filum redacta velint, seueritate potius & vi, quam mansuetudine & humanitate conficere: hi mihi plane videntur sapientissime seruandarum rerum viam incedere: quanquam existimo, haud parui esse negocij, seueritatem posse cum comitate retinere.

nere. Quod qui nactus est, rem profecto est assecutus, qua nulla est, neque harmonia concinnior, neque concinnitas suauior, neque suauitas grauior, aut vtilior.

Quintus Curtius lib. 3.

Alexander Magnus, & ingenij dotibus, & animi artibus, ut pariter charus, ac venerandus esset, effecit.

Plinius Hadriano lib. 4. epist.

Seueritatem istam pari iucunditate condire, summaque grauitati tantum comitatis adiungere, non minus difficile, quam magnum est; id tu cum incredibili quadam suauitate sermonum, tum vel precipue stylo assequeris.

Iulianus epistola ad Alypium.

De reipublicae administratione, quod diligenter, atque humaniter transigere omnia studeas, mihi gratum est. etenim lenitatem ac moderationem cum fortitudine, & robore ita temperare, ut illa erga bonos viros utare, hanc ad prauos seuerè corrigendos adhibeas, non mediocris ingenij ac virtutis rem esse arbitror.

Chrysofost. sermone de mansuetudine.

Deus homines non ita diligit propter virginitatem, ieiunium, contemptum diuitiarum, hilarem eleemosynarum dationem, ut propter mansuetudinem, & mites, beneque compositos mores: & cum haec virtus omnes homines ornare valeat, in primis tamen eos, qui in potestatibus agunt.

Diuus Ambrosius lib. 2. Officiorum cap. 7.

Legimus non solum in priuatis, sed etiam in ipsis regibus, quantum facilitas blandae affabilitatis profuerit, aut superbia, verborumque obfuerit tumor,

vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret.

Ecclesiastici 32.

17 Rectorem te posuerunt, noli extolli: esto in illis, quasi vnus ex ipsis.

Ibidem cap. 10.

18 Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

Sanctus Ephrem capite de mansuetudine.

19 Beatus ille vir, qui mitis est, & mansuetus: quandoquidem hunc etiam seruator & Dominus beatum appellat: vir mansuetus ornamentis omnibus decoratur, iratos mitigat dulcedine sua, pacificè cum omnibus viuit, ad omne opus bonum promptus est. ô præclaras diuitias mansuetudinis, quæ à cunctis colaudatur, & apud omnes est admirabilis!

Pindarus in Pythiis oda 8.

20 O blanda mēte prædita tranquillitas, iustitiæ filia, maximas vrbes reddens, consiliorum & bellorū habens clauas supremas! tu mollia præstare, & iis frui pariter nosti cum exacta oportunitate.

Ferus in Numeros cap. 12.

21 Magna laus Moyfi, cū dicitur, omnium hominum esse mitissimum hoc enim verum iudiciū erat inhabitātis in ipso Spiritus sancti: cui attribuitur benignitas, & gratia in opere, & sermone. nec populo regendo aptior quisquam, quàm is, in quo benignitas est, & mansuetudo, quæ tamen non careat animi fortitudine, & zelo iustitiæ: alioqui is qui omnia dissimulat, non mitis, sed pusillanimis censendus est.

Psal. 24.

22 Deus diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.

DE

DE PRVDENTIA MAGISTRATVVM. CAP. X.

Proverb. 4.

In omni possessione tua acquire prudentiā: arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cū eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.

Arist. lib. 3. Polit. cap. 3.

Virtutum sola prudentia est imperium obtinentis propria. Nam cæteræ necessariò communes esse videntur imperantibus, cum iis quibus imperatur.

Plato in Minoe docet, neminem rectè præesse, nisi sit prudens: additque omnes animi impetus, atque omnes declinationes, ducente prudentia, ad beatitudinem tendere; imprudentia verò, ad contrarium.

Idem in secundo Alcibiade.

Perpicuū est, & apud Deū & apud homines sanæ mentis iustitiam, & prudentiam præcipuè honorari. Prudentes autem, iusti que sunt, qui sciunt, quæ erga Deum, & homines agere, atque dicere deceat.

Xenophon lib. 1. de Cyropædia.

Hominibus imperare, neque impossibile est, neque factu difficile, si quis prudenter id agat. Prudentibus enim vtrò paretur. Et quæ se ipsis prudentiorè duxerint circa suam ipsorum vtilitatem, huic homines perlibenter obediunt.

Arist. lib. 6. Eth. cap. 13.

Fieri non potest, vt sine prudentia sit homo propriè bonus, & absque morum virtute prudens.

Demosthenes contra Theocrinem.

Ego à natu maioribus audio, tunc floruisse maximè

ximè rempublicam, cùm à modestis, & prudentibus viris regeretur.

Euripides in Antiope.

8 Viri prudentia facit, vt bene habitentur ciuitates, itémq; familia: & ad bella magnū eius momentū est.

Cicero lib. 1. Officiorum.

9 Vt quisque maximè perspicit, quid in quaque re verissimum sit, quiq; acutissimè, & celerrimè potest & videre & explicare rationem; is prudentissimus & sapientissimus rite haberi solet.

Plutarchus in Pomponio Attico.

10 Prudentia quodam modo diuinatio est.

Naxianzenus in Iulianum oratione 2.

11 Vates est optimus, quicūq; bene cōiectare nouit.

Agatho. apud Stobaeum sermone de prudentia.

12 Recta prudentia, magnus est Deus.

Laertius lib. 4.

13 Biō Borysthenites tantū prudentiā à virtutibus ceteris differre assererat, quātū visum ab aliis sensibus.

Pythagoras apud eundem.

14 Robur & murū, & arma sapienti prudentia prestat.

Democritus ab eodem relatus, sermone de Legibus.

15 Imprudentibus regi satius est, quàm regere.

Beatus Ambrosius lib. 1. Officiorum cap. 27.

16 Non potest iustitia sine prudentia esse, cùm examinare, quid iustum quidue iniustum sit, non mediocris prudentiæ sit.

Sanctus Chrysost. in Psal. 13.

17 Prudentia est lucerna animæ, regina cogitationū, magistra eorum, quæ bona sunt, & honesta.

Idem Diuus lib. 3. de sacerdotio.

18 Si quis magnam perpetua vita religionem, pietatemque

témque præstiterit, ne hunc quidem adlegere statim audeam, nisi magnam etiam animi prudentiam religione huiusmodi conuinctam habeat.

Idem in epistolam ad Ephesios sermone 15.

Nihil ad rerum administrationem ita necessarium 19 est & accommodum, atque prudentia.

Cicero pro Fonteio.

In rebus iudicandis non minimā partem ad vnam- 20 quamque rem æstimandam, momentoque suo ponderandam, sapientia iudicis tenet.

Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 1.

Nec iudex sine iustitia, nec vlla potest esse iustitia 21 sine prudentia.

Cassiodorus lib. 12. variarum.

Tanta est in republica de morum varietate diuer- 22 fitas, vt nemo valeat leges defendere, nisi terror videatur aliqua tēperare. feroces districtione premendi sunt: mansueti ciuiler admonendi: dolosi cautè: simplices sub lenitate tractandi sunt. & ideo vbique probatur esse necessaria prudentia: quoniam rebus omnibus adhiberi videtur accommoda.

Georgius Valla lib. 41. cap. 4.

Prudentiæ proprium est, vt omnia ratione atque 23 consilio agitentur, inde consulta maturè transigantur. prudentiæ propriū est etiam in consilio res adhibere; bona, malāq; discernere; opportunitates percallere; rerum utilium habere experientiam, &c. Denique tria prudentiæ tempora deputantur, vt præterita meminert, præsentia consideret, futura coniectet.

Laurentius Grimalius lib. 2. de optimo senatore.

Prudentiā à prouidēdo Latini dixerunt, quòd per 24 eam animus & futura prouideat, & præsentia dispo-

R nat,

nat, & præterita memoria teneat. Est enim prudentia rerum bonarum & malarum scientia posita tota in delectu, & cognitione rerum experendarum, & fugiendarum; & vt Aristoteles sentit, habitus est perfectæ rationi copulatus, ad res gerendas aptus, ac in his occupatus, quæ homini bona vel mala contingere possunt.

Hieronym. in Isaiam cap. 1.

25 Quando dicit, quærite iudicium; ostendit, non esse omnium iudicare, sed eorum qui prudentes sunt, denique & Salomon in visione per somnium hoc à Deo postulauit, vt accepta sapientia, iustè populum iudicaret.

Sanctus Iustinianus lib. de prudentia, cap. 3.

26 Vani sunt homines in quibus non est prudentia. hæc virtus magisterium habet cæterarum virtutum. qui non habet prudentiam, licet sit magnæ sanctitatis, similis est homini in altum respicienti, & vbi ponat pedem suum non videnti, qui facilè ruere potest.

EXPERIENTIAM ESSE
NECESSARIAM CAP. XI.

Ecclesiasticus cap. 34.

1 Vir in multis expertus, cogitabit multa; & qui multa didicit, enarrabit intellectum. qui non est expertus, pauca recognoscit.

Pindarus in Olympiis.

2 Leuiore sunt inexpertorum mentes.

Idem ibidem oda 6.

3 Experientia mortalium est iudex.

Aristoteles lib. 10. Eth. cap. ult.

4 Iis qui de re ciuili cupiunt scire, experientia non parum

parum conferre videtur. Nam qui sunt in singulis experti, rectè opera iudicant, & quibus aut quomodo perficiunt, & quæ sunt his consona cõprehendunt.

Idem lib. 1. Metaphysica.

Expertus certius, quod intendunt, consequuntur, quam ij qui rationem absque experientia tenent.

Idem lib. 6. Ethic. cap. 11.

Quemadmodum in artibus, ita etiam in actionibus, & rerum publicarum administrationibus, non minus expertis quam doctis iudicium nonnunquam tribuendum est.

Cicero pro Cornelio Balbo.

Affiduus vsus vni rei deditus, & ingenium & artem sæpè vincit.

Plinius lib. 1. Epistolarum.

Vir est grauis, prudens, multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex præteritis prouidere. Mihi & tentandi aliquid & quiescendi illo auctore ratio constabit.

Stephanus lib. sent. ex Plutarcho.

Vt qui primò musicen discunt, citharas aliquot perdunt & obterunt: ita magno reipublicæ malo administrat magistratū, qui rudis accedit & imperitus.

Terentius in Adelphis.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,

Quin res, etas, vsus semper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, nescias;
Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Horatius.

Aut virtus nomen inane est;
Aut decus & pretium rectè feret experiens vir.

II

R 2

Manilius

Manilius lib. 1. Astronomia.

- 12 Per varios vsus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.

Belisarius apud Procopium lib. 2. de bello Persico.

- 13 Multorum experientia bellorum commilitones
dedit nobis, & in rebus dubiis futura posse conie-
re, & deliberando seligere potiora.

Clemens lib. 1. Stromatum.

- 14 Gubernatorem laudamus qui multarum rerum
habet experientiam, qui mores nouit multorum ho-
minum.

Antonius Melissa lib. 1. sermone 50.

- 15 Lasus interrogatus quid sapientissimum esset, ex-
perientia, dixit.

- 16 Multa sunt profectò cogitantibus facillima, expe-
rientibus supra quàm dici possit, grauiac laboriosa.

Egesippus lib. 5. cap. 48.

- 17 Plerunquē seuerius iudicamus, quàm præcauere
possemus, si ipsi in tali necessitate versaremur.

Cicero lib. 1. Officiorum.

- 18 Cōsideratè agere pluris est quàm cogitare prudētē.

Nicephorus Gregoras lib. 8. historia Byzantina.

- 19 Otiosa disciplinarum tractatio quam libri suppe-
ditant, organico similis est corpori animam delide-
ranti, quæ per sensuum experientiam accedat; aut etiã
variis ciborum generibus in ventrem congestis com-
parari queat, qui calorem ad coquendum postulet:
is verò calor non alius fuerit quàm multus vsus, & va-
riarum rerum experientia.

Ferus in Ecclesiastem cap. 1.

- 20 Salomon sapientiæ adiecit experiētiam, quæ scien-
tiam moderatur secundùm res præsentēs, & circum-
stantias

stantias ratione quadam & modo, vt res & tempora
ferunt. sapientia sine experientia aliquanto plus offi-
cit quàm prodest: econtrariò, expertus aliquanto
plus efficit, quàm sapiens sine experientia.

Viues lib. 2. de anima.

Quoniam verò certius operatur expertus quàm 21
sciens, idcirco ad prudentiã vel artem non sola scien-
tia satis est, experimentis etiam est opus, memoria &
recordatione comprehensis. eãque ob causam in-
expertus, nec probi artifices sunt, nec prudentes satis.
acies enim mentis doctrina exacuitur & expolitur,
vis autem agendi atque operandi exercitatione.

Iustinianus edicto 5.

Facilè cognoscere est quæ rectè se habere cuiuspiam 22
visa sint, sæpenumero effectum habuisse prorsus di-
uersum: & quod cuiusque ratio ac coniectura fore
vile existimasset, ex ipsa experientia inutile inuen-
tum esse.

Ex Eustratio in lib. 5. Ethic. cap. 1.

In cōtemplatiuis scientiis finis in cognitione con- 23
sistit. in moralibus autem rebus & ciuilibus finis nõ
cognitio, sed actio est. non enim satis est in his quid
agendum sit cognoscere, sed quomodo quidque
agatur exploratum habere. atque illorum cognitio
ab experientia petenda est. etenim vir ciuilis ultra
rationes vniuersales indiget quoque negotiorum
experientia, vt medicus, vt imperator, vt nauis gu-
bernator, & reliqui, in quorum administratione tra-
ctationeque rerum opus versatur.

1 Præcipiens Iosaphat iudicibus, Videte ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini; & quodcūque iudicaueritis, in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.

Plato lib. 7 de Legibus.

2 Certè turpe illud & illiberale videri debet, vt cuius aliquis per totam dormiat noctem. Exurgant igitur nocte, & magistratus publicum aliquid; patres verò, & matres familiæ in domibus propriis rem suā curent. Somnus enim multus, nec corporibus, nec animis, nec rebus gerendis, naturā conducit. nemo quidem dum dormit, alicuius pretij est, non magis, quàm si non viueret.

Idem Plato statim.

3 Quicumque viuere, & sapere cupit maximè, quàm longissimo tempore vigilet, sola sanitatis commoditate seruata. Ad hanc verò nō multo opus est somno, si bene assueueris somnis. Magistratus profectò nocte in urbibus vigilantes, malis hominibus, tum hostibus, tum ciuibus terrori sunt; amandi, honorandique iustis, & temperatis: sibi & ciuitati vtiles vniuersæ.

Homerus lib. 2. Iliados.

4 Non licet integram noctem dormire regentem Imperio populos, & agentem pectore curas. Non noctem penitus totam decet esse soporum, Cuius consilio populique ac multa regantur.

Xenophon

Xenophon lib. 6. rerum Græcarum.

In rebus humanis celeritate sæpius multa digna & egregia transigi possunt.

Arrianus lib. 8. de gestis Alexandri.

Alexander Magnus inquit, plus vigilare, quàm 6 vos, me certò scio, vt ipsi quietos somnos capere possitis.

Seneca lib. de vita breuitate, laudans Cæsaris diligentiam dicit,

Omnium domos illius vigilia defendit, omnium 7 ocium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.

Plutarchus lib. de doctrina principum.

Epaminundas, Thebanis in ludos quosdam festos, & comotationes solutis, solus adibat arma, mœniâque, dicens, se sobrium esse, ac vigilare, quo liceret aliis ebrios esse, ac dormire.

Plautus in Rudente.

Vigilare decet hominem,

Qui vult sua tempore conficere officia.

Nam qui dormiunt libenter, sine lucro

Et cum malo quiescunt.

Antiphanes.

Diligentiæ omnia seruiunt.

Aliter.

Omnia diligentia subiciuntur.

Euripides.

Vita mellis, & mala timiditas, neque domum, nec 11 ciuitatem rectè gubernauerint.

Lex Constantini lib. 1. Cod. tit. 39.

Iustissimos, & vigilantissimos iudices publicis ac- 12 clamationibus collaudandi damus omnibus potesta-

R 4

tem,

tem, ut honoris eis auctiores proferamus processus.

Plautus in Rudente.

- 13 Nimis homo nihil est, qui piger est,
Nimisque id genus odi ego malè.

Lex Arcadij & Honorij lib. 1. C. tit. 32.

- 14 Palatinis hæc cura debet esse præcipua, ut periculo proprio notariis destinatis, super negligètia iudicum (si ita res exegerit) conquerantur, ne eorum sit impunita desidia.

Iustinianus de prouinciarum præsidibus constitutione 161.

- 15 Sancimus ut illi magistratum gerant, qui & bona existimatione noti sunt, & in exercenda iustitia plurimum reposuerunt sollicitudinis.

Procopius lib. 2. de bello Gothorum.

- 16 Negligentia, atque ignauia, etiam optimè constituta corrumpunt.

Diuus Chrysof. lib. 3. de Sacerdotio.

- 17 Vsu venire solet, ut quibus ciuitatum principatus concreditus est, ij nisi valdè prudentes, pariter ac vigilantes fuerint, tum ciuitates ipsas euertant, tum se ipsos perditum eant.

Idem diuus in Genesim homil. 14.

- 18 Graue malum est desidia, facitque ut facilia omnia videantur difficilia: sicut studio & vigilantia etiam omnia ardua & difficilia facilia nobis faciunt.

Lactantius lib. 3. cap. 17.

- 19 Epicurus ignauum prohibet accedere ad rempublicam, timidum militare.

Patricius lib. 5. de Regno, tit. 20.

- 20 Diligentia disciplinarum, artium, actionumque omnium magistra esse perhibetur, sine qua nihil perfectè agi in hominum vita potest.

Leo

Leo Magnus epistola 86.

Inferiorum ordinum culpæ ad nullos magis referenda sunt, quàm ad desides negligentisque rectores, qui multam sæpè nutriunt pestilentiam, dum austeriorem dissimulant adhibere medicinam.

Orosius lib. 4. de Regis institutione.

In diligentia omnium artium & disciplinarum, & officiorum laus, & (ut ita dicam) vita consistit. si enim diligentiam remoueris, iacebunt omnia, & quasi ueterno consopita in tenebris & caligine delitescent.

Ex eodem lib. 8.

Quid laborum fuga facere admonet? rem de die in diem differre, nihil trāsfigere, nihil expedire. quid autem hac tanta socordia magistratus assequitur? ut negotia negotiis accumulentur, infinitisque laboribus opprimatur. inde autem summa muneris gerendi difficultas & desperatio nascitur, quæ cum animum occupauerit, eum de omni statu deiiciet, & irretitum tenebit, ne quidquam agere aut moliri audeat.

DE DIGNITATE MAGISTRATVVM. CAP. XIII.

Ut reuerentia maior magistratibus tribuatur, expedit ut dignitatem, id est pulchritudinem quandam virilè habeant, quo efficietur ut magis sint venerandi.

1. Regum 16.

Dauid erat rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie.

Plato lib. 7. de Rep.

Grauiissimos homines decet eligere, & quoad fieri potest, speciosissimos.

Arist. lib. 4. Eth. cap. 3.

Pulchritudo corpore in magno cōsistit. Parui verò Pulchritudo corpore in magno cōsistit. Parui verò

R 5 elegan-

elegantes & concinni, non autem pulchri dicuntur.

Virgilius lib. 5. Aeneid.

5 Grator, & pulchro veniens in corpore virtus,
Aduuat.

Maximus Tyrius sermone 1.

6 Gratissimus erat intuentibus Achilles, non tamen
ob cæsariem flauam, nam & erat pariter comatus
Euphorbus: verùm ideo Achillis pulchritudo fauo-
rem sibi conciliabat, quòd erat illustrata virtute.

Diuus Augustinus de sanctis sermone 6.

7 Stephano martyri, & pulchritudo erat corporis,
& flos ætatis, & eloquentia sermocinantis, & sapien-
tia sanctissimæ mentis, & operatio diuinitatis. *Et*
paulò post: Homo erat iuuenis, & pulcher, & eloquen-
tissimus, & sapientissimus.

Plutarchus in Scipione.

8 Erat Scipio animo aliisque virtutibus vehemèter
excellens, sed præstans etiam pulchritudine oris. &
totius corporis forma conspicuus, læta atque hilari
fronte: quæ plurimum valent ad gratiam hominum
conciliandam.

Idem in Marco Crasso.

9 Corporis autè dignitas ac sermonis elegantia, tum
frontis hilaritas quædam facilè ad se amandum ho-
mines alliciens, par in vtroque fuisse traditur.

Lucretius lib. 5.

10 Et pecudes & agros diuisere, atque dedere
Pro facie cuiusque, & viribus ingenioque:
Nam facies multum valuit, virisque vigeant.

Plinius lib. 1. Epistolarum.

11 Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo ru-
bore suffusa, est ingenua totius corporis pulchritudo,
& qui-

& quidam senatorius decor: quæ ego nequaquam
arbitror negligenda.

Olympius Nemesianus ecloga 1.

Plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat, tu ruricolùm discernere lites
Assueras, varias patiens mulcendo querelas.
Blanda tibi vultu grauitas, & mite serena
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.

12

Pontius Diaconus in vita Cypriani.

Grauis Cypriani vultus & latus, nec seueritas tri- 13
stis, nec comitas nimia, sed admixta vtrinque tempe-
ries: vt esset ambigere, vereri an diligere mereretur, nisi
quòd & vereri & diligere merebatur.

Alfonsus Tostadus in lib. Numer. cap. 11. quest. 39.

Dignitas, auctoritas & maiestas quædam iudici- 14
bus & magistratibus necessaria est, vt eis à ciuibus re-
uerentia deferatur: sed sine probitate nulla maiestas
est, vt ait Seneca epistola 96.

Patricius lib. 2. de Regno.

Formæ dignitas plurimum auget auctoritatem, & 15
deformitas virtutis, laudisque gloriam aliqua ex par-
te minuere videtur, & hominem obnoxium detra-
ctoribus reddit.

Eumenius in Panegyrico ad imp. Constantium.

Non frustrà doctissimi viri dixerunt, naturã ipsam 16
magnis mentibus digna corporum domicilia metari.

Patatus in Panegyrico ad Theodosium nostrum.

Non frustrà planè opinione sapientium, qui na- 17
turalium momenta causarum subtiliùs sciscitati, ar-
canis cælestibus nobiles curas intulerunt, augu-
stissima quæque species plurimum creditur trahe-
re de cælo. siue enim diuinus ille animus venturus

in

in corpus dignum prius metatur hospitium, siue cūm venerit, fingit habitaculum pro habitu suo: siue aliud ex altero crescit; & cūm se paria iunxerunt, vtraque maiora sunt: parcam arcanū cæleste rimari: tibi istud soli pateat imperator cum Deo conforse secretum.

Plutarchus in Philopœmene.

- 18 Mulier quædam Megarenfis cūm Achæorum imperatorem ad se aduentare accepisset, ingenti animi tumultu fluctuabat, & in ipso cœnæ apparatu (forte enim maritus aberat) agitabatur. Interim Philopœmen tenui admodū cum chlamyde subit ædes, quem mulier ex ministris quempiam præcurrentem auertisse suspicata, vt ministranti sibi opem adhiberet, precabatur. Cōtinuò Philopœmen relicta chlamyde scindere ligna cœpit. Inter hæc hospes ingressus, vbi rem conspicatur, quidnam hoc est, inquit, ô Philopœmen? Cui Philopœmen, Dorica respondens lingua: Quidnam aliud, ait, quàm indecoræ faciei prænam do? reliqui corporis effigiem Titus Flaminius mordens aliquando, ô Philopœmen dixit, quàm pulchras manus habes & crura: cæterūm ventrem non habes.

NE SIT MAGISTRATVS, QUI
DOMVI SVÆ PRÆESSE
nescit. CAP. XIII.

Diuus Paulus prioris epistolæ ad Timotheum cap. 3.

- 1 Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit?

Et ibidem diuus Chrysostomus.

- 2 Hoc & externæ sapientiæ auctores aiunt, vt qui ré familiarem suam rite administrauerit, rei quoque publicæ

blicæ conuenienter possit contrectare negocia.

Idem diuus in epistolam ad Ephesios sermone 22.

Ciuitas quædam est vnius cuiusque domus: princeps est quisque domus suæ; de diuitum edibus manifestum quidem est, vbi & agri sunt, & procuratores, & præfecti supra præfectos. ego verò & pauperū domum ciuitatem esse dico. Nam & hic principatus sunt, vtpote, dum vir dominatur vxoris; & vxor seruorum, & serui mulierum; rursus, & viri & vxores liberorum,

Sacer Dionysius in epistola ad Demophilum.

Iure quidē ac meritò legislator, qui nobis à Deo datus est, nō vult ecclesiæ Dei præesse eū qui non domui ac familiæ suæ iā antea præclare præfuerit; etenim qui se ipse rexit, alterū etiā reget: & qui alterū, etiā domū: qui domū, & ciuitatē: qui ciuitatē, etiā nationē.

Diuus Ambrosius epistola 82.

Quis ferat, si ipse se gubernare nequeat, qui alios gubernandos receperit.

Sanctus Paulinus ad Cytherium.

Bonūque mentis vir gubernator suæ, & ecclesiæ nauem reget. Nam quomodo ille præsidebit proximis, præesse qui nescit sibi?

Xenophon lib. 3. de factis & dictis Socratis,

Luculenter probat, bonos etiam imperatores fore, qui boni patres familias sunt. *Et post alia inquit.* Noli parvipendere homines œconomicos: cura namque rerum priuatarū multitudine solūm à reipublicæ gubernatione differt; in cæteris verò similes sunt. Quod verò magis est, neque absque hominibus vlla istarum regitur, neque per alios quidem priuatæ, per alios verò homines publicæ res gubernantur: fidis namq;

homi-

hominibus vtuntur, qui reipublicæ curam habent, quibus etiam illi qui proprias & priuatas gubernant, qui enim vti hominibus non ignorent, & priuatas res & publicas optimè regunt; qui verò nesciant, in vtrisque errant.

Isocrates ad Demonicum.

8 De rebus tuis consulturus aliquem, vide primùm quo pacto res suas administrauerit, qui enim negotiis propriis malè consulit, nunquam bene consulit in alienis.

Idem oratione de Pace.

9 Prima igitur hæc est emendandæ ordinandæque reipublicæ ratio, si de publicis negotiis deliberaturi eos in consilium adhibuerimus, quibus in priuatis rebus nullos anteponeremus.

Herodotus lib. 5.

10 Cùm Miletū venissent viri inter Patios præstatiissimi, coacto cœtu decreuerunt urbem ab iis esse incolendam, quorū fundos bene cultos inuenisset. videri enim illos ita curaturos publica, vt sua ipsorū curauissent.

Euphron in Didymis.

11 Nam qui suam malè gubernat rem familiarem, dic quæso quomodo seruabit is alienam?

Diphilus apud Stobæum sermone de prodigalitate.

12 Cognouit autem, quòd quisquis malè vsus est rebus propriis, non possit esse fidus in alienis.

13 Æschines contra Timarchum rectè existimabat, eum qui in sua familia non bene vixerit, in communibus quoque reipublicæ negotiis similiter esse versaturum.

14 Quid aliud ciuitas, quid aliud est regnum, quàm magna familia? qui paruam familiam malè gubernat, quomodo gubernabit maximam? Et tamen fit nescio quo pacto, vt qui se ac sua regere nesciunt, hi de reipublicæ

publicæ gubernatione philosophari nunquam desinant: hi sunt (sicuti Nazianzenus oratione 26. scribit) qui extra tempus philosophantur, at in necessitatibus omni carent prudentia.

Sofocrates.

Omnes sumus ad monendum prudentes,

15

Nos verò errare non cognoscimus.

Philo lib. de Ioseph.

Oportet futurum administratorem reipublicæ præexerceri in rebus œconomicis. nã & domus est quædam parua ciuitas, & œconomia cõpendiaria reipublica. sicut etiam ciuitas magna domus est, & policia cõmunis quædam œconomia; vnde facilè discimus eundem esse aptum & dispensationi domesticæ, & administrationi publicæ, quãuis hæc multitudine magnitudinè que differant.

Ea quæ sunt ad alterum, sumunt originem ex iis quæ sunt ad nos ipsos; & ex minus perfectis peruenitur ad perfectiora: qui verò seipsum regere nescit, quomodo gubernabit familiam suam? qui sibi malus est, cui alij bonus erit? maior autem industria & prudentia necessaria est ad gubernationem reip. quàm ad regendam priuatam domum: & qui domui suæ præesse nescit, quomodo reipublicæ diligentiam & maiorem prudentiam adhibebit?

Georgius Vallalib. 45. cap. 1.

Nec enim reipublicæ gubernaculis moderari poterit, qui suis affectibus imperare, suæque familiæ quid dicendum, quidque faciendum sit præscribere nescit.

Basilii Magni de opificio Dei homil. 10.

Absurdum fuerit, & res admodum insolens, si is aliis imperet qui ipse domi ex alieno pendeat arbitrio; & is administrandæ reipublicæ præficiatur, qui in intimis ædibus captiuus premitur iugo vilissimi scorti, nec

rem

rem familiarem rite dispensat. conuenit eum assumi ad aliorum præfecturâ, qui quæ sibi sunt intima, probè, ac decenti ordine moderari nouit: alicui, si in rem domesticam negligenter se gesserit, nec illam sciuerit rectè disponere, iure à subditis ei obicietur euangelicus ille sermo, Medice cura te ipsum.

Chrysoſt. de comparatione Regis & Monachi.

20 Qui sibiipsi imperare nescit, quo tandem modo alios legibus regere poterit?

Aeschines in Ctesiphontem.

21 Qui priuatim improbus est, nunquam publicè bonus erit: & qui domi malus est, nunquam alibi probus ac bonus fuit. non enim ingenium & animum, sed locum tantùm mutauit.

IUDICEM ESSE NON POSSE,
QUI IURIS PERITVS
NON SIT. CAP. XV.

Plato lib. vlt. de Legibus.

1 Futurus iudex operâ dare debet, vt legum constitutiones ante omnia discat, & mente firmiter teneat.

Idem lib. Ciuili.

2 Non aliud est officium iudicis, quàm vt circa contractus omnigenos, quid iustum, quid non, consideret, & ad normam legum respiciens, de singulis iudicet, propria virtute semper adhibita.

Idem lib. 2. de Legibus.

3 Non debet verus iudex, quæ determinata iudicio sunt, ab alio discere, & quasi stupefactus tam clamore multorum, quàm ignorantia sua, ita ferre sententiâ,

Iustinianus de iudicibus constitutione 82.

4 Nec enim ex vsu fore existimauimus, vt aliqui iudicum

dicum nomê gestent, qui & legum maximè sunt imperiti, & nullum in rebus gerendis obtinent vsum.

Et paulò post.

Si iudices iuris peritiã non habeant, sed aliunde emendicent rectè iudicandi formulã, quomodo non maximam ea res labem reipublicæ inferat, si discipularum litium potestatem non his tradamus qui per se sciant quid factò opus sit; sed sinamus ipsos alios querere à quibus liceat perdiscere, quæ in iudicando eos proloqui oporteat?

Aristoteles lib. 1. Eth. cap. 3.

Vnusquisque ea rectè iudicat quæ cognoscit, atq; eorum bonus iudex est. Vnamquamque igitur rem bene iudicat, qui in ea eruditus est.

Cassiodorus lib. 8. variarum.

Professionem constat esse iustitiæ, legum peritos iudices ordinare: quia vix potest negligere qui nouit æqualitatem; nec facile erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit: felix & certa est conditio negotiorum, quando ille sententiam dicit, qui non potest ignorare quod eligit: non enim decet iudicem ministrum esse voluntatis alterius.

Si is iudex est qui ius dicit, quo pacto ab eo ius dici possit qui ius ignorat? Bonus iudex, inquit Ambrosius, nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges & iura pronuntiat. quo autem modo bonus iudex esse poterit, qui leges & ius ignorat? qui volunt igitur vt iudices iuris periti non sint, hi proculdubio velle videntur, vt iura & leges pessum eant, & imperitorum hominum arbitrio & libidine malè cuncta gerantur.

Alciatus libro 1. parergon iuris, cap. 30.

Tranquillus in Caligula: de iuris consultis, quasi 9

S

scien-

scientiæ eorum omnem vsum aboliturus, sepe iactavit se effecturum, ne quid respondere possent præter æquum. Hoc videlicet significans, iuris scripti libros se aboliturum. Quod immoissimum tyranni dictum, habet etiamnum declamatores aliquos, quibus maxime atrideat: quorum in iure consultos eadem sunt vota, quæ libitinariorum in medicos. Sublato enim iure scripto, quid aliud supererit, quam vt omnes pro stultitiæ suæ capti iudicent, sententiâque in cuiusque gratiam, vel odium arbitrati suo ferant? vniuersaque litium tricis inuoluant.

Terentius in Heautontimorum.

10 Quid cum illis agas, qui neque ius, neque bonum atque æquum sciunt; Melius, peius, profit, obsit, nihil videt, nisi quod lubet?

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo senatore.

11 Quis prudentius causas & controversias decideret, quis civium seditiones melius componet, quis reipublicæ leges, populi consuetudinem, libertatem, mores sapientius defendet, quam iuris legumque peritus? *Et paulo post:* Civilis disciplina nihil aliud est, quam vitæ nostræ, civitatisque bene & iuste gubernandæ scientia.

DE CONCORDIA MAGISTRATVVM. CAP. XVI.

Nazianzenus in Iulianum oratione 1.

1 Optima est concordia, & vt vnâ consentiant civitates, gentes, familiæ, ac cuncta sigillatim, naturæ legem, & ordinem sequantur, quæ omnia distinxit, & composuit, totumque hunc mundum vnum ex pluribus fecit.

Beatus

Beatus Augustinus de tempore, sermone 169.

Concordia voluntas Dei est, iucunditas Christi, 2 perfectio sanctitatis, iustitiæ regula, materia doctrine, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina.

Præclara quidem est illa Aristotelis sententia: rei publicæ rectores, si concordēs sint, facile rempublicam moderaturos: discordibus verò plebem ipsam dominari.

Idem lib. 5. Polit. cap. 6.

Quod inter se dissidet, infirmum est.

Liuius lib. 10.

Quintus Fabius censura, duobusque consulatibus simul gestis, expertum se esse dixit, nihil concordii collegio firmiter ad rempublicam tuendam esse.

Idem Liuius lib. 34. ait,

Aduersus consentientes neminem satis validum fore; discordiam, & seditionem omnia opportuna insidiantibus facere: cum pars, quæ domestico certamine inferior sit, externo potius se applicet, quam civi cedat.

Polybius lib. 6.

Duo sunt, quibus quæuis respublica seruetur, fortitudo videlicet aduersus hostes, & munita inter se concordia.

Plutarchus in Politicis.

Honos magistratibus ille in primis habendus est concordia, atque consensus collegarum: & quidem multò amplior, quam qui impositione coronæ, atque purpura, & auro contexta veste comparatur.

Idem eodem libro.

Quib. quæso, artibus modestus quisquam & frugi homo

gi homo haberi possit, qui existimationi collegæ per inuidiam detrahat? qui alicubi errati per malevolentiam insultet? qui factis præclarè gestis per æmulationem obtrectet? vel denique inde laudem benefactorum per ambitionem extorquens, sibi ipsi postea per impudentiam arroget & ascribat.

Idem in Marco Crasso.

10 Marcus Crassus quamuis serius quàm oportuit, collegæ tamen suo dexteram porrexit, & conuersus ad populum, nihil humile, inquit, arbitror, aut parum me dignum facturum, Quirites, si prior ad amicitiam, gratiamque cum Pompeio conciliandam surrexero, quem vos adhuc impuberem, magnum cognominastis, cuique nondum in senatorum ordinem ascito, triumphum decreuistis.

Idem in Apoph.

11 Aristides cum Themistocle, cui inimicus erat, orator missus; vis ne inquit, ô Themistocles, in finibus inimicitias relinquamus? nam si videbitur cum reuersi fuerimus, illas resumemus.

Aulus Gellius lib. 12. cap. 8.

12 Æmylius Lepidus & Fulvius Flaccus nobili genere, amplissimisque honoribus & summo loco in ciuitate præditi, odio inter se graui & simultate diutina confictati sunt. Postea populus eos simul censors fecit. Atque illi ubi voce præconis renuntiati sunt, ibidem in campo statim, nondum dimissa concione, vtrò vterque & pari voluntate coniuncti, complexique sunt; exque eo die, & in ipsa censura, & postea ingi concordia fidissimè amicissimèque vixerunt.

Valerius Maximus lib. 4. cap. 2.

13 Existimant viri illi amplissimi non oportere eos
priuatis

priuatis odiis dissidere, qui publicè summa iuncti essent potestate.

Idem eodem cap.

Liuius Salinator & si Neronis odio ardens in exilium profectus fuerat, testimonio eius præcipuè afflictus; tamen postquam eum inde reuocatum ciues collegam illi in consulatum dederunt, & ingenij sui, quod erat acerrimum, & iniuriæ, quam grauissimam acceperat, obliuisci sibi imperauit: ne si dissidente animo confortium imperij vsurpare voluisset, pertinacem exhibendo inimicum, malum consulem ageret; quod quidem plurimum salutis Romæ atque Italix attulit. exempla quidem clarissima Christianis magistratibus nunquam obliuiscenda.

Diuus Chrysof. super Ioan. homil. 77. & ad populum Antioch. homil. 51.

Nihil est concordix & mutux voluntati æquiparandum, vnus enim multiplex est. si enim concordessunt duo, vel decem, non amplius erit vnus, sed eorum vnusquisque fit decuplum; & inuenies in decem vnum, & in vno decem. singuli eorum viginti manus habent, & oculos viginti, & totidem pedes. Decem animis vnusquisque spirat: non enim ipse sibi tantum curæ est, sed & illis. Si verò sint & centum, idem erit similiter, & potentia produceretur: quòd si essent mille, idem contingeret, & virtus augeretur.

Idem diuus homil. 45. in Genesim.

Vbi concordia, ibi bonorum confluxus, ibi pax, ibi charitas, ibi spiritualis lætitia; est enim concordia bonorum omnium radix.

Paulus Æmylius lib. 3.

Concordia aureum est ac adamantinum vitæ vinculum,

culum; regina, heraque: omnia in pace, vita, festiuitate tenet: discordia vastitatem, solitudinem, orbitatem agris, oppidis, regnis affert.

Prudentius de concordia & discordia pugna.

- 18 Sciffura domestica turbat
Rem populi, titubatque foris quod dissidet intus.
Ergo cauete viri, ne sit sententia discors
Sensibus in vestris.

Procopius lib. 4. de bello Vandalico.

- 19 Quemadmodum amicitia multas est apta obtexere querelas, ita inimicitia ne minima sustinet errata, sed omnia superiora perscrutatur.

Xenophon de factis & dictis Socratis.

- 20 Concordia maximum esse ciuitatibus bonum videtur, sine concordia autem neque ciuitas bene gubernabitur, neque domus bene habitabitur.

Phocylides in poemate admonitorio.

- 21 Non staret cælum, scirent si iurgia diui.

Ex Aristotele lib. de mundo, cap. 6.

- 22 Extiterunt quidam sese admirari dicentes, qui fieri tandem posset, si è principiis contrariis mūdus consistit, vt iam diu non dissolutus fuerit atque interierit: perinde quasi mirari quisquam debeat, quonam pacto ciuitas incolumis perduret, quæ è gētib; contrariis composita sit: egenis, inquam, & diuitibus, iuuenibus & senio confectis, infirmis & valentibus, probis atque nocentibus; ignorantia est ista hominū in concordia ciuili non videntium longè admirabilissimum, quòd ex multis ipsa vnum efficit affectum.

Bonfinius lib. 13. rerum Ungaricarum.

- 23 Concordia humilia extollit, & illustrat obscura;
& non

& non modò rempublicam & regna conseruat, verum etiam amplificat, ac immortalitate donat.

Diuus Gregorius lib. 21. in Iob. cap. 16.

Nunquam seruari concordia, nisi per solam patientiam valet, crebrò namque in humana actione nascitur vnde mentes hominum vicissim à sua vnitate ac dilectione separentur; & nisi ad aduersa toleranda se animus præparet, proculdubio humerus corpori non inhæret. hinc etenim Paulus ait, Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.

Laurentius Vallens. lib. 1. Historiarum.

Inuidia nonnunquam magis ad nocendum valet, quàm vllus affectus, & odia conciliationem recipiunt, inuidia nullo pacto conciliari potest: & hoc peius nocere solet, quo magis ex occulto grassatur.

DE CLEMENTIA.

CAP. XVII.

Proverb. 11.

Clementia præparat vitam.

Cicero lib. 1. Officiorum.

Nihil est laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate & clementia.

Idem pro Ligario.

Nulla virtus nec gratior nec admirabilior misericordia est. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quàm salutem hominibus dando. nam vt alibi retuli, Sola deos æquat clementia nobis.

Seneca lib. 1. de Clementia.

Nullam ex omnibus virtutibus magis homini conuenire scimus, quàm clementiam, cum sit nulla humanior.

S 4

Idem

Idem lib. 2.

5 Clementia est lenitas in constituendis pœnis, siue inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigēda. Clementia liberum arbitrium habet, nec sub formula, sed sub æquo & bono iudicat: & absolueri illi licet, & quanti vult æstimare litem. & nihil ex his facit tanquam iusto minus fecerit, sed tanquam id quod constituit iustissimum sit: id est, non contra legem, sed intra metas rectæ rationis.

Sopater quadam in Epistola.

6 Gratia quæ iustitiam transgrediuntur, ne gratia quidem dici debere videntur. Amicas autem iustitiæ nemo reiecerit vltro, qui modò non ex quercu aut petra natus sit.

Idem in eadem.

7 Iudicia quidē quæ occupantur circa iustitiæ emendationem in contractibus, omnino non agnoscunt gratiarum genus; quæ autem circa delicta versantur, mansuetam & humanam gratiarū faciē non recusant.

Ammianus Marcellinus lib. 19.

8 Quærendæ sunt ignoscendī causæ, non puniendī occasionēs: quod iudicis considerati est proprium.

Antiphon apud Stobæum sermone de Magistratu.

9 Si peccandum sit, iniustè reum absolueri, quàm iniustè perdere melius fuerit. illud enim quidē peccatum est, hoc verò impietas.

Aristot. in Problem. partic. 29.

10 In dubiis causis ad eam partem vergere oportet, in qua si erratum sit peccetur leuius: grauius autem est innocentem damnare, quàm absolueri nocentem.

Ulpianus cap. 5. de pœnis.

11 Traianus Adsidio scripsit, satius esse impunitum relinqui

linqui facinus nocentis, quàm innocentē damnari.

Sopater epistola iam antè laudata.

Oportet moderatam iustitiæ castigationem inferre iis qui deliquerunt, ita vt parua quidem & vulgaria peccata dissimulentur (nec enim conducit & quælibet & omnia simpliciter punire, neque cognoscentem negligere) quæ verò iam ingrauescunt, his cura secundum leges adhibeatur.

Idem ibidem.

Desiderandum quidem est animam à vitis puram esse: interim tamen cogitabis homini congenitū esse peccare. quocirca qui punir homines tanquam impeccabiles, modum transgreditur rectæ & secundum naturam castigationis.

Nazianzenus in Iulianum oratione 2.

Magnum est neque ab initio peccare, aut saltē non in maximis delinquere: quoniam penitus à peccato liberum esse Deus supra humanā naturam ordinavit.

Cicero lib. 2. Officiorum.

Nihil quod crudele vtile, est enim hominum naturæ, quā sequi debemus, maximè inimica crudelitas.

Seneca lib. 2. de Clementia.

Crudelitas est inclinatio animi ad asperiora. 16

Lactantius lib. 5. cap. 19.

Non potest iustitia cum crudelitate coniungi. 17

Diuus Chrysof. in Matth. hom. 74.

Misericordia ad ignoscendum nos inducens, non permittit supra modum seueros in peccatores atque difficiles esse: sic enim misericordes effecti, dupliciter lucratur; partim quia etiam ipsi à creatore omnium misericordiam consequemur, partim quia mitiores facti, oppressis condolemus & opitulamur.

S 5 Sanctus

Sanctus Gregorius lib. 2. in Iob. cap. 8.

19 Miscenda est lenitas cum seueritate, faciendumque quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immoderatè sauiens: sit pietas, sed non plusquam expediat parcens.

Diuus Augustinus de tempore, serm. 203.

20 In iudice misericordia & disciplina debet esse, quia vna sine altera bene esse non poterit: misericordia sola si fuerit, securitatem faciet peccandi subiectis: iterum si disciplina semper aderit, vertitur. animus delinquentis in desperationem.

Ex Aegidio Romano lib. 3. parte 2. cap. 29.

21 Seueritas & clementia, æquitas & rigor non contradicunt iustitiæ. nam humani actus propter varias circumstantias non possunt vna regula metiri: & ideo lex, quæ nihil aliud quàm regula est, non debet esse ferrea & omnino inflexibilis, sed potius plumbea, ut Philosophus docet in Ethicis. igitur ex variis circumstantiis quæ lex definire non potuit, oportet nonnunquam recto arbitrio vel clementia vti vel seueritate; dùm modò semper id fiat non excedèdo metas iustitiæ.

Ex Olao Magno lib. 1. de gentibus Septentrionalibus, cap. vlt.

22 Apud vetustissimos Gothos apis regem significabat, quia moderatorem populorum oportet cum iustitiæ aculeo clementiæ mel habere commistum.

Lactantius lib. 6. cap. 14.

23 Seueritas nisi se intra congruentes nocèrium pœnas coërceat, fit saua crudelitas.

CREAN-

CREANDI SUNT MAGISTRATVS OFFICIIS APTI.

CAP. XVIII.

Plat. lib. 2. de Republica.

Nascimur quidem non admodum similes, sed differentes inuicem, singulosque ad singula opera proprios natura producit.

Architas.

Nec omne solum fert omnia, nec omnium hominum animi earundem virtutum capaces sunt.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 9.

Tria quædam adesse iis oportet, qui summis magistratibus præesse debent. Primum præsentis status reipublicæ charitas: deinde maxima facultas ad munera magistratus obeunda: id est, ut facultatem, ingenium, & vsum ad rem gerendam habeant: tum virtus, & iustitia, cuiusque reipublice rationi accommodata.

Isocrates in Areopagitico.

Nec promiscuè omnes ad sortitionem magistratum adinuerunt, sed meliores, & singulis muneribus obeundis aptissimos, adhibito iudicio, prætulerunt.

Plutarchus in Politicis.

Qui inexplebili quadam cupiditate gloriæ, & potentiae, vniuersam rem sibi arrogat, & commissam singulariter volunt; his plerunque præesse muneribus, atque admodum exhibere coguntur, ad quæ ipsi nec natura idonei, nec exercitatione, & vsum accommodati & apti sunt: ut Cleonem legimus ad copias ductandas haud aptum fuisse. Philopœmenem ad rei naualis imperium: ad concionandum Annibalem: quorum quidè errata nulla ratione excusari possunt. Ad quos Euripideum illud aptè accommodari potest:

test: cum esses faber lignarius, rem ipsam lignariam minimè exercebas: cum oratione ad persuadendum parum valeres, legationes inibas: cum in re familiari curanda inertia torperes, rempublicam gubernare volebas: calculandi, ratiocinandi que imperitissimus cum esses, quaestorem agebas: imbecillus & signis ductandi copias, & foris imperitandi studio flagrabas.

Homerus lib. 13. Iliados.

- 6 Sed mihi crede, vni non dat Deus omnia, verùm
 Dotibus hos illis, alios his dotibus auget:
 Nec ratione pari dispensat cuncta, vides ne
 Hunc belli præstare aliis virtute gerendi?
 Illum magno animo per aperta pericula ferri
 Indeuictum? alios veloci excellere cursu?
 Non nullos citharæ nervis, atque arte canendi
 Diuersis ita diuersas dat Iupiter arteis.
 At quos consiliis voluit superare ferendis
 Mortales alios, & sana mente valere;
 Hi sunt præcipuè, qui possunt esse saluti
 Urbibus & populis, rectè rebûsque gerendis.

Cassiodorus lib. 10. variarum.

- 7 Necessarium reipublicæ est personas dignitatibus aptas eligere, vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur. Alioqui inefficax est ab homine exigere, quod agnoscitur non habere: contra, confidenter quaeritur, quod inesse sentitur.

Diuus Gregorius in Ezechielem homilia 10.

- 8 Mira dispensatione omnipotès Deus sic in electis suis sua bona dispensat, vt & isti det, quod illi deneget; & alteri maius, quod alteri minus tribuit: quatenus dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse nõ habet.

habet; vel ille hunc maius accepisse considerat, quod sibi minus adesse pèsat: dona Dei alter in altero, id est, vicissim omnes admirentur: atque ex hac ipsa admiratione humilietur alter alteri: & què viderit habere quod nõ habet, eũ diuino iudicio sibi prælatũ putet.

DE VERBIS APOSTOLI,
 CONTEMPTIBILES QUI SVNT IN EC-
 CLESIA, CONSTITVITE AD IVDICAN-
 DVM. CAP. XIX.

Dixerit fortasse quispiam, cur tu in iudicibus tot ac tanta requiris, cum Apostolus dixerit, Contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum? 1. Corinth. 6.

Respondeo, Diuum Paulum ibidem planè velle, vt iudices sapientes sint; sed Corinthios reprehendès, quòd cum essent Christiani, coram iniquis & Ethnicis iudicibus lites agebant, suadet illis vt potius apud contemptibiles iudices Catholicos, si fortè sapientes non inueniantur, litigent; & potius iniuriam & fraudem patiantur, quàm apud Ethnicos iudicio contendant. atque ea quidem ex verbis ipsis Apostoli perspicuè patent, huiusmodi enim sunt.

Audet aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud factos? *Et mox:* Secularia igitur iudicia si habueritis, cõtemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite ad iudicandum: ad verecundiam vestram dico. sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles; quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?

Beatus

Beatus Augustinus lib. de opere Monachorum, cap. 29.

4 Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum iudicare? sapientes ergo fideles & sanctos talium negotiorum examinatores Apostolus esse voluit, à quibus nos excusare non possumus; etiam si contemptibiles simus; quia & hos collocari voluit, si sapientes defuissent, potius quam ut negotia Christianorum deferrentur in forum.

Sanctus Chrysost. in epist. i. ad Corinth. cap. 6.

5 Cōtemptibiles qui sunt in ecclesia, & cetera, quod autem dicit, huiusmodi est: Forsitan dicit quispiam neminem vestrum sapiētem esse, neminem sufficientem ad iudicandum, sed contemptibiles omnes: & quidnam hoc? quāvis enim nemo sit sapiens, inquit, minimis tamen iudicia permittatis: ad verecundiam vestram dico; reprehendentis est eorum obiectionē tanquam friuolam & inanem, quare addidit. Sic non est inter vos sapiens quisquam, tanta inquit inopia, tanta prudentium hominum inter vos raritas est.

Et paulo post: Turpissimum est ad Gentiles recurrere, quare, inquit, contemptibiles: non hoc, inquit, principaliter quod abiectos constitutere oporteat, sed eos tangit. quod enim potentibus iudicare permitti opus sit, his verbis significauit, Non est inter vos sapiens quisquam, & maiorem in modum silentium eis imponit, dicens: Quod si non esset inter vos sapiens quisquam, insipientibus permitti magis oporteret, ut iudicia audirent, quā gentilibus.

Et ibi Hieronymus.

6 De iudiciis secularibus possunt etiam illi qui minimi sunt in ecclesia iudicare. *Et mox:* Erubescere debetis, eo quod nemo sit inter vos tam sapiēs, qui no-

uerit

uerit causas inter fratres discernere, ut non necesse sit publicè litigare.

Theodoretus ibidem.

Secularia iudicia si habueritis, & cetera: qui est 7 inquit, omnium abiectissimis & ecclesie minimus, est præstantior iis qui apud illos intelligentes & docti existimantur. neque enim iubet eos iudicare qui sunt in ecclesia abiectissimi: & hoc significant ea quæ consequuntur, Ad verecundiam vestram dico: sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem suum? est vero grauissimum infideli iudice vri.

Et Theophylactus.

Cum id vnum præcipuè velleret Apostolus, ut à fo- 8 rensi iudicio prorsus illi abessent: occurreret aliquis (inquit) dicēque, ne vnum quidem in ecclesia esse qui sapiens sit, ac de huiusmodi causis cognoscere queat; sed etsi ita se res habuerit, ait, ut nemo sit in ecclesia sapiens, malim equidem vel abiectiores ecclesie iudices, quā infideles ipsos constituatis.

Et Oecumenius.

Etiam si inter vos fuerint infirmi & contempti fi- 9 deles, quique non possint iustum intelligere iudicium, melius tamen est hos sedere iudices, quando vobis necesse fuerit humana habere iudicia, quā vos ipsos incredulis tradere in iudicium, abiectos autem seu contemptos dixi (inquit) confundens vos ac pudefaciens; quoniam multi sunt qui possint causas & contentiones, quæ sunt inter vos, dissoluere:

Petrus Lombardus ex diuo Ambrosio.

Reprehendit Corinthios qui causas agebant apud infideles, & quod constituebant contemptibiles iudices

dices licet fideles, hoc redarguit in eis Apostolus ironicè eis loquens: & quia sic fieri non debet, adiecit, Ad verecundiam vestram dico, non est inter vos quisquam sic sapiens, qui possit iudicare inter vos, ita ut necesse sit stultos statuatis iudices; & hi tamen potius statuendi sunt, si desint sapientes, quàm ut ad infideles iudices eatur.

Sanctus Thomas.

11 Illos qui sunt cōtemptibiles in ecclesia, constituite ad iudicandū potius scilicet, quàm iudicemini apud infideles. deinde cum inquit, ad verecundiam vestram dico, exponit, quo sensu prædicta dixerit; posset enim aliquis credere quòd ad literam essent eligendi contemptibiles ad iudicandum: sed hoc excludit dicens, ad verecundiam vestram dico: quasi diceret, non hoc dixi, ut ita fiat, sed ut vos faciam verecundari, contemptibiles enim essent eligendi, si non inuenirentur inter vos sapientes, quod esset vobis verecundum.

Et post pauca.

12 Vel aliter: Dixerat quòd sancti idonei sunt ad iudicandum secularia, & ideo vult ostendere per quos iudicia secularia debeant exerceri, scilicet per contemptibiles qui sunt in ecclesia: vocat autem contemptibiles illos qui sunt sapientes in rebus mundanis per comparationem ad illos qui sunt sapientes in rebus diuinis, quibus est reuerentia exhibenda, qui in rebus temporalibus non occupantur, ut solis spiritualibus vacent. prima tamen expositio videtur esse magis literalis. hæc ille. tum illud addo, quòd prior interpretatio ab omnibus approbatur:

batur: & hæc posterior non omnino literæ congruere, ac verbo, contemptibiles, abuti videtur.

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

Quis non videt legum optimarum disciplina, iuris sanctissimo cultu, iudiciorum integritate & constantia, reip. salutem, dignitatem, imperium, amplitudinem, præsidium & stabilimentum contineri? atqui harum omnium rerum tam sacrarum iudices, custodes atque ministri sunt: meritò (quemadmodum ait iureconsultus) sacerdotes quidam sanctissimi appellari possunt: in sanctis autem literis iudices Dij appellantur. quemadmodum enim munus diuinum gerunt, ita voluit summus ille iudex ut diuinum nomen obtinerent, ut omnibus modis admoneri possint, cum iudicant, diuinam ab illis æquitatē & constantiam iure atque meritò flagitari.

T D E

DE REPUBLICA
LIBER VI.

DE IMPROBIS MAGISTRATIBVS. CAP. I.

Ecclesiastici 10.

1 **I**NITIVM omnis peccati est superbia, qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subuertet eum in finem.

Eodem cap.

2 Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

Isocrates ad Demonicum.

3 Imperiū gerens, nullius mali opera ad gubernandum vitior: illius enim peccatorum causæ in te referentur.

Iamblicus in exhortatione ad Philosophiam.

4 Perinde periculosum est, insipienti gladium, ac improbo viro magistratum committere.

Theognides in sententiis Elegiacis.

5 Verisimile est, malū virū malè iura administrare.

Polydorus

6 Improbi ad honores promoti, quo fuerint indigniores, hoc & negligentiores fiunt, impudentiāq; magis, & audacia pleni.

Euripides in Erichtheo.

7 Improbos in ciuitate nunquam promoueris. Mali enim, vel pecuniis ditati, Vel aliquo reipublicæ magistratu aucti, Exultant repente fortunatis ipsorū domibus factis.

8 Quantum probi magistratus ciuitatibus prosunt, tantumdem reipublicæ improbi nocere possunt. Itaq; vitia

vitia omnia vitare debent magistratus, vt rectè suum officium faciant. *Ecclesiastici 32.*

Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis 9 quali vnus ex ipsis.

Beatus Gregorius lib. 24. in Iob cap. 14.

Vnusquisque superbus rector toties ad apostasiæ 10 culpam dilabitur, quoties hominibus præellè delectatus, honoris sui singularitate lætatur.

In primis autem fugienda est à magistratibus 11 superbia, cui semper cōiuncta sunt insolentia, arrogantia, iactantia, contemptus, & alia vitia Deo & hominibus odiosa & inuisa.

Claudianus lib. 12.

Inquinat egregios adiuncta superbia mores. 12

Idem lib. 6.

Quin ipsa superbia longè 13
Discellit, vitium rebus solempne secundis,
Virtutumque ingrata comes.

Eusebius Emisenus homilia de Machabeis.

Vitæ superborum plenæ sunt offendiculis, plenæ 14 præruptissimis præcipitiis; quia vbi est superbia, ibi est & indignitas, ibi animositas, ibi labor, ibi tribulatio: vt iam ei etiam ante iudicij diem iusta damnatio retribuatur, & improbæ quæque mentes in semetipsis habeant pœnam suam.

Diuus Gregorius epist. 91. lib. 7.

Sunt bona, quæ in eo placeant, sed hoc est in illo 15 vehemens vitium, quia valde sibi esse sapiēs videtur. ex qua radice quāti rami peccati valeant prodire, parenter agnoscitur.

Leo Magnus ser. 4. de Quadragesima.

Vicinum est rectis actionibus superbiæ malū, & 16

de proximo semper virtutibus insidiatur elatio: quia difficile est, ut laudabiliter viventem laus non capiat humana, nisi qui gloriatur, in Domino gloriatur.

Idem Leo epistola 90.

- 17 Declinata superbia, cui proximum est ut decidat, ametur humilitas, cui semper debetur ut crescat.

NE SINT AVARI MAGISTRATVS. CAP. II.

Exodi 18.

- 1 Prouide viros sapientes, & qui oderint auaritiam, ut iudicent populum omni tempore.

Ecclesiastici 10.

- 2 Auaro nihil est scelestius.

Phocylides in poemate admonitorio.

- 3 Mater auaritia est cunctorum, & causa malorum. Decipit argentum mortales semper & aurum. Aurum pernicies rerum mala cuncta gubernans. O vtinam nulli studio mortalibus esses! Nam pugnae, & caedes propter te, suntque rapinae; Fratibus inuisi fratres, natisque parentes.

Cicero 2. Officior.

- 4 Caput est in omni procuracione negotij, & muneris publici, ut auaritia pellatur etiam minima suspicio: nec enim vllum tetrius vitium, quam auaritia, praesertim in principibus, & rempublicam gubernantibus. habere enim quaestui rempublicam, non modo turpe est, sed sceleratum etiam, & nefarium.

Diuus Augustinus de verbis Domini sermone 19.

- 5 Militare non est delictum, sed propter quaestum militare peccatum est: nec rempublicam gerere criminofum est, sed ideo gerere remp. ut rem familiare

potius

potius augeas, videtur esse damnabile. 23. q. 1.

Idem sanctus ad Fratres in eremo sermone 35.

Decetiudices cum Dei adiutorio calcare superbia, 6 detestari luxuriam, despiciere auaritiam, quae nouerca est, & inimica iustitiae.

Idem diuus ibidem sermone 25.

Nihil intulimus in hunc mundum, dicit Apostolus, sed nec quicquam auferre possumus: nihil nobiscum tollimus, aut rapimus: quod si aliquid tolleremus, nonne viuos homines voraremus? quae est ista auaritia concupiscentiae, cum ipsae belluae habeant modum! tunc enim rapiunt, quando esuriunt, parcunt vero praedae cum senserint satietatem: inexplebilis est sola auaritia diuitum, semper rapit, & nunquam satiatur; nec Deum timet, nec hominem reueretur.

Ferius in Ecclesiastem cap. 10.

Probi magistratus, consiliarij, & officiales, non praefertunt suum ventrem negotiis regni, non quaerunt quae sua sunt: sicque accipiunt stipendium suum, fruunturque principis largitione, ut se & familiam sustentent, non ut colligant infinitos thesauros: stipendium accipere pro officio licet, sed non id tantum agendum, quemadmodum plerique faciunt. auaritia enim regnat in aula: & ipsi proceres nihil nisi auaritia sunt, omnia corradunt, &c.

Demosthenes aduersus Aristocratem.

Non est, non est, Athenienses, apud istos, quorum 9 omnia studia, cogitationes omnes ad auaritiam referuntur, quicquam vel firmi vel sancti.

Diuus Hieronymus in Iob cap. 36.

Optimus iudex est, qui his pessimis, iracundia & 10 cupiditate non mouetur.

Ex lib. Legis Boioariorum tit. 3.

- 11 Iudex talis ordinetur, qui veritatem secundum hoc dictum iudicet: non sit personarum acceptor, neque cupidus pecuniæ: perit lex cupiditatis amore: præmia & dona legibus vires tulerunt: impunita manet malè viuendi licentia. Propterea talis cõstituat iudex, qui plus diligit iustitiam, quàm pecuniam.

Iustinianus Nouella const. 8.

- 12 Prouinciarum moderatores si lucro & prædæ intenti sint, multos reos fontes, accepta pro delicto pecunia, absoluunt: multos rursus infontes, vt fontibus gratiam faciant, condemnant. In summa hæc est omnium malorum causa; & pecunias ex officiis conquirere, omnium flagitiorum principium est, & finis. Et profectò quod sacra docent eloquia, admiratione dignum simul & verissimum est, auaritiam omnium malorum matrem existere, & maximè cum in animis non priuatorum, sed magistratuum innascatur.

Leo Magnus de passione Domini sermone 9.

- 13 Nullum est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.
- 14 Memoria traditum est, magistratuum statuas à Thebanis ita solere formari, vt sine manibus essent, principum verò clausis oculis: nimirum eam iustitiæ naturam esse ostendentes, vt incorrupta sit, nec pretio, precibusue, aut alienæ vlli voluptati cedat.

Horatius Satyra 2. lib. 2.

- 15 Dicam si potero, malè verum examinat omnis Corruptus iudex.

Herodianus lib. 2.

- 16 Pertinax vir erat grauis, & pauper: siquidem id quoque illius laudibus accedebat, quòd cù plurima omnium

omnium administrasset, tamen erat omnium pauperimus.

Chrysof. sermone de malis à nobis auertendis.

Omnis improbitatis, & nequitiae fundamentum ipsa est habendi libido: ex ea namque cædes, furta, & sacrilegia emanant: ob eam non solum vrbes & oppida, sed & viæ ipsæ, & orbis denique vniuersus desolantur.

Idem diuus ex variis in Matth. locis, hom. 81.

Vbi que certè auarus inutilis est, nec ad imperandum exercitui, nec vt præsit populo commodus: cur dico in rebus publicis, cù in priuatis etiã inutilis sit?

Si auarus à cæteris vitiis abstinere videatur, id illi non est ad virtutem imputandum; nec enim hoc facit virtutis amore, sed quia vitia ferè reliqua omnia expensis indigent: ille verò maiori contrariòque vitio tenetur, quam sententiam cuius meus Auerrøes in libros Platonis de republica, tractatu tertio cõfirmat, inquit: auari abstinencia ex virtute non proficiunt: quidquid enim ex cupiditate diminuit, in aliã cupiditatem transmittet, quã maximè velut præstantiorè persequitur: vt est amor pecuniæ & auaritiæ.

Liutprandus lib. 5. Historiarum cap. 12.

Auari etiam si copiosi, non diuites, sed pauperes & inopes existimandi sunt. soli enim sunt diuites, qui suis rebus cõtenti satis esse putant, quod est; non esse cupidum, vera pecunia est; non esse emacem, vectigal est: contentum denique suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ.

Ioannes Curopalates in historia.

10 Consecutus imperium Basilius, primum ad magistratus gerendos eos deligebat, qui se muneribus minimè corrumpi sinerent; quique ab omnibidine manus puras & continentes habere, omnium ore probarentur.

Diuus Gregorius in Euangelia, hom. 4.

11 Hi gratis non dant qui de impenso officio nūmum expetunt laudis aut fauoris. vnde bene Propheta inquit: Qui excutit manus suas ab omni munere: quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. munus quippe ab obsequio est subiectio indebitè impensa, munus à manu pecunia est, munus à lingua fauor.

Sanctus Hieronymus in Psalm. 25.

12 Est munus à lingua, & est munus à manu, & est munus ab obsequio. à lingua laus, hoc est fauor humanus: à manu, à rebus terrenis: ab obsequio seruitium indebitè impensum. sed melius est quod ait Propheta: Qui excutit manus ab omni munere, iste in excelsis habitat.

AMPLIUS DE MVNERIBVS.

CAP. IIII.

Exodi 23.

1 Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum: & quanto magis excæcabunt imprudentes, & subuertent verba iniustorum? *Herodotus lib. 5.*

2 Sisannem Otanis patrem, vnum è regis iudicibus, quod iniuste ob pecuniam iudicasset, rex Cambyses interemerat, intereptoque detractum corium in lora

in lora conscidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicaret, intendit: ibidemque eius filium Otanem sedere iudicem precepit, atque in memoria habere in quo loco iudicaret. *Idem lib. 7.*

Thaumasius Darius ob hanc causam captus cruce affecerat, quod cum è regis iudicibus esset, iniquam sententiam ob pecuniam tulerat.

Caius Pontius Samnis grauissimè dixisse fertur: 4 Utinam ad illa tempora fortuna me seruasset, & tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœpissent, non essem passus diutiùs eos imperare.

Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum.

Antimachus dixit, ex donis hominum generi mala plurima fiunt: & Auxias, Namq; hominum mentes cum factis munera fallūt.

Eusebius Emisenus hom. 4. de Epiphania.

Argento & auro appetitur veritas, expugnatur integritas, iustitia vincitur, innocentia proditur, pietas fidesque violatur: ac de rebus ad presentia subsidia concessis, detrimento vitæ æternæ nequitia mortalis operatur.

Ex epist. Seneca 98. & ex alia Ciceronis epistola.

In Clodiana causa dati iudicibus nummi sunt, & 7 absolutus Clodius, qui reus erat ob id adulterium, quod cum Casaris vxore in aperto commiserat. Hi iudices à senatu petierāt præsidium, quod non erat nisi damnaturis necessariū; & impetrauerant. itaq; eleganter illis Catulus absoluto reo, quid vos, inquit, à nobis præsidium postulabatis? an, ne nummi à vobis eriperentur, timebatis?

Spartianus in Pescennio.

Pescennius niger addidit salaria consiliariis, ne eos

eos grauaurent, quibus affidebant, dicens, iudicem nec dare debere nec accipere.

Iustinianus constitutione 8.

9 Absurdum quidem fuerit, si in leuibus furtis deprehensos iudices ipsi coerceant, tormentisq; subiciant, nec prius veniam dent, quam res ablatas restituerint: ipsi verò maximorum furtorum rei, absque causæ dictione, noxa soluantur; neque exempli eos pudeat, quod subiectis in hoc exhibent.

Diuus August. de verbis Domini sermone 19. & ante illum sanct. Ambro. serm. 7.

10 Explicans verba illa Ioānis, Neminem cōcutiatis, neque calumniam faciatis, sed contenti estote stipendiis vestris, inquit: Hic iam cognoscere se debet omnis homo, qui militat, non enim tantum de his militantibus scriptura loquitur, qui armata militia detinentur; sed quisque militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur: atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratia militibus protectoribus, cunctisque rectoribus, quicumque stipendia sibi publicè decreta consequitur, si amplius quærit, tanquam calumniator, & concussor Ioannis sententia cōdemnatur. vsque adeò autem hoc inoleuit malum, vt iam quasi ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, & nulla iam causa possit esse sine causa.

Cassiodorus lib. 9. variarum.

11 Nescio quo pacto rara est in hominibus manus clausa, & aperta iustitia.

Platina de vitis Pontificum.

12 Innocentius sextus, iuris vtriusq; consultissimus, vir integerrimæ vitæ, sacri palatij auditoribus salaria instituit,

instituit, ne muneribus corrumpi ob inopiã possent: dicebat enim, famelicos nō facilè etiã ab alieno cibo abstinere, si sit oblata quouis modo edendi facultas.

Arnobius lib. 7. aduersus Gentes.

Crescit multitudo peccantiũ, cum redimendi spes datur: & facilè itur ad culpas, vbi est venalis ignorantium gratia.

Et post aliqua.

Vbi venalis & mercenarius dator est, ibi necesse est gratiam pro magnitudine muneris tribui, & eò inclinare suffragium, vnde ad eum qui præstat, mercedis plus multo & indecore corruptionis affluxerit.

IUDICES NE AFFECTIBVS SERVIANT. CAP. V.

Affectus, quos vulgò Passiones vocant, Cicero Affectiones appellat libro primo de Inuentione, dicens eas esse animi ex tempore aliqua de causa commutationes.

Seneca epistola 60. inquit,

Affectus esse motus animi improbabilis, subitò & concitatos: denique sunt affectus animi perturbationes, qui rem consilio & cogitatione videre non sinunt.

Rodolphus Agricola lib. 3. de Inuentione, cap. 1.

Affectus autem mihi non aliud videtur esse quam impetus quidam animi, quo ad appetendum auersandumve aliquid vehementiùs, quam pro quieto statu mentis impellimur.

Hi affectus sunt ira, cupiditas, metus, amor, dolor, timor, aliæque animi perturbationes, quæ, vt ille ait, sæpe solent hominum rectos pervertere sensus.

Beatus

Beatus August. in Ioan. tractatu 46.

5 Affectiones nostræ motus animorum sunt, lætitia animi diffusio, tristitia animi contractio, cupiditas animi progressio, timor animi fuga est: diffunderis enim animo cum delectaris, contraheris animo cum molestaris, progredieris animo cum appetis, fugis animo cum metuis.

Lactantius lib. 6. cap. 17.

6 Affectus non euellendi, ut Stoici; neque temperandi, ut Peripaterici volunt; sed in veram viam dirigendi sunt.

Et cap. 19.

7 Tres sunt affectus qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido. propterea poëta tres furias esse dixerunt, quæ mentes hominû exagitant: ira ultionem desiderat, cupiditas opes, libido voluptates; sed his omnibus Deus certos limites statuit, quos si transcenderint, maiorésque esse cœperint, necesse est naturam suam depræuent, & in morbos ac vitia vertantur.

Diuus Prosper lib. 3. de vita contemplatiua, cap. 31.

8 Non has affectiones habendo, sed eis malè vtendo delinquimus: & motus hi qui in hominibus affectiones sunt, iidem ipsi in bene vtentibus virtutes, & in malè vtentibus passiones siue perturbationes, aut, ut quidam volunt, ægriitudines fiunt.

Et post multa.

Omnes iusti & tota morum sanctitate perfecti, sine aliqua Stoicorum superflua distinctione timent & cauent, volunt & cupiunt, lætantur & gaudent, contristantur & dolent. sed interest multum, quid timeant aut caueant, velint aut cupiant, vnde lætentur

tur aut gaudeant, contristantur aut doleant.

Aristoteles lib. 2. Rhetor. cap. 1.

Affectus sunt quibus homines commoti differenter iudicant: Non enim eadem iudiciis videntur cum diligunt & cum oderint, nec iratis & quietis, sed vel omnia diuersa, vel magnitudine diuersa. Nam reus aut nullam aut paruam fecisse iniuriam amanti videtur: contra verò ei qui oderit; cupienti autem sperantique, si quod dicitur futurum iucundum sit, & fore, & bonum fore videtur: contra verò ei videtur qui aspernatur atque desperat.

Seneca lib. 3. de beneficiis.

Omnia maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex aut ad hæc aut ad illa inclinatus animo.

Philo lib. de Iudice.

Sacræ leges cum ab omnibus exigunt sinceritatem, & animum tranquillum, nullis obnoxium perturbationibus, tum præcipuè ab his, quibus iudicandi potestas aut per electionem aut sorte obuenit: absurdum enim sit eos in culpa hæere, qui iura præscribunt aliis, quandoquidem ab his potissimum exemplum vitæ petendum est.

Quintilianus lib. 6. cap. 3.

Probationes efficiunt sanè ut causam nostram meliorem esse iudices putent; affectus præstant ut etiam velint, sed id quia volunt, credunt quoque. Nam cum irasci, fauere, odisse, misereri cœperunt, agi iam suam rem existimant. Et sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor: ita omnem inquirendæ veritatis rationem iudex amittit, occupatus affectibus, æstu fertur, & velut rapido flumini obsequitur.

Diuus

Diuus Prosper epigrammate de cohibenda ira.

- 12 Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos,
Quòdq; volunt homines, se bene velle putant.

Diuus Gregorius epistola 41. lib. 3.

- 13 Apud nolentis animum, quamuis sit euidentis ratio, hæc ipsa obstaculum esse solet.

Ferus in Ecclesiasten cap. 9.

- 14 Quantumcunque sapienter consulas, nihil tamen efficies apud eos quorum corda excæcata sunt suis affectibus: sicut enim perturbata aqua non est perspicua, sed si vis videre fundû, oportet vt aqua resideat; sic omnes qui conceperint aliquid animo, sunt imper-suasibiles, nisi resederit illa conceptio qua tenentur capti tanquam fascino.

Boëtius lib. 1. metro 7.

- 15 Tu quoque si vis Pelle timorem,
Lumine claro Spémque fugato,
Cernere verum, Nec dolor adsit.
Tramite recto Nubila mens est,
Carpere callem; Vinctâque frenis,
Gaudia pelle, Hæc vbi regnant.

Sallustius in coniuratione Catilinæ.

- 16 Omnes homines qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet: haud facilè animus verum prouidet, vbi illa officiunt.

Diuus Ambrosius in Psalm. 118. sermone 20.

- 17 Iudicet ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducatur.

Isidorus lib. 3. cap. 58.

- 18 Quatuor modis peruertitur humanum iudicium, timore, cupiditate, odio, & amore: timore, dum metu

metu alicuius veritatem loqui pauescimus: cupiditate, dum præmio aut munere corrumpimur: odio, dum cõtra quemlibet aduersa molimur: amore, dum amico, vel propinquis complacere contendimus. his enim quatuor causis sæpe æquitas violatur, sæpe innocentia læditur.

Zonaras annalium cap. vlt.

Orationem quæ nobis cordi est, facilè comprobare solemus.

Diuus Clemens lib. 2. recognitionum.

Solet frequenter accidere, vt qui veritatem defendit, non semper obtineat: dum aut in aliquo præueniunt auditores, aut non grandem curam melioris sententiæ gerunt.

Iamblicus.

Omnino immoderata affectuum vis ne homines quidem sinit esse homines, sed ad rationis expertem beluinam & incompositam naturam eos trahit.

Hierocles in versibus Pythagoræ.

Certè mala omnia ab ipsis perturbatis animi potentis nascuntur, si ipsius animi ratio ipsas non dirigat. hinc enim totius iniquitatis genera oriuntur.

Sanctus Hieronymus in Ioëlem, cap. 1.

Quatuor esse perturbaciones, quibus animarum sanitas subuertatur, omnes Philosophorum scholæ conclamant. duæ præsentis, sibi que contrariæ, duæ futuræ mutuò dissidentes.

Idem paulò post.

Iusti & fortis viri est, nec aduersis frangi, nec prosperis subleuari, sed in vtroque esse moderatum.

Ecclesiastes cap. 7.

1 Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti
requiescit.

Proverb. 27.

2 Ira non habet misericordiam.

Chrysof. lib. 3. de Sacerdotio.

3 Nihil sic ingenij perspicuitatem, nihil sic mentis
aciem hebetat, vt ira nullum ordinem seruās, ab ani-
mi impotētis impetu nata: ira enim, inquit ille, etiam
prudentes perdit.

Ex Seneca, libro de Ira.

4 Ira ex affectibus omnibus maximè reterāe rabi-
dus est; cuius comites sunt rabies, sequitia, crudeli-
tas, furor.

5 Est ira turbidus animi motus, inimicus rationis,
mentisque tranquillæ. Ira sibi indulget, & ex libidi-
ne iudicat, & audire non vult, & patrocínio non re-
linquit locum, & iudicium eripit: sæpè infesta patro-
no, reum damnat: etiam si ingeritur oculis veritas,
amat & tuetur errorem: coargui non vult, & in malè
cōceptis honestior illi pertinacia videtur, quàm pæ-
nitentia. Itaque magistratum ira excutiendæ veri-
tati plurimum obstat, & subiectos omnes vehemen-
ter exasperat.

Cicero lib. 1. Officior.

6 Qui reipublicæ præiunt, legum similes sint, quæ ad
puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.

Diuus Gregorius epist. 126. lib. 7.

7 Curandum est ne ira surrepat. ira quippe etiã cum
delinquentium culpas exequitur, non debet menti
quasi

quasi domina præire, sed post rationis tergum velut
ancilla famulari, vt ad faciem iussa veniat.

Idem diuus epistola 51. lib. 8.

Ira in vindicta malorum sequi debet rationem ani-
mi, non præire; vt quasi ancilla iustitiæ post tergum
veniat, & non lasciuia ante faciem prorumpat.

Thucydides lib. 3.

Statuo duo præcipuè contraria esse ad bene con-
sulendum, celeritatem & iram: quorum alterum in-
scitè fieri amat, alterum temerè ac parum cōsideratè.

Plutarchus problemate 82.

Quid est quòd prætorum virgæ securibus alligatæ
preferuntur? an signum est non oportere magistra-
tus iracundiam promptam ac dissolutam esse? an vir-
garum dissolutio, mora, & tarditate iram frangit,
moderatur?

Maximum remedium iræ dilatio est, vt primus
eius feruor (vt Seneca inquit) & caligo, quæ premit
mentem, aut resideat, aut minus densa sit. Nam, vt
canit Ouidius,

Vt fragilis glacies, interit ira mora.

Quod cum non ignoret beatus Ambrosius, iram
Theodosij nostri dilatione triginta dierum compe-
scuit, lata lege saluberrima, quæ etiamnum in Codi-
ce Iustiniani extat.

Seneca lib. 2. de Ira.

Potest pœna dilata exigi, nõ potest exacta reuocari.
Nulla vnquam de morte hominis cūctatio longa est.

Plutarchus in Apoph. Laconicū.

Quodam percontante, quare capitales causas plu-
ribus diebus seniores audiunt, respondit Anaxan-
drides: pluribus diebus iudicant, quia de morte qui

errauerint, ij consilium mutare non possunt.

*Ioan. Chrysof. ad populum Anti-homil. 29.
& hom de. mansuetudine.*

15 Vir iracundus insuavis est omnibus, & communis hostis ciuium, & peregrinorum; & qui facile irascitur, diaboli ludibrium est, dæmonum officina, & nequitia illius dignus minister.

Idem diuus in Matth. operis imperfecti homil. 11.

16 Qui cum causa irascitur, non erit reus iudicio. Nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur. iusta ergo ira mater est disciplinae. Itaq; non solum non peccant qui cum causa irascuntur, sed e contrario nisi irati fuerint, peccant: quia patientia irrationabilis vitia seminat, & negligentiam nutrit; iracundia, quæ cum causa est, non iracundia, sed iudicium; iracundia enim proprie intelligitur commotio passionis; qui autem cum causa irascitur, ira illius iam non ex passione est, sed ex causa: ideo iudicare dicitur, non irasci.

Lactantius lib. de Ira Dei cap. 17.

17 Ira, quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimmi debet, nec Deo potest; quia & vtilis est rebus humanis, & necessaria. & capite 23. Aufer iram regi, non modò nemo parebit, sed etiam de fastigio præcipitabitur; imò verò cuilibet humili eripe hunc affectum: quis eum non spoliabit? quis non deridebit? quis non afficiet iniuria?

Isidorus lib. 3. cap. 56.

18 Quidam dum iudicare incipiunt, irascuntur, ipsamque iudicij sententiam in insaniam vertunt: de quibus rectè per Prophetam dicitur: Qui còuertunt in

in furore iudicium. Iracundus iudex iudicij examen plenè considerate non valet, quia caligine furoris non videt.

Aristoteles lib. 4. Eth. cap. 6.

Qui non irascitur pro quibus oportet, & ut oportet, & cum oportet, & in quos oportet; is proculdubio fatuus & stupidus est.

Sanctus Chrysof. in Psalm. 131.

Despicere eos, quibus fit iniuria, non dolere vicem eorum, qui iniuria afficiuntur, nec iis irasci, qui probris & contumeliis afficiunt, non est virtutis, sed vitij; non est mansuetudinis, sed ignauia.

Basilii Magni concione contra irascentes.

Ira quando oportet, & ut oportet mota, fortitudinem facit, & tolerantiam, ac abstinentiam; vbi verò præter rectam rationem egerit, insania euadit.

Idem diuus in cap. 1 epistole ad Galatas.

Quibuslibet de causis irritari, hominis est pusillanimitas, merosi, miserique: quemadmodum ex aduerso in grauibus causis supinum ac negligentem esse, viti est inertis, ac somniculosi.

Damasceus lib. 2. Orthodoxa fidei cap. 16.

Iracundia verò ira est, recordatione scilicet mali. est autè ira satelles cogitationis, concupiscentiæ vindex.

Cohibenda est iracundia freno rectæ rationis, & ita irascendum, ut peccare nolimus.

Plato in Philebo.

Vir prudens nonnunquam irascitur, eo tamen pacto, ut eius affectus dulcior sit melle iugiter distillate.

Stephanus lib. Sententiarum.

Plato iracundos ad disciplinas ediscendas idoneos, ad regendam rempublicam prorsus inuitiles esse dixit.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 10.

1 Iram partem esse odij statuendum est, nam quodā modo actionum earundem causa fit.

Idem lib. 2. Rhet. cap. 4.

2 Ira tempore sanabilis est, odiū non item: qui irascitur, multis modis miserebitur; qui odit, nullo pacto.

Cicero lib. 4. Tuscul.

3 Odium est ira inueterata.

Sanctus August. de verbis Domini sermone 16.

4 Alendo iram perducis ad odium, multum autem interest inter peccatum irascentis & crudelitatem odio habentis: usque ad eum non omnis qui irascitur, odit, ut aliquando magis odisse convincatur qui non irascitur.

5 Ex quibus omnibus, aliisque multis perspicuum est, odium non minus, quam iram à magistratibus esse vitandum.

Plutarchus lib. de Officio auditoris.

6 Æqui iudicis est, nihil in odium alicuius audire, vel in gratiam, sed sincerè ad ius reddendum in causa omnia expendere.

Gregorius Theologus in Apologia de fuga.

7 Ab odio & benevolentia veritas ipsa ut plurimum subripi solet.

Saxo lib. 11. historia Danica.

8 Ut gratiæ in odium deflexus facilis, ira odij ad gratiam difficilis esse transitus consuevit; raroque animus, quem semel grauer fastidiuit, sinceræ fidei stipediis excolit; aut cum quo vehementes primùm inimicitias gessit, affectuosè postmodum in gratiam redit.

N E

Fugiendus quoque est improbus amor, qui plurimos magistratus, & Appium Claudium decemvirum perdidit, ut prolixè Dionysius Halicarnassensis memorat lib 11. Antiquitatum Romanarum.

Pausanias lib. 1.

Multæ & magnæ solent ex amore hominibus existere calamitates.

Idem Pausanias lib. 7.

Eam vim Selemnnum amnem habere creditum est, ut qui viri quæve feminae se in eo abluerint, amorum tuorum obliuiscantur: quod nisi commentum esset, quantumvis pecunia videri posset ea solennis aqua pretiosior.

Ecclesiastici 19.

Vinum & mulieres apostatate faciunt sapientes: & quanto magis insipientes.

Cicero lib. 4. Tuscul.

Omnibus ex animi perturbationibus nulla profectò vehementior est, quam amor.

Plutarchus lib. de discrimine adulatoris & amici.

Quisquis amat, hallucinatur ac cecurrit in eo quod amat.

Valerius Maximus lib. 4. cap. 3.

Ij demum penates, ea ciuitas, id regnum, æterno in gradu facillè steterit, ubi minimum virium veneris pecuniæque cupido sibi vendicauerit. nam quò iste generis humani certissimæ pestes penetrauerint, iniuria dominatur, infamia flagrat.

Diuus Ambrosius lib. de Cain & Abel, cap. 5.

Sæuus criminum stimulus libido est, quæ nunquàm

V 4 manere

manere quietum patitur affectum : nocte feruet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, castis infidiatur, potiundo inflamat, vsuque accenditur; nullus peccandi modus, & inexplibilis scelerum, nisi morte amantis extingui non potest.

Diuus Hieronymus lib. 1. aduersus Iovinianum.

- 9 Amor non consilio, sed furore ducitur: turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit: à magnis cogitationibus ad humillimas trahit: querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos, omnibus inutiles facit.

Idem diuus sermone de Assumptione.

- 10 Ignorat amor iudicium, ratione sæpenumero caret: modum nescit; nec aliud cogitare potest, quam quod diligit.

Cicero lib. 1. Officior. & Plutarchus in Pericle.

- 11 Pericles cum haberet collegam in prætura Sophoclem poetam, hique de communi officio conuenissent, & casu formosus puer præteriret, dixissetque Sophocles, ô puerum pulchrum, Pericle; ait, At enim prætorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere.

Beatus Augustinus lib. de Honestate mulierum.

- 12 Inter omnia Christianorum certamina, sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana pugna, & rara victoria.

Ioseph. Hierosolymitanus.

- 13 Ne multiplices colloquium cum tua vxore, ac multo minus cum vxore proximi tui. hinc est quod Sapientes

pientes dixerunt, Omni tempore, quo homo multiplicat colloquium cum muliere, accersit malum sibi metipsum, & impeditur à bono, & tandem descendit in gehenam; libido quidem colloquio mulierum accenditur, & inflammatur: vrit enim videndo femina, & blanditiæ illarum sunt merus viscus.

Ferus in Ecclesiastem cap. 7.

Inueni amariorem morte mulierem. hæc verba secundum literam intelligi possunt de illis mulieribus, quæ relicto officio suo imperium sibi sumunt, nec sinunt viros præstare quod volunt: imo præscribunt viris etiam ea, quæ ad regimen rerum publicarum pertinent; denique & sæpe efficiunt, ut viri in gratiam earum contra iustitiam faciant. tales fuerunt Dalila, Iezabel, Herodias, & aliæ. ab huiusmodi præmonet Salomon omnes rectores: alioqui si semel se illis dederint, omnia pessimum eunt.

Leo Magnus sermone 5. de ieiunio septimi mensis.

Affectus quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur, quia necesse est, ut bonis actibus conscientia delectetur, & libenter faciat quod fecisse se gaudeat.

Sanctus Hieronymus in Ioëlem cap. 1.

Nulla res ita inebriat ut animi perturbatio, & maxime amor, qui excecat cordis oculos; & nihil aliud amantem, nisi id quod amat, cogitare permittit. an non est dicenda ebrietas, cum propter vile scortum, & ignominiosam corporis partem animæ libertas in seruales blanditias inclinatur?

- 1 Qui formidolosus & timidus est, reuertatur,
Apocalypsis 21.
- 2 Timidis & incredulis, & cetera, pars illorum erit
in stagno ardentis igne & sulphure, quod est mors
secunda.
Arist. lib. 2. Rhetor. cap. 5.
- 3 Timor est ex imaginatione futuri mali perturba-
tio quaedam, aut dolor.
Idem lib. de Somno & Vigilia, cap. 2.
- 4 Timentes facile circa sensum decipi solent.
Diuus Hilarius in Psal. 127.
- 5 Timor est humanae imbecillitatis trepidatio, me-
tuens id perpeti, quod sibi nolit accidere. existit au-
tem, & commouetur in nobis de reatus conscientia,
de iure potioris, de impetu fortioris, de aegritudinis
casu, de feræ occurfu, & de omnis mali passione.
Xenophon lib. 3. de Pedia Cyri.
- 6 Metus rerum omnium horribilium maximè ani-
mos perterret.
- 7 Ex quibus liquidò perspici potest, minimè decere,
vt sint magistratus timidi.
Plato lib. 9. de Legibus.
- 8 Qui principatum ad hominis arbitrium redigit,
cique leges subigit, atque ita ciuitatē subiicit factio-
nibus, hic vniuersæ ciuitati hostis est maximus om-
nium iudicandus. Secundus ille hostis est, qui quāuis
particeps huius sceleris non sit, tamen cum amplissi-
mis fungatur in ea republica magistratibus, eas con-
iurationes non animaduertit; & si animaduertit, ti-
miditate

miditate quadam patriæ non succurrit.

Ioan. Chrysof. sermone de Joanne Baptista.

Facile deuiat à iustitia, qui in causis non Deum, sed homines pertimescit.

*Diuus August. de tempore sermone 118. & ante eum san-
ctus Ambrosius sermone 49.*

Lauerit licet manus Pilatus, tamen sua facta non diluit, ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occidendum: iudex enim bonus, & constans, ne sanguinem innocentis addiceret, nec inuidiæ cedere debuit, nec timori.

Cicero lib. 5. Epist. famil.

Præter culpam ac peccatum homini accidere nil potest quod sit horribile aut pertimescendum.

Perus in Acta, cap. 24.

In periculosissimo statu sunt iudices: tot enim arietibus imperuntur, vt nisi gratia & timore Dei suffulti sint, impossibile sit vt non aliquando à iustitia deflectant: aliquando enim amore, aliquando timore, aliquando cupiditate, aliquando ira conuincuntur, vt à iustitiæ recta via deuiant. gratia igitur & Dei timor illis sunt maximè necessaria.

Idem in Exodum cap. 18.

Constituere iudices timentes Deum; hoc enim maximè necessarium iudicibus: qui enim timet Deum, faciet bona; alioqui vbi non est timor Dei, facile declinatur à iustitia. patet in Pilato, & duobus iudicibus Susannam condemnantibus.

Lactantius lib. de ira Dei, cap. 12.

Timor Dei solus est qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa sustinetur, munitur, gubernatur.

1 Architas Tarentinus nullam capitaliorem pestem quàm corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam. Hinc patriæ prodiones, hinc rerum publicarum euerfiones nasci dicebat. nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra verò, adulteria, & omne tale flagitium nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptate.

Plato in Timæo.

2 Voluptates dolorésque admodum vehementes, morborum animæ omniū grauissimi sunt iudicandi.

Cicero pro Sestio.

3 Qui voluptatibus ducuntur, & se vitiorum illecebris & cupiditatum lenociniis dediderunt, missos faciant honores, nec attingant remp.

Plutarchus in Annibale.

4 Corruptunt blandæ voluptates omne robur animi, indolémque virtutis; ingenium labefactant, & consilium eripiunt.

Arist. lib. 5. Polit. cap. 10.

5 Qui se voluptatibus dederunt, facilè in contemtionem veniunt, & multas se opprimendi occasiones præbent.

Silius Italicus lib. 15.

6 Quippe nec ira Deum tantum, nec tela, nec hostes; Quantum sola nocet animis illapsa voluptas. Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris Circa te semper volitans infamia pennis.

Sanctus Nilus lib. Ascetico.

7 Voluptas non est ex eorum numero quæ stant & quies-

quiescunt, sed ex eorum quæ mouentur, & perturbationis sunt plena.

Ferus in Numeros cap. 25.

Nihil est quo citiùs capiatur homo, quàm voluptate: vnde & Scipio Romanus dicebat, Bono imperatori maius periculum imminere à voluptatibus, quàm ab armatis hostibus. sic Holofernes ab omnibus hostibus inuictus, voluptate captus cecidit. sic fortissimos quosque diabolus voluptate victos prostravit: exemplo sint Dauid, Samson, & Israëlita.

Leo Magnus sermone de ieiunio decimi mensis.

De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

Voluptas corporis pura & liquida esse non potest; est enim semper cum aliqua molestia & acerbitate coniuncta, bibendi & edendi, & eiusmodi voluptates omnes, desiderij breuis & minimè constantis expletione continentur: ita vt magis molestiarum depulsiones, quàm voluptates appellandæ sint. idcirco fit vt voluptas corporis sit fluxa & instabilis, & momento tēporis euanescat: deinde cū effluerit, eam fatieras atque fastidium consequatur.

Et mox:

Præterea voluptates istæ mentem & rationem eripiunt, & animi totius statum labefactant: & quod est consequens, insigne dedecus incurrunt. ex quo fit, vt cū euauerint, grauissimam pænitiendi causam relinquunt. cū enim simus naturâ maximè honestatis appetentes, necesse profectò est vt recordatione turpitudinis atque dedecoris affictemur.

E B R I E-

EBRIETATEM FUGIANT,
ET NIHIL CVM DOLORE
FACIANT. CAP. XI.

Proverb. 10.

1 Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas; quicumque his delectatur, non erit sapiens.

Basilus Magnus homil. contra ebriosos.

2 Vinum donum Dei in consolationem debilitatis datum temperatis, instrumentum factum est proteruitatis perulantibus. ebrietas spontaneus daemon ex voluptate in animas irruens. ebrietas mater malitiae, hostis virtutis, fortem timidum reddit, temperatum perulantem; iustitiam non nouit, prudentiam tollit.

Civis meus Seneca lib. 1. de beneficiis.

3 Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepisse virtus erit. An hoc sit iam receptum apud multos aliarum nationum homines, ipsi viderint. certe religioni, iustitiae, fortitudini, caeterisque nostratum virtutibus haec quoque accedit, quod Hispano homini, cuiusque privato nedum magistratum, vile admodum ac turpissimum est, unquam usquam inebriari.

Diuus August. de tempore, serm. 231.

4 Cum ebrietatis malum sit graue vitium, & Deo odibile, ita per uniuersum mundum a pluribus in consuetudinem missum est, ut ab illis iam nec putetur nec credatur esse peccatum; in tantum, ut in conuiuiis suis irrideant eos qui minus bibere possunt, & per inimicam amicitiam adiurare homines non erubescunt, ut potum amplius accipiant quam oportet: qui enim alterum cogit, ut se plus quam opus est bibendo inebriet, minus malum ei erat si carnem eius vulneraret gladio, quam animam eius per ebrietatem necaret.

Aristoteles

Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 10.

Seruiles & ferinae sunt voluptates, quae tactu & gustu percipiuntur.

Plat. lib. 1. de Legibus.

Vini usus, voluptates, dolores, iras, amores vehementius concitat, & sensus, memoriam, opinionem & intelligentiam extinguit, si quis ebrietate fuerit occupatus.

Idem lib. 2. eiusdem operis.

Gubernatores atque iudices munus suum subituros a vino penitus prohiberem, deliberaturos quoque de rebus non omnino negligendis.

Galenus lib. quod animi mores, &c.

Epotum vinum velut tyrannus quidam animo imperat, atque tam ob rem Plato ut inimicum censet vitandum.

Isocrates ad Demonicum.

Cum mens obruitur vino, idem quod curribus euenit, e quibus aurigae sunt excussi. Nam ut hi temere feruntur carentes gubernatoribus, sic animus in multa delicta impellitur ratione subuersa.

Plutarchus in Apoph. Laconicis.

Quodam interrogante, quam ob causam parum bibant Spartiatae, respondit Leotychidas: Ne pro nobis alij consultant, sed nos pro aliis.

Beatus August. serm. de Sobrietate.

Ebrietas flagitiorum omnium mater est, cuncta mala semper appetit, & nefanda committit.

Plutarchus in oratione consolatoria.

Cum multae sint animi perturbationes, omnium iam quam grauissima est dolor.

Aristoteles

Aristoteles lib. 1. Magno. moral. cap. 6.

13 Quemadmodum voluptate allekti improba facti-
tamus: ita dolori succubentes, ab honestis deficimus.

Idem lib. 6. Ethic. cap. 5.

14 Dolor quidem corrumpit atque peruertit iudi-
cium, rectamque existimationem ad res gerendas.

Seneca in Troade.

15 Lewis est dolor, qui consilium capere potest.

Iob 15.

16 Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vte-
rus eius præparat dolos.

Q V A T E N V S I V D E X D E -
B E A T E S S E M I S E R I C O R S .

C A P . X I I .

Iacobi 2.

1 Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit mise-
ricordiã. superexaltat autem misericordia iudicium.

Seneca lib. 2. de Clementia.

2 Misericordia est ægritudo animi ob speciẽ alieno-
rum malorum, vel tristitia ex alienis malis.

3 Et quamuis Seneca cum Stoicis suis hunc affectũ
à sapiente non admodum sapienter auferat; ipse ta-
men fatetur, à plerisque misericordiam vt virtutem
laudari, & bonum hominem vocari misericordem.

Aristoteles lib. 2. Rhetor. cap. 9.

4 Commiseratio, & indignatio perturbationes sunt
bonorum ambæ morum. Oportet enim condolere,
cũ quis indignè vexetur, similiter & propter illum
indignari.

Diuus Aug. lib. 1. de moribus Ecclesie cap. 27.

5 Quis ignoret, ex eo appellatam esse misericordiã,
quòd

quòd miserum cor faciat condolentis alieno malo:
sed nihil obest nomen, cùm abest miseria. Stulti verò
Stoici, cùm misericordiam quasi vitium deuitãt, quia
officio satis moueri nequeunt; sic nec perturbatione
commouentur, congelasunt potius rigore in huma-
nitate, quàm rationis tranquillitate serenantur. Itaq;
multo prudentius Deus etiã ipse misericors dicitur.

Idem diuus lib. 9. de ciuitate Dei cap. 5.

Seruit autem motus iste rationi, quando ita 6
præbetur misericordia, vt iustitia conferuetur: siue cũ
indigenti tribuitur, siue cũ ignoscitur penitenti. hanc
Cicero locutor egregius non dubitauit appellare vir-
tutem, quam Stoicos inter vitia numerare nõ pudet.

Gregorius Nyssenus lib. de Beatitudinibus.

Misericordia est erga eos, qui ob res aliquas tristes 7
ac molestas sese discruciant, cum dilectione coniun-
cta affectio. & post aliqua: Ergo misericordia, vt de-
finitio quidem ostendit, beneuolentiæ mater est, di-
lectionis pignus, vinculum omnis amicæ affectionis.

Lactantius lib. 3. cap. 22.

Illud satis est ad coarguendũ Zenonis furiosi ho- 8
minis errorem, quòd inter vitia & morbos miseri-
cordiam ponit: adimit nobis affectum, quo ratio hu-
manæ vitæ penè omnis continetur: accepit homo mi-
serationis affectum; qui planè vocatur humanitas,
qua nosmet inuicem tueremur.

Plinius lib. 1. Epistolarum.

Adnotatum est experimentis, quòd fauor & mise- 9
ricordia acris ac vehementes primos impetus ha-
bent: paulatim consilio & ratione, quasi restincta
confidunt.

Ecclesiasticus cap. 4.

In iudicando esto pupillis misericors, vt pater, & 10

X pro

pro viro matri illorum, & eris tu velut filius altissimi obediens, miserebitur tui magis quam mater.

- 11 Sed his obstare videtur lex illa Exodi cap. 23. Pauperis non misereberis in iudicio.

Cui respondit Beat. August. super Exodum quest. 88.

- 12 Nisi addidisset, in iudicio, magna esset quaestio: sed cum additum est, nulla quaestio est hoc esse preceptum, ne fortè cum iudicamus, rectè nobis facere videamur, si contra iustitiam pauperi faueamus, causa misericordiae. Itaque sine alterius iniuria & pauperi, & pupillo, & viduae semper fauendum est.

Ferus in Exodum cap. 32.

- 13 Misericordia sine iustitia, pusillanimitas: iustitia autem sine misericordia crudelitas est.

Fortatulus in Epigrammatis.

- 14 Nolo magistratus fauos, admitto seueros;
Atque reis facili cum grauitate pios.

NE QUID INIVSTVM PRO-
PTER AMICOS FACIANT.

CAP. XIII.

Ecclesiastici 6.

- 1 Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attède.

Proverb. 16.

- 2 Vir iniquus lactat .amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.

Matthai 5.

- 3 Si oculus tuus scandalizat te, erue eum; si manus tua scandalizat te, abscinde eam, &c. Quae verba explicans Chrysostomus, in Psalmum sextum, inquit, Non dicens de membris, absit; sed de veris & necessariis amicis, quorum sunt aspernandae amicitiae, quando

nec

nec nobis nec ipsis sunt vtilis, sed damnosa: quando nos scandalizant, & nobis aliquid damni affert eorum consuetudo.

Cicero in Laelio.

Vt monere & moneri proprium est verae amicitiae; & alterum liberè facere, non asperè; alterum patienter accipere, non repugnanter: sic habendum, nullam in amicitia pestem esse maiore, quam adulationem, blanditias, assentationem.

Ex Aristotele lib. 9. Ethic.

Amicitia est amor quidam superabundans, qui oculos amicorum nonnunquam excæcat. Amicus enim est alter ipse.

Idem Aristot. lib. 1. Rhetor.

Iudices iis graificantur quos amant, & aut omnino non absoluunt, aut parui condemnant.

Diuus Hieronymus epist. 61.

Non æquè inimici audiunt & amici: qui inimicus est, etiam in serpo nodum quarrit: amicus praua quoque recta iudicat. Scribunt seculi literæ, amantium caeca esse iudicia.

Cicero lib. 3. Officior.

Neque contra rempublicam, neque contra iusiurandum ac fidem, amici sui causa vir bonus faciet, ne siquidem iudex erit de ipso amico. Pone enim personam amici, cum induit iudicis. Tantum dabit amicitiae, ut veram amici causam esse malit, & ut perorandæ liti tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum verò iurato dicenda sententia sit, meminerit Deum se adhibere testem.

Idem paulò post.

Honesta amico à iudice concedi possunt. Nam si

X 2

omnia

omnia facienda sunt quæ amici velint, non amicitia-
tales, sed coniurationes putandæ sunt.

Idem in Cælio.

10 Nulla est excusatio peccati, si amici causa peccaue-
ris. Prima lex in amicitia sancitur, ut ne rogemus res
turpes, nec faciamus rogati.

Valerius Maximus lib. 6. cap. 4.

11 Publius Rutilius cum amici cuiusdam iniustæ ro-
gationi resisteret, atque is per summam indignationem
dixisset, Quid ergo mihi opus est amicitia tua? re-
spondit: Immo quid mihi tua, si propter te aliquid
inhonestè facturum sum?

Plutarchus in Politicis.

12 Quorumuis amicorum inepta & incommoda po-
stulata amoveas ipse, depellâsque necesse est: non
tamè acerbè & truciter, sed placidè leuiterque com-
monefaciendo, quæ abs te petuntur, non esse digna,
quæ ab illis impetrentur, quando à virtute atque ex-
istimatione eorum iurè abhorrere videri possunt.

13 Molestis & importunis amicis nonnunquam ego
 respondi: Tu satis superque functus es rogatoris of-
ficio, sine me nunc recto iudicis officio fungi.

NE RESPICIANT PERSO-
NAM, SED CAUSAM. CAP. XIII.

Deuteronomij cap. 1.

1 Quod iustum est iudicate: siue ciuis ille sit siue pe-
regrinus; nulla erit distantia personarum: ita paruum
audietis ut magnū, nec accipiatis cuiuspiam personam.

Leuitici cap. 19.

2 Non consideres personam pauperis, nec honores
vultum potentis.

Philo

Philo lib. de Iudice.

Præcipitur iudici ut causas partium examinet ante
iudicium, semoto in totum respectu personarum, si-
ue sint ciues, amici, domestici; siue contra inimici,
alieni, exteri; nequid vel benevolentia, vel odium co-
gnitione impediatur: alioqui necesse est iudicem impin-
gere, velut si cæcus incedat absque baculo, ducete su-
stentante nemine. Ideo decet bonum iudicem per-
sonas, quæ iudicantur, non animaduerrere, sed solam
naturam negotiorum sinceram nudamque conside-
rare, ut non iuxta opinionem, sed iuxta veritatem iu-
dicet: sic cogitans, Dei esse iudicium, iudicem verò
ministrum & procuratorem: procuratori autem non
permittitur largiri de eo quod Dei est, à quo ut opti-
mo accepit hoc depositum, rerum omnium optimum.

Aristoteles lib. 5. Ethic. cap. 4.

Iustum in commerciis sine personarum conside-
ratione fit. Nihil enim refert, an bonus prauo detra-
xerit, vel contra.

Idem eodem lib. cap. 5.

Si quis magistratum gerens percusserit quempiam, 5
non decet eum reperi: & si quispiam eum qui ma-
gistratum gerit percusserit, is non solum reperiendus
est, verum etiam supplicio afficiendus.

Itaque in honoribus & pœnis considerandæ sunt 6
circumstantiæ personarum; alioqui nihil esset tam in-
æquale quam æqualitas ipsa.

Plato lib. 6. de Legibus.

Inæqualibus æqualia, inæqualia fiunt, nisi mensu- 7
ram accipiant.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. vlt.

Ut corporibus perniciosum esset, si cibo aut veste 8

X 3 pari

pari impares vteretur; sic est de honoribus statuendum.

Plinius lib. 2. Epist.

9 In tanta hominum inæqualitate nihil est tam inæquale, quam æqualitas ipsa.

Idem lib. 9.

10 Custodienda sunt discrimina ordinum ac dignitatum: quæ si confusa, turbata, permistaque sint, nihil est æqualitate ipsa inæqualius.

Philo lib. 2. de Monarchia.

11 Æqualia dignitate imparibus tribuere, est inæqualitas: inæqualitas verò fons malorum.

NE SINT AMBITIOSI.

CAP. XV.

Ecclesiastici cap. 7.

1 Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris.

Beatus Ambrosius super Lucam lib. 3.

2 Sæpe quos vita nulla delectat, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos.

Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio.

3 Sacerdotis animum honoris illius desiderio vndique vacare oportet. nam si ad episcopatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adempto impotentior sanè ambitionis suæ flammam incendet, ac vi tandem captus, ut sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato seruiet, seu adulandum, seu seruile quid atque indignum sustinendum, seu res magno pecuniæ sumptu tentanda.

Plato lib. 1. de Rep.

4 Turpe est ut quis spontè ad imperandum accedat, neque

neque expectet necessitatem. Quòd si bonorum virorum extaret ciuitas, in ea haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate. ibique pateret reuera legitimum principem non sui ipsius, sed eius qui sub ipso est commoditatem respicere. Quare vnusquisque qui non ames sit, potius eliget alium sibi prodesse, quam dum aliis ipse consulit, multis sese negotiis implicare.

Idem lib. 7. de Rep.

Ciuitas in qua ciues ad expetendos magistratus minimè ambitioni sunt, procul à seditionibus permanet: contra verò, quæ aliter affectos habet ciues.

Magistratus dandi sunt hominibus imperij minimè cupidis: alioqui similtas inter æmulos orietur.

Ælianus lib. 2. varia historiz.

Antigonus cum cerneret filium suum se violentiorem & immodestior gerere erga subditos: an non, inquit, nouisti fili, nostrum regnum nobile esse seruitatem?

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 7.

Pleraque voluntaria crimina ex ambitione, & pecuniarum cupiditate inter homines oriuntur.

Isocrates in Areopagitico.

A publicis vectigalibus adeò sanctè abstinebant, ut illis temporibus difficilius esset inuenire qui reipublicam capessere, quam nunc qui priuatam vitam agere velint: nec enim reipublicæ curam negotiationem & quæstum, sed publicam occupationem & ministerium existimabant: nec à primo initi magistratus die computabant, an priores magistratus sordidi aliquid lucelli reliquissent; sed multò magis, an aliquid neglexissent, quod primo quoque tempore conficiendum esset.

X 4 Cicero

- 10 Miserrima est omninò ambitio, honorúmque contentio. De qua præclarè apud Platonem est: similiter facere eos, qui inter se contenderent, vter potiùs reipublicam administraret; vt si nauæ certarent, quis eorum potissimè gubernaret.
- 11 Maximè adducuntur plerique, vt eos iustitiæ capiat obliuio, cùm in imperiorum, honorum, gloriæve cupiditatem inciderint.
- 12 Facillimè ad res iniustas impellitur, vt quisque est altissimo animo, & gloriæ cupido.
Lex Valentini. & Martiani lib. legum Nouellarum Martiani tit. 1.
- 13 Multa remediorum genera nostræ clementiæ provincialibus suis prospicere gestiendi, & crebra cogitatio suppetit, & ipse rerum vsus apportat. Nam cùm venalem iudicum ambitum radicitùs amputasset, & ad res priuatas vel publicas sincerissimè gubernandas, homines spectandos, atque consultos traxisset inuitos; sciens quippe felicem fore reipublicam, si à nolentibus, & actus publicos repulsantibus gubernetur. &c. *Plutarchus in Politicis.*
- 14 Ambitio etsi speciosior videri potest auaritia, & lucri faciendi cupiditate; nihilo tamen minus mihi videtur perniciosior reipublicæ, quippe cui maior inest audacia, & quæ non deiectis, neque ignauis innascitur animis, sed nouis, vigentibus, & iuuenilibus.
Pausanias lib. 1. Atticorum.
- 15 Illud mihi præclarè dictum videtur, hominem nimis reipublicæ administrationi deditum, & populari aura fidentem; haud vnquam feliciter diem extremum claudere.

Plautus

- Virtute ambire oportet, non fautoribus. 16
Sat habet fautorum semper qui rectè facit.
Seneca lib. 1. Naturalium quest.
- Ambitio te ad dignitatè, nisi per indigna nõ ducet. 17
Idem epist. 21.
- Si vis honestum facere, non honoribus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. 18
Idem lib. 2. de Beneficiis.
- Ambitio non patitur quenquã in ea mensura honorum conuiescere, qua quondam eius fuit impudens votum. nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quòd non est ad præturam vsque perductus. 19
Nazianzenus epist. 97.
- Pessimus demò ambitio est, velut Euripides inquit. 20
Boëtius lib. 3. Metro 8.
- Quid dignum stolidis mentibus imprecer? 21
Opes, honores ambient:
Et cùm falsã graui mole parauerint,
Tum vera cognoscant bona.
Diuus Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium.
- O ambitio, ambitiosorum crux, quomodo omnes torquens, omnibus places! 22
- Quamuis charitas ambitiosa non sit (vt scribit Apostolus in epist. priore ad Corinthios) ambitio tamè in hoc similis est charitati, quòd omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, vt rectè dixit Euthymius. 23
- Ambitio simia est charitatis: charitas enim patiens est pro æternis, ambitio autem omnia patitur pro caducis: charitas benigna est pauperibus, ambitio verò diuitibus: charitas suffert pro veritate, ambitio pro vanitate. 24

X 5

vanitate:

vanitate: vtraque omnia credit, omnia sperat, sed longè dissimili modo.

Ferus in Matth. cap. 18.

- 25 Insolens pestis est ambitio, quæ etiam sanctos nõ. nunquam inuadit: & quo quis melioris est spei, eo plus afficitur: imò vltimum est vitium cum quo congregari nos oportet, omnibusque aliis superatis vitiis, tunc primum, & maxime irrepit ambitio, & appetentia laudis, & complacentia sui ipsius.

Idem in Numeros cap. 16.

- 26 Ambitio pestis est quæ omnia turbat, vt frater fratri, ciuitas ciuitati, cognatus cognato, artifex artificio, ordo ordini inuideat. Ambitio est causa bellorum: ambitio regna omnia, & omnes politias perturbat, ac destruit.

Lampridius in Alexandro.

- 27 Alexander Seuerus dicere solebat: Inuitos, non ambientes, in Rempublicam collocandos.

Plutarchus in Apoph.

- 28 Pædaretus inter trecentos non delectus, qui in ciuitate quidem ordine primus erat honor, hilaris ac ridens abibat, se gaudere dicens, si trecentos Sparta haberet ciues se meliores.

Seneca in Thyeste.

- 29 Rex est, qui posuit merus
Et diri mala pectoris,
Quem non ambitio impotens,
Et nunquam stabilis fauor
Vulgi præcipitis mouet:
Qui tuto positus loco
Infra se videt omnia,
Occurritque suo libens

Fato,

Fato, nec queritur mori.

Mens regnum bona possidet.

Rex est qui metuit nihil.

Hoc regnum sibi quisque dat.

Origenes in librum Iudicum homil. 6.

Sicut exultatis de nobilitatis vestræ titulo, ita discere debetis, quid agendo vnusquisque vestrum fiat rex; quod vobis ita breuiter definiam. Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te. Rex namque à regendo dictus est. si ergo & in te animus regnat, & corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub iugum imperij tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frenis arctioribus premas, merito rex diceris, qui te rectè gerere noueris.

Claudius lib. 1. de officio Iudicis, cap. vlt.

Ad honores publicos, præsertim ad iudicandi munus, quod omnium esse oportet innocentissimum, non decet vel per ambitionem aut largitionem perumpere, vel grauem virum vsque eò demitti, vt ceu conductitiis suffragatoribus ei apud principem, aut magnates, aut populum, fauor inhonestis artibus concilietur, hoc est blanditiis magis ac fucis, quam virtute ac superioris vitæ ornamentis.

Hoc verò iam vsitatissimum est, vt quo quisque meritis minus valet, hoc magis precibus, largitionibus, & ambitione sese aliis præferre conatur. atque vnam isthæc non plerumque merita vincant.

Leo Magnus epistola 87.

Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiam si moribus atque actibus non offendat, ipsius tamen initij sui est perniciosus exemplo: & dif-

& difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

Sanctus Hieronymus in Matth. cap. 5.

- 34 Eleganter in quodam volumine scriptum legimus, Ne quæras gloriam, & non dolebis cum inglorius fueris.

Orosius lib. 2. de Regis institutione.

- 35 Nihil est tam sancto iure vallatum, quod non perumpat atque disturbet ambitio.

NE SINT VENALES MAGISTRATUS. CAP. XVI.

Lib. 2. Machab. cap. 11.

- 1 Lysias procurator regis & propinquus veniebat aduersus Iudæos, existimans se templum in pecuniæ questum, sicut cætera delubra gentium habiturum, & per singulos annos venale sacerdotium, nusquam recogitans Dei potestatem.

Plat. lib. 8. de Rep.

- 2 Absurdam eam esse ait reipublicæ constitutionem, in qua principatus venduntur, & regna venalia sunt.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 9.

- 3 Turpe est maxima imperia, regna, & ductum militare facere venalia.

Sextus Aurelius Victor in Septimio.

- 4 Septimius Seuerus nulli in dominatu suo permisit honores venundare.

Ex Cornelio Tacito lib. 13. Annalium.

- 5 Nero cum optimæ spei iuuenis esset, curiam ingressus, egregia multa facturum se esse promisit, & inter alia, nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni peruium esse permissurum.

Dionysius

Dionysius Halicarnassensis lib. 2. Romanarum antiquitatum.

Cum alij temerè plerunque ac inconsideratè sacerdotia eligant, quidam licitatoribus proponentes hunc honorem, Romulus neque venalia esse voluit sacerdotia, neque sorti subdita, sed lege sanxit, ut è singulis curiis legerentur bini, annum egressi quinquagesimum, qui virtute ac genere præcellerent cæteros, censumque sufficientem haberent, & integro essent corpore.

Zonaras tomo 1. Annalium.

Ieroboamus falsum illud editorum locorum sacerdotium quibusuis pretio venditabat; quæ res noxæ illi fuit imputata, & in familiæ eius perniciem & interitum vertit. quod si profanum illud sacerdotium addicere pecunia nefas est habitum; quid de his dicemus, qui verè diuinum illud sacerdotium, quo veneranda illa & incruenta victima immolatur, vendunt atque redimunt?

Beatus Gregorius epistola 114. lib. 7.

Vbi non merita, sed pecuniæ suffragantur, restat ut nihil sibi grauitas, nihil sibi defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat.

Idem diuus epistola 110. eodem lib.

Vehementi tædio meroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam habeat locum pecunia, & sit seculare quod sacrum est. *Et paulò post: Quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio; sed ille solùmmodo dignus, qui pretiũ suffecerit, estimetur.*

Quintilianus lib. 12. cap. 7.

Pleraque sanè hoc ipso videri possunt vilia, quod pretium habent.

Claudia-

Claudianus in Eutropium.

- 11 Patricius consul maculat quos vendit honores.
Diuus Gregorius epistola 113. lib. 7.
- 12 Quis veneretur quod venditur, aut quis non vile putet esse quod emitur?
Seneca epistola 116.
- 13 Hæc ipsa res, quæ tot magistratus & iudices facit, pecunia ex quo in honore esse cœpit, verus rerum honor cecidit; mercatorisque & venales inuicem facti, quærimus non quale sit quidquid, sed quanti.
Sallustius in oratione ad Cæsarem de Rep. ordinandâ.
- 14 Verùm hæc, & omnia mala pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque magistratus, neque alia vulgo cupienda, venalia erunt.
Valerius Maximus lib. 4. tit. de Paupertate.
- 15 Cùm animi virorum & feminarum vigeant in ciuitate, & patriæ rem vnusquisque augere properabat; nihil eorum quæ virtuti debentur, emere pecunia licebat.
Theodorus Anagnostes in collectaneis.
- 16 Anastasius Augustus venationes sustulit, & magistratus qui venales fuerant, gratis contulit.
Idem ibidem.
- 17 Martianus Illyrius genere cùm tribunus esset & ætate prouectiore, inque bellis gerendis strenuus, imperator à toto exercitu creatus est: hic confestim decreuit, nemini per pecuniam conferendum esse magistratum.
Ferronus lib. 9. de gestis Gallorum.
- 18 Nihil magis eo tempore fuit venale, quàm hæc noua magistratuum designatio, quæ facta est maiori ex parte ex adolefcētibus aut locupletibus, in quibus designan-

designandis non mores, non eruditio, non antea actæ vitæ dignitas quæreretur.

** Sanctus Hieronymus in Matth. cap. 26.*

Refert Iosephus istum Caipham vnus tantum 19 anni pontificatum ab Herode pretio redemisse. non ergo mirum est, si nequam pontifex iniquius iudicet.

DE EADEM RE.

CAP. XVII.

Diuus Chrysostr. in epistolam Pauli ad Ephesios, sermone 6.

Dignitates factæ sunt venales: mille hinc mala nascuntur, & tamē nemo est qui corrigat, nemo qui reprehendat; sed viam quandam atque sequelam tacta est hæc merces.

Idem diuus lib. 3. de Sacerdotio.

Etenim principes externos antea ob id ridebam, 2 quòd honores præfecturæque distribuere, non animorum virtutis, sed pecuniarum rationem habentes: atque vt alij alijs vel annorum multitudine, vel dignitarum gradibus iam antecedant, ita demum eos ulterius promouentes, &c.

Aristot. lib. 2. Polit. cap. 9.

Qui magistratus emerint, hos quæstibus assuescere 3 re probabile est, cùm factis sumptibus imperia sint assecuti: nec enim credibile est fore vt vir egenus quidē, probus tamen, quæstui rempublicam habere velit; deterior, qui sumptus fecerit, non velit.

Iustinianus constitutione 8.

An verò omnibus manifestum non est, quòd qui 4 aurum dat, quique eo pacto officium redimit, non hoc tantum dat, quod prætextu (vt appellant) suffragiorum,

giorum, excogitatum est, sed etiam aliud extrinsecus multo amplius accumulatur: ut prius ab eis gratiam in-
eat, qui vel conferre officium, vel ambire solent?

Idem in eadem constitutione.

5 Pecunias ex officiis conquirere omnium flagitiorum principium est & finis. hinc enim nundinarum & publicorum conuentuum confusio, hinc legum contemptus & magistratuum; hinc demum in rebus publicis malorum omnium causa & origo.

Seneca lib. 1. de Beneficiis.

6 Nam provincias spoliari & nummarium tribunal, audita utrinque licitatione, alteri addici, non mirum; quando quæ emeris, vendere gentium ius est.

Lampridius in Alexandro Seuero.

7 Honores iuris gladij nunquam vèdi passus est, dicens, necesse est, ut qui emit, vendat, ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim. Erubesco enim punire eum hominem qui emit, & vendit.

Iustinianus constitutione Nouella 8.

8 Volentes illiberalia illa & seruilia furta tollere, & collatores nostros tueri, ne quid asperum à prouinciarum moderatoribus patiantur; propterea gratis illis officia conferre studuimus, ne quam ad delinquendum, decipiendumque subditos occasionem habeant; dedignantur imitari eos, qui ante nos imperio præfuerunt, qui pro pecuniis cōferentes officia, sibi ipsis iustè increpandi eos, qui iniustè se in officiis gerebāt, copiam ademerunt: digni profectò quibus propter turpiter acceptam pro officiis pecuniam, capita obuoluerentur pallio. cum neque suos ea re collatores ab improbis præsidibus eripere, neque ob prædictā

causam

causam ipsos præsidēs coercere potuerint.

Idem ibidem.

Subiit animum cogitatio, quo tandè facto, quid- 9
quid vsquam in prouinciis nostris noxium existit, possemus vno generali actu ad meliora traducere: & re ipsa hoc euenturum deprehendimus, si demus operā, ut gentium præsidēs, qui ciuilia in prouinciis officia administrant, puris vtantur manibus, & omni præda abstineant; his solis contenti, quæ præbentur ex publico: quod quidem aliter non fiet, nisi quoque ipsi officia gratuita susceperint, neque prætextu (ut vocant) suffragiorum, neque iis, qui magistratus gerunt, neque cuiquam alij quidquam dantes.

Æmylius Probus lib. 7.

Decuriæ honoresque largitionibus parari cœperat: hunc morem graui edicto diuus Ludouicus soluit: sibi primùm imperās, quod virtuti, meritisve deberetur, fortunæ auro ve non dari.

Claudianus lib. 6. de laudibus Stiliconis.

At primùm scelerū matrem, quæ semper habendo 11
Plus furiens patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis auaritiā: cuius scœdiūma nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum,
Pulsa simul: nec te gurges corruptior æui
Traxit ad exemplum, quod iam firmauerat annis
Crimen, & in legem rapiendi verterat vsum.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 9.

Turpe est ministeria publica venalia facere, & 12
lex hoc permittens, diuitiis quàm virtuti maiorem dignitatem tribuit, & in omnem ciuitatem auaritiā inducit.

Y

ZONARAS

Zonaras in imperio Leonis Armenij.

- 13 In republica administranda non segnis erat, sed acer admodum, & vigilans, magistratus tam ciuiles, quam militares delectu ex optimis habito cōferebat: Romanarumq; prouinciarum praelecturas, neq; pecunia venū exponebat, neq; ex gratia viris ineptis ad magistratus, aut auaris, & ius pecunia videntibus largiebatur: quod si etiam nunc fieret, res bene se haberent.

Nicetas lib. 2. de rebus gestis Alexij angelici.

- 14 Initio principatus proclamari iussit, se magistratus non venditurum, sed delectu ex optimis habito, gratuito mandaturum. atque id consilium liberale & praeclarum erat, & optimae gubernationis firmissimum fundamentum.

Synesius ad Arcadium imperatorem lib. de Regno bene administrando.

- 15 Qui magistratum pecunia comparauit, nescit profecto iustitiam colere, atque ius suum unicuique tribuere. Nam qui magistratum emit, hunc meo iudicio non facile iustitiae odium capiet: nec is pecuniam pro nihilo ducet, sed ius pretio potius quam aequitate describet. non enim credibile est, hunc toruis oculis aurum inuiturum, verum illud reueretur atque amplectetur, ut cui acceptum referat, quod parte diuitiarum impensa rempublicam comparauerit; & quod, uti res aliae solent, ita ciuitatum gubernationem mercede conduxerit. videt enim se opera diuitiarum in magistratum venisse: videt se suscipi, cum ab alia multitudine, tum etiam ab hominibus iustis, & egentibus.

Diuis Chrysof. in epistola ad Ephesios sermone 20.

- 16 Pecuniae iam sunt omnia, propterea corrupta sunt etiam

etiam omnia, eo quod nos amor iste corripuit.

Nazianzenus oratione 23.

Aurum tyrannus occultus, qui nunc ut plurimum res peruertit humanas, ac eis illudit.

Sanctus Hieronymus epistola 26.

Quamuis clarus honor vilescit in turba, & apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident; multi autem indigni possident venales dignitates.

Thomas Caietanus in Summa.

Magistra rerum experientia docet, ibi reipublicae ruinam esse, ubi officia sunt venalia.

C V R M A G I S T R A T V S M I -
N V S Q V A M P R I V A T I P E C C A R E
D E B E A N T . C A P . X V I I I .

Quatuor causas reperio, quamobrem magistratus minus peccare debeant, quam priuati: vnam, quod priuatorum vitia occulta esse possunt, magistratum verò non item: alteram, quod grauiora sunt horum, quam illorum peccata, praesertim si in officio delinquant: tertiam, quod qui aliorum crimina puniunt, hi carere debent omni labe: quartam, quod exemplo plurimum nocere solent.

Plutarchus in Politicis.

Vitam sibi quisque & mores pulcherrime excolere debet, quo prorsus omni nota vituperatione que careat; quando praesertim eorum qui reipublicae praesunt, non modò singula verba, nec res tantum publicitatis gestae animaduerti notarique solent; sed virtus quoque, ioci simul & seria quaeque, domus ipsa, familia, vxor, cubile, curiosius cōquiritur: vulgus mo-

res, vitam, actiones, consilia omnia eorum, qui reipublicæ præsumunt, curiosè rimari atque introspicere solet, etiam si hoc altè admodum obtegas, & tanquàm velamenti obnubas, & abdas.

3 Athenienses Cimoni vinum, populus Romanus Scipioni somnolentiam, soliti exprobrare traduntur, quippe qui nihil præterea aliud, quod illis obiectari posset, haberent: & in Cneum Pompeium inimicos cauillatos accepimus, vnico digito caput scalpere deprehensum.

4 Quemadmodum enim indignius ferri, maiorique haberi solent dedecori verruce ficiusve in facie, quam notæ, næui, atque mutilationes in reliquo corpore: sic etiam ob eam quæ plerisque omnes de principatu atque ciuilibus magistratibus tenet opinionem, utpote de re magna atque dignissima, quæ omni facinore atque temeritate vacare debeat, minima quæque principum & reipublicam administrantium errata notantur, & pro magnis habentur.

Chrysof. lib. 3. de Sacerdotio.

5 Vulgariū hominū delicta velut in tenebris commissa auctores suos solos perdunt. Cæterum hominis illustris & vulgo cogniti delictum, cōmune omnibus damnum affert. Præterea ignobilium delicta, si in medium prodierint, neminem insigniter vulnerant: at qui in dignitatis fastigio positi sunt, primum nemini non notè manifestique sunt: tum verò si vel tantillum peccauerint, parua eorum peccata aliis magna videntur; neque enim peccati magnitudine, sed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur.

Diuus

Diuus Ambrosius in Psal. 118. sermone 20.

Iudicet ille de alterius errore, qui non habet in se 6 ipso quid condemnet. Iudicet ille, qui nō agit ea quæ in alio putauerit punienda; ne cum de alio iudicat, in se ferat ipse sententiam.

Diuus Cyprianus lib. 2. epist. 2.

Fænore quodam nocendi, quàm fuerit amplior 7 summa dignitatis, & honorum; tam maior exigitur & vsura penarum.

Beatus Hieronymus epistola ad Heliodorum.

Cui plus creditur, plus ab eo exigitur: potentes 8 enim potenter tormenta patientur.

Chrysof. in Psal. 5.

Quo plus doctrinæ acceperunt, eo maius subibunt 9 supplicium. Rursum autem ex auctoritate licet hoc videre euenire: idque perspicui potest ex sacrificio: pro vniuerso certè, qui peccarat populo, tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote, Leuit. 4.

CONSILIA MAGISTRATIBUS

BVS DATA. CAP. XIX.

2. Paralip. 19.

Iosaphat præcipiens iudicibus, videte ait, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit: sit timor Domini vobiscum; & cum diligentia cuncta facite; non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.

Cicero lib. 1. Officior.

Qui reipublicæ præsumunt, duo Platonis præcepta tenent; vnum, ut vtilitatem cuius sic tueantur, ut quid-

Y 3 quid

quid agant ad eam referant. obliiti cōmodorum suorum. Alterum, vt totum corpus reipublicæ curent, ne cū partem aliquam tuentur, reliquas deserant.

- 3 Est propriū munus magistratus, intelligere se gerere personam ciuitatis, haberēque eius dignitatem, & decus sustinere, seruare leges, iura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse.

Idem lib. 2. Officior.

- 4 Hi qui rempublicam tuebuntur, in primis operā dabunt, vt iuris & iudiciorum equitate suum quisque teneat, vt neque tenuiores propter imbecillitatem circūuentantur, neque locupletibus ad sua vel tuenda, vel recuperanda, obsit inuidia.

Idem pro Cluentio.

- 5 Est sapientis iudicis meminisse se hominem; cogitare sibi tantum esse promissum, quantum commissum sit & creditum. Et non solum sibi soli potestatem esse datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse: posse quem oderit absoluerē, quem nō oderit, condemnare; & semper non quæ velit ipse, sed quid lex & religio cogat, cogitare.

- 6 Cū hæc sunt vitanda, nū illud est hominis magni iudicis, atque sapientis, habere in consilio legem, fidem, religionem, æquitatem; libidinem autem, & inuidiam, metum, cupiditates omnes amouere: maximi æstimare conscientiam mentis suæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non potest.

Idem pro Milone.

- 7 Timida est ambitio, & sollicita cupiditas magistratus; omnia non modò quæ reprehendi palā, sed quæ obscure cogitari possunt, timeamus: rumorem, fabulam

fabulam fictam, falsam perhorrescimus: ora omnium atque oculos intuemur. nihil est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos, sensusque ciuium.

Idem ad Quintum fratrem proconsulem Asiæ.

Toti sit prouinciæ cognitum, tibi omnium, quibus præsis, salutem, liberos, famam, fortunas esse charissimas. Denique hæc opinio sit; non modò iis, qui aliquid acceperint, sed iis etiam qui dederint, te inimicum (si id cognoueris) futurum: neque quispiam dabit, cū erit hoc perspectum, nihil per eos, qui simulat, se apud te multū posse, abs te solere impetrari.

Plutarchus in Politicis.

Nec enim tanquam ad nundinas & lucella eundū est iis, qui sibi gubernacula reipublicæ committi volunt, quemadmodum Stratoclem illum, & Dromoclidem accepimus, solitos sese mutuo ad messem auream inuitare: sic enim ioco tribunal, & curiam appellare consueuerunt.

Diuus Aug. sermone 94. de tempore.

Audiant iudices terræ, corpus castigent, libidines refrænent, ament sapientiam, vincant concupiscentiam, & vt hoc faciant, erudiantur. Hæc est autem summa eruditionis: fertite Domino in timore, & exultate cum tremore. *Et post aliqua:* Porro autem si reges iudicant terram, & qui sub regibus potestatem accipiunt, à regibus erudiantur & ipsi; quia terra iudicat terram; & timere debet eum, qui est in cælo, terra iudicans terram: parem quippe suum iudicat, homo hominem, mortalis mortalem, peccator peccatorem. *Et paulò post:* Vellem scire, qualem sententiam protulisti, si bene audisti, si rectè audisti, si in audiendo

iustus fuisti. Erudimini qui iudicatis terram, & bene iudicando, non à terra præmium, sed ab illo spectate qui fecit cælum & terram.

DE MAGISTRATIBVS

MISCELLANEA. CAP. XX.

Sapient. 6.

1 Audite reges, & intelligite; discite iudices finium terræ: præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Deo potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. horrendè, & citò apparebit vobis, quoniã iudicium durissimũ in his, qui præsumunt, fiet: & potentes potenter tormenta patientur.

Plutarchus in Apoph.

2 Cùm Rex Philippus Magni Alexãdri pater, quẽdam ex Antipatri amicis iudicũ numero adscripsisset; posteaquam & barbam, & capillos eum sibi inficere sensit, remouit: quòd diceret, eum qui in capillis infidus est, qualem in negotiis remur futurum?

Aulus Gellius lib. 2. cap. 2.

3 Tauri philosophi sententia hæc fuit: in publicis locis, atque muneribus atque actionibus, patrũ iura cum filiorum, qui in magistratu sunt, potestatibus, collata interquiescere paululum, & conuincere; sed cùm extra rempublicam in domestica re, atque vita sedeatur, ambuletur; in conuiuio quoq; familiari discumbatur: tum inter filium, magistratum, & patrem priuatum publicos honores cessare; naturales & genuinos exoriri.

*Aristo-**Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 9.*

In qua republica virtus non est maximè omnium in pretio, in hac optimatum imperium stabilitatem habere non potest. Nam qui magistratus emerint, hos quæstibus assuescere probabile est, cùm factò sumptu imperia sint affecturi. Nec enim credibile est, vt vir egenus quidem, probus tamen, quæstui rempublicam habere velit; deterior, qui sumptus fecerit, non velit.

Callistratus lib. 1. Digest. tit. 17.

Iudex in cognoscendo neque excandescere debet; aduersus eos quos malos putat, neque precibus calamitatorum illacrymari oportet: id enim non est constantis & recti iudicis, cuius animi morum vultus detegit. Et summam ita ius reddere debet, vt auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat.

Vlpianus lib. 50. Digest. tit. 4.

Si ita quidam tenues & exhausti sunt, vt non modo publicis honoribus pares non sint, sed & vix de suo victum sustinere possint, & minus vtile, & nequaquam honestum est, talibus mandari magistratum, præsertim cùm sint, qui conuenienter rei, & sue fortunæ, & splendori publico possunt creari.

Plutarchus in Peliticis.

Videtur vulgus satietate atque fastidio quodam eorum, quibus cum iam diu consuevit, vt in spectaculo nouum certatorem, ita eum, qui recens rempublicam capeffit, alacriter excipere.

Lambertus in historia Germanorum.

Sicut vulgo assiduitate vilescunt omnia, & popularium animi nouarum rerum auidi, magis semper stupent ad incognita; hos quos vsu nouerant, nihili

Y 5

astima-

æstimabant, hos, quia nouum inusitatúmque aliquid præferre videbantur, non homines, sed angelos; non carnem, sed spiritum arbitrabantur.

9. Si inueniri non queant viri perfecti, qui magistratus gerant; hi saltem deligantur, qui eruditi sint & prudentes, vitis nemo sine nascitur: optimus ille est, qui minimis vrgetur.

Trebellius Pollio in Posthumo secundo, hanc Valeriani epistolam retulit.

10. Transrhenani limitis, & Galliæ præsidem Posthumum fecimus, virum dignissimum seueritate Gallorum; præsentem quo, non miles in castris, non iura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat: qui vnique proprium & suum seruet: virum quem ego præ cæteris stupeo, & qui locum principis mereatur iure: de quo spero quòd mihi gratias agetis. Quòd si me fefellerit opinio, quam de illo habeo; sciat, nusquam gentium reperiri, qui possit penitus approbari.

Zonaras in fine Annalium.

11. Sine crimine certè quidem, & deteriorum affectuum prorsus expers nemo reperietur; id enim diuinæ felicitatis proprium fuerit, nec vnquam in hominis naturam cadit.

Diuus Clemens lib. 2. recognitionum.

12. Scire debemus, quia si quis à veritate vincatur, non ipse vincitur, sed ignorantia, quæ in ipso est, quæ est dæmon pessimus.

Beatus Gregorius epistola 34. libro 11.

13. Tales erga subiectos nostros debemus existere, quales nobis, si subiecti fuissetis, nostros volueramus esse præpositos.

Ferus

Ferus in Matth. cap. 26.

Boni magistratus est, sese moribus subditorum 14 accommodare, non pertinaciter duritiæ populi resistere; sic & aliàs in Iosepho de Pilato legis, dum statuæ Cæsaris in templo Hierosolymitano erectæ fuissent; nam videns populi pertinaciam, qua citius mortem oppetere, quàm statuas in templo ferre volebant, cessit eis, ac statuas è templo deposuit, quam armato exercitu, ad hanc rem instructo, potuisset omnes, ni obedirent, simul trucidare.

Idem in librum Iudicum cap. 12.

Magistratus debent sollicitè præesse, publicam 15 utilitatem promouere, subditos diligere, nulli iniuriam facere, iustitiam administrare, lites dirimere, pauperes & orphanos, pupillos & viduas defendere, iustitiam promouere, iniustitiæ resistere, bonas leges conseruare, superintendere, vt omnia rectè fiat; officarios bonos instituire, populum ad pietatem, & cultum Dei inducere.

Quidam sapiens.

Qui occupati sunt negotiis reipublicæ, debent 16 hoc ipsum facere propter Deum, cuius gratia omnia sibi commissà fideliter exequantur, nihil morari vel vulgi ingratitude, vel priuatos affectus: Deum siquidem habebunt remuneratorem. neque est quòd nos minus idoneos causemur, Deus enim est, qui ingenium, sapientiam, prudentiam, & alia suppeditat, vbi cum ipsius voluntate ad publica munia subeunda ritè vocamur.

Vives in Satellitio.

Persona publica priuatam deponito; cui magistra- 17
tus,

cus, aut imperium, aut principatus mandatur, is sciat iam non sibi suas utilitates quærendas, sed populi, cui præest: sic optimè publicum officium administrabit; alioquin fiet tyrannus. deberet pro curiarum foribus dictum aliquod in hanc sententiam scribi, quo admonerentur magistratus, & eorum consultores: Huc ingrediens, personam priuatam relinque in limine; publicam sume.

Sanctus Hieronym. in epistola ad Titum c. 2.

8 Pulchrè quidam vir apprimè grauis, cum ei cuiusdam iudicis laudaretur integritas, & diceret de eo ille qui laudabat, non est fur; respondit, optimum seruum faceret, si nec fugitiuus esset: in tantum furi suspicio ab omni libero debet esse aliena.

DE

DE REPUBLICA LIBER VII.

DE REGNO HISPANIÆ.

CAP. I.

HACTENVS de Ciuitate, de Republica, de Rege, de Legibus, de Magistratibus generaliter ac vniuersè multa dispersa collegi; deinceps autè de republica Hispaniæ alia quædam ordine paululum immutato congregabo.

Monarchia quidem aliis omnibus reipublice formis melior & præstantior est; sed tunc proculdubio est perfectissima, cum fuerit bonis cõiuncta legibus, (vt Plato docebat,) & cum abundat optimis magistratibus, & ex aliis quoque rebus publicis constar.

Archita Pythagoreus lib. de Lege & Iustitia.

Oportet sanè vt tum lex, tum respublica, quæ excellere debet, ex omnibus rerum publicarum formis constet: ita vt & popularis aliquid insit, & paucorũ, & regiæ, & optimatum aliquid reipublicæ. Ad hunc modum Lacedæmoniorum respublica composita est: in ea enim Monarchia ad Regem, Aristocratia ad Senes, Oligarchia ad Ephoros; Democratia deniq; ad Hippagretes & Coros pertinet.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 10.

Solonem quidam probum legumlatorem fuisse putant, qui paucorum imperio intemperanter abundantium dominatum sustulerit, & seruientem populum in libertatem vendicauerit, statimque popularem rectè republica temperata, in maiorum morem constituerit. Nam consilium Areopagi ad paucorum potentiam pertinere tradunt: quòd autem suffragio magi.

magistratus mandentur, ad optimatum imperium; tribunalium verò rationem popularem esse.

5 Plato quoque vult, ut senatus probatissimorum hominum sit collega regis, quasi quaedam respublica optimatum. atque hæc quidem regis nostri dominatio est, multis consiliariis præstantissimis plena. Itaque reges nostri re & nomine verè Catholici, tales habent consiliorum & actionum adiutores, quales esse possent illi, qui Aristocratiam & Democratiam optimè gubernarent.

Hanc reipublica formam desiderasse videtur

Claudianus, cum cecinit lib. 7.

6 Fallitur egregio quisquis sub principe credit
Seruitium; nunquam libertas gratior extat
Quàm sub rege pio: quos præficit ipse regendis
Rebus, ad arbitrium plebis patrumque reducit,
Conceditque libens: meritis seu præmia poscant,
Seu punire velint, posito iam purpura fastu
De se iudicium non indignatur haberi.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

7 Qui respublicas commiseri præcipiunt, non monstra fingunt, sed ne monstrum aliquod atque portentum dirissimum ad reip. perniciem gigni possit, sapienter elaborant. nolunt enim ut vnus imperium ita solum omnibus legibus & institutis sit, ut populi libertas opprimatur: nolunt principes tantis opibus augeri & amplificari, ut reges contemnant, & plebem iniuriis violenter illatis spolient: nolunt postremò tantum populari licentiæ permitti, ut principum dignitatem affligere, omnemque reip. statum perturbare possit. in quo quidem omnium partium salutem
atque

atque diuturnitati consulunt. reip. namque salus moderatione continetur.

Et post aliqua:

Illam resp. summopere laudatur, ubi omnes illius gerendæ & administrandæ rationes aptissimè commiscantur. est enim necesse primum quidem ut cui omnes pareant, ne resp. multorum imperio distracta dilaceretur. deinde ut non solum bonorum auxilio muniatur, sed etiam ne legitima illius potestas paulatim dilabi, atque in tyrannidem conuerti possit: est necessaria publici consilij grauitas & optimi consensus auctoritas, qui regem teneat, & sine quo nihil rex vnquam de rerum summa decernat, ne inconsideratè ruat, & aliquid furenter & temerè moliat. ne verò rex aut optimates nostri facillè possint plebè iniuriis opprimere, eiusque tenues opes impunè diripere: est etiam plebi danda facultas & auctoritas, qua possit potentium indomitæ cupiditati resistere, & magistratus aliquis non mediocri auctoritate & summa religione præditus, qui populi causam agat, ut possint homines tenues ius suum contra principes obtinere.

DE MAGISTRATIBVS HISPANIÆ. CAP. II.

Nemini dubium est (ut inquit Plato lib. de Regno) quin omnis rex parum quid manibus ac reliquis membris ad regni salutem possit. tamen autem & intelligentia & animi robore plurimum valeat, solus tamen ne vnâ quidem urbem regere, nedum provincias plures, & vniuersum regnum gubernare poterit.

Exodi

Exodi cap. 18.

2 Ietro videns Moysen à mane vsque ad vespertinam
 ius dicentem populo, Cur solus sedes (inquit) & om-
 nis populus prætolatur de mane vsque ad vespertinam?
 Non bonam rem facis, stulto labore confumeris: vl-
 tra vires tuas est negotium: solus illud non poteris
 sustinere. Prouide de omni plebe viros potentes, &
 timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint
 auaritiã; & constitue ex eis tribunos, & centuriones,
 qui iudicent populum omni tempore: quidquid au-
 tem maius fuerit, referant ad te. atque eã quidem
 3 sanctissimus ille Moyses protinus fecisse traditur. Ad
 eundem proxus modum, reges nostri ad regnorum,
 & prouinciarum administrationem, plurimos crea-
 runt magistratus, tam ciuiles, quàm militares; multis
 vtuntur gubernatoribus, præsidibus & præfectis:
 habent quoque Hispaniã tribunalia summa, de qui-
 bus iam nunc differemus.

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo Senatore.

4 Rex magnam vtilitatem exhibet reipublice consi-
 liis senatus eam gubernas: consilio enim senatus ob-
 temperans, melior & sapientior fit omnibus: instru-
 ctam etenim & perfectam rationem gerit disciplina,
 consiliis que multorum. hoc igitur modo Rex opti-
 mè gubernabit; non enim propria, quæ sæpe distra-
 ctum eum reddere potest, sed communi omniũ ra-
 tione & consilio res administrabit; eo que modo per-
 fectæ & absolutæ rationis erit.

Petrarcha lib. 8 Africa.

5 Consiliis reges moderantur regna, trahuntque.

Antonius Melissa lib. 1. sermone 10.

6 Si millies sapientes simus, & ea quæ fieri oportet

con-

conspicemur, homines tamen sumus, & consultore
 indigemus. Nam sæpenumero vir sapiens, quod factum
 opus est, nõ dispicit, alius autem inferior eo, acutiùs
 rem deprehendit; atque hoc ita fit, ne vel sapiens su-
 perbiat, vel minus sapiens miserum se putet.

Ludouicus Vtiues in satellitio.

Auctoritas est rerum gerendarum telum; plura
 7 pericit auctoritas, quàm vires, aut etiam consilia. de-
 clarari hoc potest in principibus, qui magnas res ge-
 runt non tam opibus, aut sapientia, quàm auctorida-
 te & maiestate. bella dicebat Cæsar fama plurimum
 confici.

Aufer auctoritatem à pontificibus, à regibus, & à
 principibus, à magistratibus, & ministris reipublice,
 & nihil aliud erunt, quàm homines quidam, sicut
 ceteri homines.

DE PRÆFECTO PRÆTORIO
 SUMMO. CAP. III.

Quidam in Politicis.

Singula vt ordine gerantur, necesse est, vt vel ipse
 rerum moderator consultationibus præsit, vel ex om-
 nibus aliquem constituat præsidem, cuius ea sit vir-
 tus, vt reliqui, non tam propter eum gradum ac di-
 gnitatem, quàm propter ingenij dotem, prudentiam
 & iustitiam, ipsum reuereantur, & in honore habeant.

Primus Hispaniæ magistratus est, præfectus præ-
 2 torio summo: quem præsidem consilij regij, siue præ-
 sidentem vocant. Is in Hispaniæ curia primum locum
 post regem obtinet, & regio consilio præest. Ad hunc
 grauissima quæque negotia totius regni referuntur,
 & ea omnia ipse cum regiis consiliariis confert. Sed

Z

maxi-

maximum atque præcipuum eiusdem munus est (vt mihi quidem videtur) viros idoneos eligere, quibus administrationem reip. Rex tutò committere valeat; salus enim reipublicæ in magistratibus sita est.

Isocrates oratione de Regno

3 Operam dare, vt honores, & magistratus ad optimos quosq; deferantur, et ceteri tui sint ab omni iniuria: elemēta prima, & maxima sunt felicitis reipublicæ.

4 Munera quidem, officia publica ad utilitatem reipublicæ sunt inuenta, non autem ad huius vel illius commoditatem: debentur sanè meliora melioribus, sed optima omnium reipublicæ.

Plato lib. 3. de Legibus.

5 Oportet ciuitatem, quæ pro humanis viribus salua felixque futura est, rectè honores distribuere. Recta verò distributio est, quæ pro meritis ac dignitate fit: quemadmodum Aristoteles docet lib. 3. Eth. cap. 3.

Isocrates ad Philippum epistola 4.

6 Omnes boni & docti, eos qui præstantibus doctrina, & virtute iuris honorem habent, non minus laudant & venerantur, quàm si in ipsos omnia collata fuissent.

Plinius in Panegyrico ad Traianum.

7 Omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quàm ad similes redundat.

Philostratus lib. 4. de vita Apollonij cap. 5.

8 Est vitis sapientibus erga sapientes affinitas quedã.

Claudianus lib. 6.

9 Non obruta virtus
Paupertate laet: lectos ex omnibus oris

Euehis,

Euehis, & nunquam meriti cunabula quæris.
Et qualis, non vnde satus: sub teste benigno
Viuitur, egregios inuitant præmia mores.
Hinc præcæ redeunt artes, felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, despectaque musæ
Colla leuant: opibusque fluens, & pauper eodem
Nititur ad fructum studio, cum cernat vterque
Quòd nec inops iaceat probitas, nec inertia furgat
Diuitiis.

Arnoldus Ferronus lib. 2. de rebus gestis Gallorum.

Carolus 8. magistratus non nisi eruditissimis, & probatissimisque viris dedit, ac sæpe falsus ab aulicis qui inde pecuniam extorquebant, ad senatoriũ gradum neminem admittit, qui non ab ipso senatu nominatus lectusque esset.

Biesius lib. 4. de rep.

Sapientibus non admodum difficile est discernere viros bonos à malis, doctos ab indoctis, idoneos ab inutilibus; hæc enim cognitu facilia sunt, nisi cæcutiremus: sed habemus fermè mentis oculos caligine priuati fauoris obscuratos, qui nos dignitatem cuiusque & utilitatẽ reipublicæ intueri nõ sinat. Hinc etiam fit, vt quisque potissimum eos, quos quacunque de causa maximè diligit, ad honores summos euectos cupiat.

Inuiti & non ambientes in rempublicam collocentur. Nam qui honores ambiunt, suam ipsorum non reipublicæ commoditatem querunt. Adde quòd ambitio, vt rectè Cassiodorus ait, iustitiæ semper est inimica. Sequamur igitur præceptum consequens.

Iustinianus constitutione 8.

Ad officia publica gerenda ij sunt eligendi, qui
Z 2 graui-

grauitate morum ceteros præcellant, & peritiam habeant rationū publicarum, & qui bonitatis de se experimētum dederint, & gerendis officiis sint idonei.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

- 14 Cauendum est, ne is, qui tum primum temp. attingit, magnis repente honoribus auctus, intemperantiū se gerat, & insolentia præcepta à mente deficiat: honor enim maximus & repentinus mentē atq; sensum eripit omnibus, qui firma stirpe virtutis innixi minimè fuerint.

DE CONSILIARIIS REGIIS.

CAP. IIII.

1 Multa sunt in regis curia tribunalia summa, quorū consilio rex cuncta gubernat. In præsentia tamen de tribunali dumtaxat summo, quod regium consilium vocant, nonnulla succinctè commemorabo. Nā de sacrosancto illo tribunali, in quo de causis religionis agitur, in nostris catholicis institutionibus copiosissimè differuimus. Cætera verò tribunalia (Aragoniarum, rerum Italianarum, Indiarum, militiarum, siue ordinū, & patrimonij principis) & regia sunt, & summa, & regij consilij instar obtinent.

Proverb. cap. 11. & 13. & 15.

- 2 Salus erit vbi multa consilia.
Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium: vbi verò plures sunt consiliarij, confirmantur.

Tobia 4.

- 3 Consilium semper à sapiente perquire.

Menander.

- 4 Non est quicquam in hominum natura maius ratione.

ratione, & consilio. & iterum: Consiliariis qui præstat ratione, omnia habet. & alibi: Sapere plus potest, quàm brachium robustum.

Aristoteles lib. 3. Polit. cap. 12.

Incredibile est quenquam melius videre duobus oculis, & duabus auribus iudicando, & duobus pedibus duabusque manibus agendo, quàm multos multos; quamobrem principes ac reges nunc quoq; multos sibi oculos, multas aures, multas item manus atque pedes faciunt.

Idem eiusdem lib. cap. 7.

Cum conueniunt multi, suam quisque partē habent virtutis atque prudentiæ, suntque quasi vnus homo multipes (vrita loquar) & multimanus, ac multis sensibus multisque moribus & intelligentiis præditus; quo fit, vt multi rectius iudicium, quàm singuli ferant.

Proclus de anima, & demone.

Vnumquodque sufficientiam nō habens, per communionem mutuam supplet naturæ defectum. Hac vtrique ratione homines singuli seorsum debiles, in commune ad consilium congregantur, diuisam ita mentem inuicem copulantes, & quasi ex scintillis lumen vnum accendere contendentes.

Philo lib. de creatione Principis.

Summæ potestatis officium est, eligere aliquot administrationis reddendiq; iuris socios. Vnus enim non sufficit, quantumvis alacris, fortisque corpore, simul atq; animo in tanta mole negotiorum, ac multitudine, quotidie aliis affluentibus super alia. proinde assumendi sunt optimates selecti, spectatæ prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ, pietatis; incorrupti, &

ante omnia infensi superbiæ. Nam huiusmodi viri maximè idonei sunt ad subleuandum ope sua bonū honestūque principem.

Herodotus lib. 7.

9 Bene consultare, comperio maximum esse lucrum. Nam etiam si quid è contrario euenturum est, nihilo tamen minus bene consultum est, superauitque fortuna consilium. *Et post aliqua.* Dixit Artabanus ad Xerxem: Apud me rex tantundem valet, bene sentire per se, & alteri bonam dicenti sententiam, accedere.

Pythagoras in carminibus.

10 Consulta ante opus, nequid stulti committas: Stolidi enim est viri, & facere, & dicere incōsiderata.

Homerus lib. 10. Iliados.

Maior adest, & plena duobus

11 Pectoris atque animi præstantia, copia rerum
Vberior, vis consilij præsentior omnis:
Dū nunc hic, nunc ille aliquid, quod & vtile credat,
Inuenit, alter & alterius sæpe indiget vsu.
Atqui solus erit, si fortè quid vtile rebus
Cogitet, inueniatque, animo per sæpe labanti
Deficit, & timidum fugit omnis consilij vis.

Plato in Protagora.

12 Arbitror haud abs re ab Homero dictum fuisse, si duo simul coëant; alter altero magis intellexerit: expeditiores namq; sumus cuncti ad quodlibet opus, verbum & sensum inuestigandum, quàm singuli.

Plautus in Milite glorioso.

13 Nemo solus satis sapit.

Onofander lib. de optimo Imperatore.

14 Quæ per se quisque inuenierit, secum solus meditatione discutere potest, sed non continuò eadem probare

probare debet. Cogitationes enim atque consilia nostra, vt quibus natura afficimur, nisi fidele foris per consultationem sit adhibitum consilium, failere nos faciliè possunt; & errorum plena sæpenumero comperiuntur. Contrà, quæ alieno iudicio atque sententia comprobantur, securitatem comparant animo, & firmitatem in rebus tuentur.

Plato diuinus in Theagene,

Consilium sacram rem esse dicit.

15

Dinarchus oratione contra Demosthenem.

In bonis dacibus, & probis consiliariis omnis & 16
ciuitatis, & gentis est posita salus.

Insidi prauique consiliarij fontes sunt ferè malorum omnium, quibus sæpe turbatur vita mortalium, atque respublica.

Theognides in sententiis.

Prauorum consulta hominum euitare memento, 18

Ardua si fuerit res obeunda tibi.

Quidam Græcus pœta.

Consilij enim boni opera bona sunt.

19

Et aliter:

Consilio recto nihil tutius.

20

Et alius:

Malo consilio multas iacturas faciunt mortales.

21

Menander.

Sic fata ferunt, pro malis vt consiliis

22

Malam vicissim talionem lucrentur homines.

Ferus in Mattheum cap. 12.

Nemo officium suum intermittat, ob id quòd videat se frustra laborare, aut mala pro bonis recipere: imò eo fortius quæ officij sui sunt agat: ob id enim permittit Deus nos sapius frustra laborare, vt discamus

mus operis fructum non nostræ industriæ esse, sed Dei; sicut Paulus ait, ego plantaui, Deus autem incrementum dedit. Sic & probi consiliarij bonam sententiam dicere debent, tametsi laborare frustra videantur: Deus enim reddet mercedem bonorum laborum, quamvis effectum non consequantur.

Sapiens quidam.

- 24 Ne sis iudex vnicus, id est, ne temerè solus iudicis officium subeas, quasi solus sufficias, & videre possis quid æquum sit vel iniquum; nemo enim vnus omnia videt, nec vni dat cuncta Deus.

Quidam in Politicis.

- 25 Infinita est nostro seculo improbitas & perfidia quorundam consiliatorum, qui suadent, non ea quæ honesta & salutaria esse, sed quæ principum cupiditatibus arridere, ac seruire intelligunt. & est hæc ferè summa aulicorum sapiëntia, animaduertere, quò principis voluntas propendeat, ac ad eum scopum omnia sua consilia dirigere, vt consiliarij Cambysis, cui inquirenti, an liceret sororem in matrimonium ducere, responderunt, regi licere quidquid velit.

Orosius lib. 7. de regis institutione.

- 26 In primis necesse est, vt regis consiliarij sint maximo ingenio præditi, bonis artibus exculsi, longo rerum vsu periti, in historiis diligentissimè versati: neq; præsentia tantum sagaciter odorantes, sed longè in posterum, quod vtile futurum reip. sit, coniectura prouidentes.

Et lib. 8.

- 27 Necesse in primis est, vt consiliarij regis Dei numen cultu sanctissimo, atque pietatis plenissimo venerentur; nec enim consiliū de rebus maximis inire possunt,

possunt, nisi mentem habeant castam & puram, & splendore diuino collucentem, & robore & constantia diuina confirmatam: quod totum est in sanctissima religione positum.

Et paulò post.

In regum igitur consiliis primus locus esse debet religionis & sanctimonix: secundus autem dignitatis: tertius utilitatis.

Et post aliqua.

Si igitur reges fuerint horum hominum comitatu circumsepti, qui sapientia, fide, virtute, religione, optimaque dicendi ratione præstent, errare certè nõ poterunt.

DE CONSULTATIONE, AC DELIBERATIONE. CAP. V.

Ex Aristotele lib. 6. Eth. cap. 9.

Consultare, aliquid quærere est, & qui consultat, quærit, & ratiocinatur: & bona consultatio rectitudo quædam consilij est, nec sine ratione consultatio bona est. & rectè aiunt, citò agenda esse, quæ consultaueris: tardè verò, ac diu consultandum.

Idem lib. 2. c. 10.

Deliberatiuam facultatem voco, cuius principium est consultatio. itaque deliberatio esse videtur electio alicuius eorū, quæ in consultatione discussa sunt.

Grimaltus lib. 2. de optimo Senatore.

Ex bona, prudentique deliberatione prudens soler nasci consilium: quod præcipuum est ad res bene gerendas fundamentum. est autem cõsiliū, aliquid faciendi, vel non faciendi excogitata ratio. consiliū subsequitur sententia: quæ nihil aliud est, quàm animi

& consilij nostri explicata significatio: quæ enim cogitamus, ea necesse est voce & oratione exprimere, ut sciatur id, quod in mente hominis, & ratione latet.

Ex Aristotele lib. 3. Eth. cap. 3.

- 4 Id consultabile est, de quo mentis compos vir, non quiuis stolidus consultaret. de æternis autem nemo consultat: neque de iis, quæ naturalia sunt, vel fortuita: neque de his quæ per nos agi non possunt. consultamus autem de agendis rebus, atque iis, quæ in nostra sita sunt potestate; & quæ non semper eodem modo adueniunt. ad magnas verò res consultores adhibere consueuimus: & consultamus quidem non de finibus, sed de iis, quæ ad finem tendunt. Nam neque vir ciuilis, an bene legibus institutam patriam reddere debeat, nec ex aliis quispiam de fine consultat, sed omnes cum finem quendam statuerint, quomodo, ac per quæ euenire is possit, deliberant: quod si is per plura fieri posse videatur, per quod nam facillimè, atque optimè fieri queat, considerant: si per vnum, quomodo per id effici rectè valeat: & illud item per quid, donec ad primam causam deuenerint.

Et ibidem.

- 5 Quælibet autem consultatio, quæstio, & inquisitio est: consultabile verò, & eligibile idem est, nisi quod eligibile definitum iam est; cum nihil aliud sit, quam id quod ex deliberatione antepositum fuerit. bona autem consultatio, rectitudo ea esse videtur, quæ secundum vtilitatem ad quædam finem spectat: cuius vera existimatio prudentia est, ut idem Aristoteles docet lib. 6. Eth. cap. 9.

Ex eodem, lib. 3. Topicorum.

- 6 Quod est diuturnius stabiliusve, eligibilis est eo, quod

quod minus huiusmodi: & quod per se, eo quod est per accidens: & quod melioris proprium, eo quod peioris: & finis, eo quod est ad finem: & duorum id quod propinquius est fini: & cuius finis melior est: & id cui consequens est maius bonum, vel minus malum: & id ex quo plura bona: & quod eo tempore magis valet: & quod in omnitempore, vel in pluribus est vtilius: & id quod propinquius, vel similius bono: & id ex quo nulla molestia sequitur, eligibilis est.

Ex Quintiliano lib. 3. cap. 8.

Omnis deliberatio de dubiis est, ac de honesto, vel utili, & possibili. *Et post aliqua:* Exempla plurimum in consiliis profunt: quia facillimè ad consentiendum homines ducuntur experimentis.

Diuus Gregorius Nyssenus lib. 5. de Philosophia cap. 4.

Consultatio est de rebus gerendis quæstio: eligibile verò est quod ex consilio decernitur. liquet igitur consultationem esse in his, quæ adhuc quaruntur: electionem autem in his, quæ iam à iudicio statuta sunt. *Et paulò post:* Nullus quicquam decernit non prius consultans; neque eligit non diiudicans: electio igitur circa hæc necessariò est, circa quæ consilium. Concluditur denique electionem esse appetitum consultatiuum eorum quæ sunt in nobis. id enim quod consilio creuimus, eligendo cupimus.

Et ibidem cap. 5.

Consilium à quæstione differt, nec enim idem est, consilium, & quæstio: nam & si consultans querendo aliquid consultet, multum tamen differunt. est enim quæstio genus consilij. nam de pluribus dicitur; siquidem omne consilium quæstio est, non autem

autem omnis quaestio consilium.

Et statim.

10 Consultamus de his quæ in nobis sunt, & per nos fieri possunt, atque incertum habent finem, hoc est, possunt ita & aliter fieri; dicitur autem, quod in nobis est, quia de rebus gerendis dumtaxat consultamus, hæ enim sunt in nobis: neque de omnibus hominibus, neque de omni re consultamus, sed de his, quæ in nobis solum fiunt. non enim consultamus, quo pacto aliena prælia committantur; vel si feliciter agant, longè à nobis habitantes, id quod apud illos nimirum consultabile est; neque de necessariis, neque de impossibilibus quis consultat. &c.

Ex Egidio lib. 3. parte 2. cap. 16.

11 Sub deliberatione atque consultatione non cadunt aliqua. primò ea quæ sunt immutabilia; secundò quæ sunt necessaria; tertio ea quæ fiunt à natura frequenter; quartò, quæ casu aut fortuna contingunt; quintò, ea quæ à nobis mutari & prouideri non possunt; sextò finis rerum agendarum, sed ea quæ sunt ad finem.

12 Tum addo, nõ esse consultatione digna, quæ prodesse possunt, & non nocere; nec ea, quæ nocere possunt, nec prodesse: & ea item aut parua, aut nulla egeat consultatione, quæ multum prodesse possunt, & nocere parum; & quæ nocere plurimum possunt, & parum prodesse.

Ex Egidio loco prenotato cap. 17.

13 Quanto aliquid est magis terminatum, tanto minus eget consilio; nec debet fieri consultatio de rebus minimis: nec vnus deliberare debet solus, sed alios adhibere in consilium. Demum consilia debent esse

arcana,

arcana, & veracia: addo etiam libera, & absque adulatione, & sine respectu personarum; denique iusta & sancta.

Ex sermone 12. diui Augustini.

Cùm carnifex beato Cypriano diceret, consule 14 tibi, fac quod tibi præceptum est; respondit martyr, In re tam iniusta nulla est consultatio. Consulit enim qui consilium vel impertit, vel quærit; non adhuc consulo, quia non adhuc dubito; abstulit enim mihi dubitationem ipsa iustitia.

Conradus de gestis Henrici Septimi.

Enimuerò sicuti rectè institutis diuinus favor 15 arridet: ita improbè consultati (iuxta sexti Pythagorici sententiam) funestus insequitur exitus.

Viues in introductione ad sapientiam.

Vbi tu rectum consilium præstiteris, de euentu ne 16 sis sollicitus: illi fide, in cuius potestate sunt rerum euentus.

DE EODEM SUMMO TRI-

BVNALI. CAP. VI.

Tam necessarij regi sunt assessores & consiliarij, & quàm manus, quàm pedes, quàm oculi.

Arcadius & Honorius lib. 9. Codicis Iustiniani, tit. 8.

Qui consiliis, & consistorio nostro interfunt, pars 2 corporis nostri sunt.

Ex quibus perspicuum est, esse magnificiendos re- 3 gis consiliarios, præsertim sapientes & probos, & qui consilia salutaria regi, & reipublicæ suggerunt.

Socrates ad Nicoclem.

Cordatos homines, & eos, qui longiùs, quàm alij 4 prospicere possunt, magnificito & colito, ac persuasunt

sum habeto, bonum consiliarium vtilissimam & regi omnium dignissimam esse possessionem.

Artaxerxes in epistola ad Hystanidem.

5 Viros inuenire, qui consilio præstent, nõ est facile.

Hippocrates epistola ad senatum & populum.

6 Beati profectò sunt populi, qui sciunt bonos viros sua esse munimenta; & non turre: neque muros, sed sapientium virorum sapientia consilia.

7 Summum hoc regis tribunal, rãquam in specula, & loco superiore positum, omnia ferè grauissima regni negotia tractat, & omnes penè Hispaniarum prouincias rectè gubernat. Sic olim Solon superiorè senatum constituit, eumque speculatorem rerum omnium, ac legum custodem esse voluit. auctor Plutarchus in vita Solonis

8 Cicero summum consilium senatum esse dixit: & alibi addit, senatus reipublicæ custos, præses, propugnator: senatus princeps salutis, mentisque publicæ. senatus officiũ est, consilio, & virtute, & studio reipublicam iuuare.

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo senatore.

9 Senatores viros summa virtute præditos esse volumus; qui sint inter regem, populũmq; interiecti: quorum consiliis gubernaretur respublica, vt salua sit semper & incolumis. horum potestas omnis & auctoritas in consulendo, iudicando, imperando consistat: illisq; rex, vt amicos, & consiliarios habeat: atq; illorum virtute consilioque rebus in arduis vtatur, & propter eos multorum pedum, oculorum, manuum rex dicatur.

Herodianus lib. 6. & Lampridius in Alexandro.

10 Alexãder Seuerus sedecim ordinis senatorij viros ætatis grauitate, vitæque sanctimonia præcellentes, affes-

affectores, & consiliarios delegit: nihilque aut dicebatur, aut agebatur, nisi illorum accedente suffragio. Hi autem fuerunt, Vlpianus, Paulus, Sabinus, Pomponius, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venuleius, Tripho-nius, Metianus, Celsus, Proculus, & Modestinus: omnes illustres iure consulti, omnes iuris professores celeberrimi.

Diuis Bernardus lib. 4. de consideratione ad Eugenium.

Diligenter omne quod faciendum erit, tracta 11
apud te, vt cum his qui te diligunt: & hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficilè in curia posse probari: & ideo, si fieri potest, viros probatos oportere deligi, non probandos. Ergo ad curiæ tribunalia summa viri experientes & probati sunt eligendi, non iuuenes minus experti.

Zonaras in imperio Adriani.

Omnes res magnas & necessarias, nõ priuato con- 12
silio, sed senatoribus adhibitis egit Adrianus.

Iustinianus de iudicibus, constitutione nouella 82.

Deligere nobis visum est iudices, qui ex omni 13
parte rerum præclarè gestarum testimonium habeant, qui quidem generales omnes iudices futuri sunt, vt pote ex omnibus vndique partibus à nobis delecti iudices. Et statim nominat nouem iuris peritos: & priusquam alios quinque illis adiungat, inquit: Quia verò conueniens est, vt etiam maiores quidam inter iudices sint, qui & dignitate præcellant, & multarum insuper rerum experientia, ac longæua maximorum magistratuum tractatione, vel horum multitudine exercitati sint, nec non pietati nostræ constantissimè deseruierint; propterea visum est nobis in cœtum nostro-

nostrorum allegere iudicum, Platonem, Victorem, Phocam, Marcellum, & Apionem.

Dionysius Halicarn. lib. 10.

14 Optimus consultor est, qui nō ad odium, aut gratiam, sed ad vtilitatē publicā attemperat sua consilia,

Philo lib. de Joseph.

15 Rectus iudex auctor & assertor esse debet sententiarum reipublicæ conducibilium, tametsi parum iucundæ auditu fuerint.

Chrysof. lib. contra Gentiles.

16 Vnumquemque oportet suo officio fungi, etiam si inde nullum lucrum ad alios dimanet.

Martinus Laudensis tractatu de consiliariis principum.

17 Iudices & principum consiliarij priuatam vtilitatem, & affectionem abiicere debent, & assumere publicam: quod & olim Romani morebant, qui pro foribus curiæ scripserunt: Hoc limen intrantes, posita priuata charitate, publicam induant.

Laurentius Vallensis lib. 3. Historiarum.

18 Coram regibus pauci in consulendo, quod sentiunt, plerique quod cupiunt loquuntur; vt non sine causa regis prudentia præstare cæteris debeat: cui nō satis sit, dispicere quæ dicantur, nisi etiam quo animo dicantur. Nam frequenter consilium, quod alioqui optimum videbatur, deprehensa consulentis obliqua voluntate, auctoritatem perdit, aut velut inane contemnitur.

Ioannes Magnus lib. 2. historia Gothica cap. 32.

19 Pereant improbi consiliarij, qui aures principum adulationibus & mendacijs, milleque alijs fraudibus in perniciem innocentium seducunt. Profecto nunquam tot bella, tot seditiones, tot regum, ac re-

gnorum

gnorum euerfiones audiremus, si lateribus principū illi fideles consiliarij assisterent, qui suaderent, maiorem rationem iustitiæ atque honestatis habendam esse, quàm sordidi lucri, auri & argenti.

Solon apud Laërtium lib. 1.

Principi consule non dulciora, sed optima.

20

Dion Augustinus ad Casulanum.

Melius est pro veritate pati supplicium, quàm pro adulatione cōsequi beneficium. c. nemo, 11. quest. 3.

Chrysof. siue quis alter in Matth. hom. 29.

operis imperfecti.

Proditor est veritatis, qui non liberè (addo etiam qui tepidè) pronuntiat veritatem, aut non liberè veritatem defendit. c. nolite, 11. questio. 3.

Thomas Morus lib. 2. de optimo reip. statu.

Id quoq; moris habet senatus, vt nihil quo die primū proponitur, eodē disputetur; sed in sequētē senatū differatur: ne quis vbi quod in buccā primū venit, temerè effutierit; ea potius excogitet postea, quib⁹ decreta tueatur sua, quàm quæ ex reipublicæ vsu sint: malitque salutis publicæ, quàm opinionis de se iacturam facere: peruerso quodā, ac præpostero pudore, ne initio parū prospexillè videatur, cui prospiciendū initio fuit, vt consultò potius, quàm citò loqueretur.

Hæc est præcipua pars boni consultoris, dispicere non solum quid per se optimū sit, sed quid pro temporum ratione possit obtineri. Nam in consultationibus non solum quid sit pulcherrimum spectandum est, sed etiam quid fieri possit.

Beatus Augustinus epistola 214.

Turpe est mutare sententiā, sed veram & rectam. Nam & stultam, & noxiam, & laudabile, & salubre

21

Aa

est.

est. Sicut autem constantia non finit hominem de-
prauari, sic pertinacia non finit corrigi: proinde sicut
illa laudanda, sic ista est emendanda.

Hesiodus libro 1.

- 26 Noxius ipse sibi est, alij qui quærit obesse,
Consiliûmque malum danti fert maxima mala.

Laurentius Grimalius lib. 2. de optimo Senatore.

- 27 Prudês senator pericula reipublicæ, inclinationes,
casus, mutationes, prospicere debet. Est enim eius
officium non solum videre præsentia, verum etiam
providere futura: quæ virtus à providendo, prou-
dentia est appellata.

Idem post aliqua.

- 28 Cùm viri prudentis animus rerum & actionum
humanarum cognitione est imbutus; tum præterea
agnoscit præsentium, & præteritarum rerum, quæ
fuerint principia, qui exitus, quæ mutationes, quæ
inclinationes; habet etiam in animo comprehensam
ideã, ac formã rerû gerendarum, quas natura, vel ra-
tio certo & inuolubili cursu gubernat: is, inquam,
omnibus edoctus informatûsque rebus, vbi mentis
aciem paululum exacerit, omniumque actionû hu-
manarum, & rerum publicarum statum prehenderit:
hac certè ratione præuidebit, & præsciet, quid in illis
bonum, quid malum, quid caducum, quid firmum,
durabile, certumve fuerit.

Et paulò post.

- 29 Exemplis quoque & rerum usu, certa quædã pro-
uidentia comparatur: si enim ob mutatam religionẽ
incommoda reipublicæ præcognoscere velit, animû
vertet ad ea pericula, quæ Germaniam, Galliam,
Boëmiam, Vngariam, Angliam propter religionem
mutatam

mutatã labefactarunt; atque id in cæteris rebus, & ca-
sibus præsentendis efficiet.

*Sanctus Chrysof. in posteriore epistolam
ad Cor. serm. 18.*

Ne despiciamus eos qui vtilia consulunt; neque 30
illa, quæ nos introduxerimus, vim habere ac robur
omnia putemus; sed ea quæ apparent conducibilia,
hæc ab omnibus confirmantur: sæpe enim fit, vt hal-
lucinantes pleraque videant, quæ non cernant acutè
videntes, eo quòd diligentiores sint, & circumspectio-
res; consiliarius enim solum Dominus est, vt lo-
quatur sua. si autem & alio vtiliora ostendenti, vult
fieri ea quæ ipse dicit, non iam consiliarius est, sed ty-
rannus. proinde non sic faciamus, sed liberemus ani-
mam ab omni fastu, & arrogantia; consideremus, nõ
solum vt nostra subsistant, sed vt vtilis sententia ro-
bur habeat, etiam si à nobis non afferatur: neq; enim
paruum lucrum facimus, etiam si non quæ oportet
inueniamus ipsi, sed accipiamus ea, quæ ab aliis rectè
dicta sunt. nam & sic à Deo mercedem accipiemus.
Quemadmodum enim ille, qui vtilia dixerit, sapiens
est: ita nos ea recipientes, laudem consequemur intel-
ligentiæ, & obsequiæ. ita & domus, & ciuitates, &
ecclesiæ, si sic regantur, magnum accipient incremen-
tum, & nos quoque optimè administrata vita hac, fu-
tura bona adipiscemur.

Ioan. Hofmeisterus in cap. 5. Actorum Apostolorum.

Senatorum ac iudicû est, etsi infimo loco sedeant, 31
sententiam suam liberè proferre, nullo respectu ha-
bito, vel senioris, vel iunioris: sapientia enim nulli
arati alligata est. nefas enim est, si quis pro veritate
rogatus sententiam suam qualemcunque etiam disti-

mulat. quòd si protuleris sententiam tuam, si proba fuerit, fortè alij in eam descendunt, sua ipsorum reiecta: sin improba, hoc lucraberis, vt redargutus, postea melius sapias. & post aliqua: Ergo bonum est, vt in senatu singuli suam sententiam liberè, modestè tamen proferant, semper parati melioribus cedere.

Amianus Marcellinus lib. 26.

32 Vbi consiliis impiis iura prætentur, & leges, ibi capitalis vertitur pernicies, & abrupta.

Rectè Theognis:

33 Recti recta monent, prauos si audiueris, illi Quidquid habes mentis, fraudibus eripient.

DE CONSILIARIIS CAMERÆ, VT VOCANT.

CAP. VII.

1 Ex ipso tribunali summo deligi solent vnus, duo, vel tres, qui regi sint à consiliis Cameræ, vt nominant. Ad horum officium pertinet, referre ad regem de decretis siue dispensationibus, quæ à solo rege conceduntur; qualia sunt, ætatis venia, quarundam pœnarum condonatio, facultas constituendi primogenita siue maioratus, & mille talia.

Plato libro ciuili.

2 Lex nequit, quod optimum est omnibus, & iustissimum, sincerè cõprehendèdo, semper ita, vt operæpretium est, præcipere: quando hominum, actionumque distantia, & instabilis rerum humanarum conditio facit, vt ars nulla simplex quicquam, & in vniuersum de omnibus, perq; omne tempus valens, cõstituere possit: nec legislator dum cunctis in vnum cõsulit, singulorũ cõmoditatè, iusve prospicere valet.

Hac

Hac eadem Aristoteles tradit lib. 5. Eth. cap. 10.

post alia dicens:

Quando lex in vniuersum dixerit, & præter vniuersum 3
postea quippiam contigerit; tunc rectè se habet, si qua legislator omisit, absolutè que ac simpliciter loquendo peccauit, corrigatur defectus: id quod legislator ipse si adesset, dixissetque si sciisset, ita præscribentem legem instituisset.

Iustum igitur decretum regis, & recta dispensatio, 4
non est legum violatio, sed exceptio, declaratio, & emendatio: quæ tunc demũ fieri debet, cum id epieicia cogit, aut certè suadet, prægrauante æqui bonique lance, perpenis temporum, personarum, locorum, & aliis qualitatibus, & circumstantiis.

Aristoteles lib. 2. Magn. moral. cap. 1.

Æquus est, qui descripta legibus iusta diminuit, 5
ac moderatur. Nam quæ legislator particulatim ad vnguem definit non potest, sed in vniuersum loquitur; hic in eisdè intercedens, ea deligit, quæ legislator particulariter quidem definire volebat, verũm ei facere non licuit: eiusmodi certè æquus est; non omnino iusta diminuens, quando quidem, quæ natura, ac verè iusta sunt, nõ diminuit; sed ea dumtaxat, quæ legislator deseruit, cum explere non potest.

Peruelim equidem, vt hi regij consiliarij tria semper 6
ante oculos habeant: vnum, ne quid regi persuadeant, quod æquum & bonum non sit.

Alterum, vt equo animo ferant, si quis decreto, vel 7
dispensatione laxus, principi supplicauerit; nec aditũ ad iustitiæ tribunal intercludant: quando quidem ea decreta, sine causæ cognitione, & parte inaudita altera, fieri solent.

A a 3

Tertium,

8 Tertium, vt in dispensationibus tribuendis meminerint Beati Bernardi (lib. 3. de cōsideratione ad Eugenium) dicentis: vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est; vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis est; vtilitas dico communis, non propria, non priuata. Nam cū nihil horum est: non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

Concilium Tridentinum sessione suprema, cap. 18.

9 Sicuti publicè expedit, legis vinculum aliquando relaxare, vt plenius euenientibus casibus, & necessitatibus pro communi vtilitate satisfiat; sic frequentiùs legem soluere, exemptè que potius, quàm certo personarum, rerūque delectu petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. quòd si vrgens necessitas, iustaque ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerit, cum aliquibus dispensandum esse: id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscunque dispensatio pertinet, erit præstandum.

Sallustius in posteriore oratione de republica ordinanda.

10 Ego multa legendo atque audiendo ita comperi: omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prosperè imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt: vbi autem gratia, timor, voluptas, ea corrumpere; paulo post imminutæ, deinde ademptum imperium: postremò seruitus imposita est.

Herodotus lib. 3.

11 Ex optimis viris credibile est optima existere consilia.

Nicolaus tertius lib. 6. decretaliū, tit. de electione, cap. 17.

12 Decet, ipsi Romano Pontifici, per fratres suos, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales (qui sibi in execu-

executione officij sacerdotalis coadiutores assistūt) libera prouenire consilia; decet ipsius nullo modo vacillare iudicia, vt fratres ipsos nullus secularis potestatis nutus exterreat, nullus temporalis fauor absorbeat, nullus eis terror imminet, nihil eos à veri consilij soliditate remoueat: quia cū per ipsum Romanum Pontificem in quibuscunque negotiis contigerit eorum peti consilia, in consulendo per omnia liberi, eidem Romano Pontifici in omnibus, quæ pro tempore imminent, liberè consulant, & assistant: ipsaque Romani Pontificis, vicarij Dei, quæ suis temporibus occurrerit electio, & eorundem Cardinalium (cū expedierit) facienda promotio, in omni libertate procedant, hæc ille, quæ omnia vtiā ipsi ante oculos semper haberēt, atque ad effectū perducerēt.

DE ÆTATE CONSILIARIO- RVM. CAP. VIII.

Regis assessores, & summorum tribunalium consiliarij, senes esse debent.

Iob cap. 2. & 32.

In antiquis est sapientia, & in multo tēpore prudentia: annorum multitudo docet sapientiam.

Ecclesiastici cap. 25.

Quàm speciosum canitici iudicium, & speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & cōsiliū.

Diuus Hieronymus epist. 2.

Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cætera. & post aliqua: Senectus eorum, qui adolescentiā suam honestis artibus instruxerunt, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior, & veterum stu-

diorum dulcissimos fructus ment.

Plato lib. 6. de Legibus.

5 Custos legum, non plus quam annos viginti hunc habeat magistratum; nec pauciores natus, quam quinquaginta, eum gerat.

Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 16.

6 Mēs & intellectus in plerisque maximè viget circa quinquagesimum annum.

Philostratus lib. 5. de vita Apollonij cap. 9.

7 Claudius annos natus quinquaginta, imperium est adeptus; quo tēpore in hominibus vigere maximè solet ingenium.

Heraclides de Politis.

8 Lex erat apud Chalcidenses, ne quis annos natus infra quinquaginta, vel magistratum gereret, vel legationem obiret.

Plato lib. 3. de rep.

9 Non iuuenem, sed senem, iudicem bonum esse oportet, qui serò quale quid iustitia sit, didicerit: tanquam qui non propriam in animo suo eam senserit, sed alienam in aliis animis longo tempore nouerit, atque idcirco cuiusmodi sit malū discernat, scientia potius quam propria experientia iudicans; generosissimus certè iudex huiusmodi esse videatur.

Diuus Ambrosius epistola 60.

10 Verè senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit: ea est enim reuerenda canities, quæ est canities animæ in canis cogitationibus, & operibus effulgēs. quæ est enim verè ætas senectutis, nisi vita immaculata?

Isocrates Iasonis liberis epist. 6.

11 Experientia, & rerum multarum vsus senes erudit,

dit, atque efficit, ut quidquid expediat, acutiùs quam alij prospicere posse videantur.

Cicero in Catone maiore.

Mens, ratio, & consilium in senibus est: qui si in nulli fuissent, nullæ omnino ciuitates essent.

Liuius lib. 3. scribit:

Feruorem & audaciam, ætatem quotidie auferre: consilium autem indies crescere, senescētibus virtutis, maturascente virtute.

Euripides in Phœnissis.

Experientia senum

Plus sapientiæ demonstrare potest, quam iuuenes.

Idem in Bellerophonte.

Manus quidem iuueniles ad agendum robustæ sunt, seniorum autem sententiæ præstant. Tempus enim multam & variam doctrinam parit.

Sophocles in Thyeste.

Solent senilem ætatem mens etiam, & opportuna consilia sequi.

Diuus Thomas in Matt. cap. 3.

Notandum, quòd Ioannes in trigésimo anno hoc fecit, in qua ætate Dauid etiam factus est rex, & Ioseph gubernacula regni Ægypti suscepit. per quod datur intelligi, quòd ad nullum officium debet aliquis assumi ante perfectam ætatem. Et post multa: Christus cœpit prædicare in trigésimo anno, ut daret documentū, quòd officium prædicationis, & prælationis nõ debet aliquis sumere ante perfectam ætatem.

Isidorus lib. 2. de ecclesiasticis officijs, cap. 5.

Ætas triginta annorum profectu iam non indiget paruulorum, sed perfectione sui plena est & robusta, & ad omne disciplinæ ac magisterij exercitium præparata.

Ovidius lib. 5. Fastorum.

- 19 Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet.

Idem lib. 9. Metamor.

- 20 Iura senes norint, & quid liceatque nefa que,
Fasque sit inquirant, legumque examina seruent.

Cassiodorus lib. de anima.

- 21 Ætate maturi melius sapere iudicantur: quia senescentibus membris, & corporalibus sensibus emoluitis, proxima parte in consilium transeunt: Vbi dum mens amplius occupatur, robustior virtute adunationis efficitur.

Auerroes in libros Platonis de rep. tractatu 1.

- 22 Reipublice gubernacula senioribus debentur, qui præter quod scientias speculatiuas adepti sunt, obtinent præterea experimentum longo tempore acquisitum.

Quidam poëta Græci.

- 23 Sententiæ meliores sunt seniorum.
24 Canities temporis indicatio est, non prudentiæ.

Simylus.

- 25 Natura, voluntas, diligentia, ordo,
Sapientes faciunt, bonosque viros: annorum verò
Numerus nihil præter senectutem parit.

Chrysof. epist. 7.

- 26 Adolescentium animæ non admodum prudentia muniuntur, nec plurimum virtuti commodant studium: sed tempestas in eis acerbior passionum, & ratio, quæ vitia gubernat, infirmior.

Laurentius Grimalius lib. 2. de optimo fenatore.

- 27 Senes igitur dicenda sententia valent, tametsi sint indocti: vsu enim & experientia tertium quendam oculum

oculum sunt adepti, quo rerum principia, & euentus facile perspiciunt.

Sed senes decrepiti, bis pueri sunt, & res omnes 28
(vt ait Horatius) timidè gelideque ministrant.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 7.

Vt corpus, sic item mens, suum habet senium. 29

Viues lib. 2. de anima.

Quemadmodum in infantia non vititur ratio suis 30
organis, quia nondum sunt apta: sic neque in decrepita senectæ, quia iam desierunt esse apta, magno scilicet vsu detrita, & corrupta.

Peculiaris querela est senibus, de rebus in dete- 31
rius prolapsis; & vt Cornelius Gallus de senecæ cecinit:

Est osor præsentis; laudator temporis acti

Se puero. *Arist. lib. 7. Polit. cap. 8.*

Qui ætate confecta sunt, in Deo colendo requie- 32
scere debent.

Sanctus Hieronym. in proæmio 2. in Amos.

Senectus nos ab imprudentissimis dominis libe- 33
rat voluptatibus, gulæ imponit modum, libidinis frangit impetus, auget sapientiã, dat maturiora consilia.

DE CONSILIO IUVENVM.

CAP. IX.

Temeraria & periculosa esse consilia iuuenum, multis & magnis exemplis iam pridem compertum est: sed vno dumtaxat memorabili contentus ero.

Lib. 3. Regnarum, cap. 12.

Cum Israelitæ loquerentur ad regem Roboam, di- 2
centes: Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod im-
impo-

imposuit nobis, & seruiemustibi. Inijt consilium Roboam cum senioribus, qui assistebant coram Salomone patre eius, qui dixerunt ei: Si hodie petitioni eorum cesseris, locutusque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cunctis diebus. Qui dereliquit consilium senum, & adhibuit adolentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi, dixitque ad eos: Quod mihi datis consilium, ut respondeam populo huic? Et dixerunt ei iuvenes: sic loquere populo: Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei, & ego addam super iugum vestrum: pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.

Placuit consilium hoc Roboam, & respondit populo dura, ut iuvenes consuluerunt. Deinde misit Aduram, qui erat super tributa, & lapidauit eum omnis Israel, & mortuus est: & ipse Roboam fugit in Hierusalem, & recessit Israel à domo David vsque ad præsentem diem. Itaque toto (quod aiunt) cælo errauit Roboam, quia relicto consilio seniorum, secutus fuit consilia iuuenum.

Cicero in Catone maiore.

Temeritas est florentis ætatis, prudentia senectutis: multoque maiora, & meliora faciunt senes prudentes, quam iuvenes. Non enim viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed ratione, consilio, auctoritate, & sententia. quod si legere, & audire voletis externa; maximas res publicas per adolescentulos labefactatas, à senibus sustentatas, & restitutas reperietis.

Antonius Melissa lib. 2. sermone 20.

In omni ferè negotio periculosa sunt adolescentulorum consilia.

consilia, nec facillè reperias, qui aliquid rectè gesserint rerum magnarum, quibus cani non fuerint ad consultationis communionem adhibiti.

Diuus August. ad fratres in eremo, sermone 14.

Regnum Romanorum tam diu perseuerauit, quam diu sapientes regere permiserunt. sed dum iuvenes inexpertes elegerunt, tanquam iustitiam ignorantes, acceptores personarum facti sunt, & iustitiam perdentes, dominium orbis terrarum amiserunt. Iuvenes ergo imprudentes, constituendi non sunt duces, vel ecclesiarum pastores, ne ipsi simul cum populo pereant. tales enim si præsumunt, non solum præterita & futura non cogitant, sed aures etiam obturant, ne quod verum & bonum est, audiant.

Chrysostr. in cap. 3. Isaiæ.

Instituam adolescentulos principes eorum. Per adolescentulos non est intelligendum eam ætatem subijcere calumniæ simpliciter, sed ex redundanti ostendit principum amentiam. Contingit enim iuvenes esse cordatos ac prudentes: contra videre licet, qui vnà cum stoliditate, & deliciis consenuerint. Cæterum consuevit hoc rarius contingere, illud autem diuersum in vsu est frequenti: quare mente captos principes nominauit adolescentulos.

Hieronymus in Esaiam cap. 3.

Cum senes Iudææ perdidit, quo modo potuit habere consilium, quod propriè seniorum est?

Claudius lib. 1. de officio iudicis cap. 3.

Quamquam in deligendo iudice nullius rei æquè sit habenda ratio, atque sapientiæ & integritatis; conuenire tamen videtur, ut natu grandes ei muneri præficiantur, vnde reipublicæ pender incolumitas. Nam
& senibus

& senibus plus adesse ex usu rerum prudentiæ solet, & affectus sunt moderatiores: tum etiã relucet quidam in senis vultu obseruandæ maturitatis, quod illi plurimum apud populum auctoritatis conciliat.

DE IURIDICIS CONVEN.

TIBVS. CAP. X.

Ferus in Ecclesiastem cap. 3.

1 Locus iudicij & iustitiæ sunt, ac debent esse curiæ principum, prætoria & cancellariæ: iuxta illud, Audite principes, nonne vestrum est scire iudicium? etc. item, Diligite iustitiã, qui iudicatis terram. *Michæa 3. Sapient. 1.*

2 Quidam sunt iuridici conuentus in Hispania, sed duo præcipui, Valdolitanus, & Granatensis: quos Audientias & Cancellarias vulgò appellant. ac de his in præsentia nonnulla dicemus.

3 In vtroque horum conuentuum sedecim selecti iudices (quos Auditores vocant) in quatuor aulas siue classes diuisi, causis ciuilibus finem imponunt. Hi causas appellationum excutiunt; & aliorum omnium iudicum sententias aut confirmant, aut in melius reformant. Ab his prouocare non licet, sed eisdem supplicari potest.

4 Ad onera huius officij subeunda viribus opus est: quam ob rem aptiores erunt huic muneri iuuenes, quàm senes. Vetus quidem dictum est, hæc officia senum esse, verùm præ nimio labore, à senibus non sat commodè administrari posse.

5 In summis curiæ tribunalibus prudentia & experientia maximè opus est. in his verò conuentibus patientia & magna iuris peritia necessaria est. Et hinc assumen-

assumendi sunt ad illa gubernationis tribunalia, posteaquam hoc summum iustitiæ munus rectissimè iudices gesserint.

Ætas huic officio idonea (mea quidem sententia) 6 erit à trigesimo ad quinquagesimum annum.

Ioan. Chrysost. in Euang. Marci, homil. postrema.

Hominibus perfecta ætas triginta annorum est. 7

Theophylactus in Euang. Luca, cap. 3.

Ætas triginta annorum perfectissima est, & illa 8 homo vel probus, vel improbus cognoscitur.

Dionysius Halicarnas. lib. 2.

Quadragesima annorum ætas est prudentissima. 9

Plinius Traiano lib. 10. epistolæ.

Cautum est, Domine, Pompeia lege, quæ Bithyniis 10 data est, ne quis capiat magistratum, nè sit in senatu minor annorum triginta.

ADHVC DE EADEM RE.

CAP. XI.

Cicero in Catone maiore.

Non cani, non rugæ repenti auctoritatem afferre 1 possunt, sed honestè acta superior ætas fructus capit auctoritatis extremos.

Prouerb. c. 16. & 20.

Corona dignitatis est senectus, quæ in viis iustitiæ 2 reperietur: dignitas senum canities. sed vt Ecclesiasticus inquit, Canities hominum prudentia est.

Sapientia cap. 4.

Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: Cani autem sunt sensus 3 hominis, & ætas senectutis vita immaculata.

Philo in fine libri de Abrahamo.

Reuera senior non ex longitudine temporis, sed 4 ex

ex laudata vita spectatur; siquidem qui multum aetatis in corpore viuunt sine probitate, longè pueri dicendi sunt; quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canitie.

Origenes super Genesim homil. 3. & in librum Iesus Naue hom. 10.

Hieronymus in Isaiam cap. 3.

Chrysof. in epist. Pauli ad Hebræos hom. 7.

5 Omnes vno ore dicunt: non senectam corporis, sed cordis maturitatem, veram senectutem esse.

6 Non igitur eligendi quilibet senes, nec omnes iuniores sunt repudiandi; sed ex viris probis, iurisque peritis permiscendi erunt iuuenes cum senioribus, ut illorum viribus, & horum prudentia, & virorumque scientia, controuersis ciuium finis optimus imponatur.

Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 9.

7 Non est eodem tempore omni aetati committenda respublica; sed prout ratio nature postulat: quæ ut iunioribus vires, sic senioribus prudentiam largitur.

Euripides in Menalip.

8 Vetus hoc dictum est: opera quidem iuniorum, consilia autem seniorum vim habere.

Iuuenes sanè aptiores sunt ad labores; sunt item diligentiores & acutiores: senes verò etsi prudentiores sint, debiliores tamen atque tardiores esse solent.

Ioan. Chrysof. in epist. Pauli ad Titum hom. 4.

9 Viria quædam propria senectuti insunt, scilicet senectus quædam, ac tarditas, obliuio profunda, obliuio sensuum, iracundia, atque pusillanimitas.

DE

DE DIVERSIS, ET PRO-
LIXIS SENTENTIIS.

CAP. XII.

Quamuis iudices amici, & vnanimes sint, fieri tamen non potest, quin in ferendis suffragiis nonnunquam dissentiant; vel propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem: vel, ut Iustinianus ait, quòd nihil in rebus humanis sit vsq; adeò semotum ab omni controuersia, tamen si maximam cum iustitiæ coniunctionem habeat, quod dubitationem & controuersiam non recipiat, si subtiliter animi curas intendas: vel quia nihil est in iure non vndique controuersum; siue id faciat legum obscuritas, siue rerum ipsarum iniquitas, siue ingeniorum diuersitas, siue imbecillitatis humanæ infelicitas quædam, siue horum singula, siue omnia simul.

His accedunt quæstiones inexplicabiles, facta dubia & obscura, testimonia varia & pugnancia: ut magis sit mirū collegas frequentissimè consentire, quàm dissentire nonnunquam. Accedit eodem, quòd, ut quidam eleganter scripsit, homines non facie tantum, sed omnino cōsilio, opinionibus, iudiciis, quàm dissimillimi sunt; adeò ut vix in tanta multitudine haud temerè duos reperias, qui aut vultu sint simili, aut probent eadem. Quot homines, tot sententiæ; quod huic bonum, illi malum; quod illi suaue, huic amarum. inde etiam Horatio

Tres conuiue propè dissentire videntur,
Poscentes vario multum diuersa palato.

At multò maiorem inesse ingeniis, quàm palatis diuersitatem, vel cæco appareat.

Praua autem est illa dissensio, quæ non ab intelle-

Bb etu,

ctu, sed à voluntate procedit: de qua eleganter diuus Hilarius libro 10. de Trinitate, inquit: Non est ambiguum, omnem humani eloquij sermonem contradictioni obnoxium fuisse semper; quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque fit sensus animorum. quamuis enim dictum aliquod veri ratione perfectum sit, tamen dum aliud aliis aut videtur aut complacet, patet veritatis sermo aduersantium responsioni: quia contra veritatem, aut non intellectam, aut offendentem, vel stultæ vel vitiosæ voluntatis error obnititur. *Et paulò post*: Per hæc igitur vitia studiosarum volūtatum omnes aduersantium intentionum emergunt contradictiones, & inter veri assertionem, & placiti defensionem pertinax pugna est, dum se & veritas tenet, & tuetur voluntas.

Origenes dialogo 2.

4 Mens à malis opinionibus occupata atque possessa, vix ab eis se auelli patitur, aut eis renūtiare sustinet,

Diuus Gregorius lib. 9. in Iob cap. 1.

5 Peruersæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, siue prauum siue rectum quid à contradicentibus audiant, aduersus hoc responsionibus impugnant; quia cum persona per cōtrarietatem displicet, nec recta quæ protulerit, placent: at contrà bonorum corda, quibus in odium non venit persona, sed culpa, sic peruersa diiudicant, vt quæ recta dicuntur, assumant, discernendis quippe contradicentium sensibus æquissimi arbitri resident, & sic malè prolata respuunt, vt tamen approbent, quæ ex veritate cognoscunt.

6 Iuniores, id est, qui nouissimi sunt, suas primùm sententias dicunt, ne antiquorum auctoritati cedant, nēve

nēve pudore vitioso illis contradicere nolint, & minus libera sint eorum suffragia.

Dion Cassius lib. 39.

In omnibus comitiis vbi quid cum populo agendum erat, prius priuatis hominibus concio dabatur, quam magistratum tenentibus: ne quis potentioris (vt fieri assolet) sententia peruectus, suam ipse supprimeret, sed summa cum libertate, quod sentiunt, exponerent.

Cicero Philippica 11.

In recta sententia ne victa quidem causa vituperanda est. debet vnusquisque rectissimam sententiam dicere, tamen si solus in ea singularisque fururus sit: nec enim ad eum pertinet rei exitus, sed consilium & suffragium optimum: itaque maximas gratias & habeo & ago (dicebat idē Cicero) Lucio Pisoni, qui non quid emicere posset in rempublicam cogitauit, sed quid facere ipse deberet. *hæc ille Philippica 1.*

Apuleius lib. 4. Floridorum.

Omnibus bonis in rebus conatus in laude, effectus in casu est. & sicut ad pœnā sufficit meditari puniendam, sic & ad laudem satis est conari prædicanda.

Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio.

Graue molestumque arbitror in prolixitate, quæ superuacanea sit orationem nostram producere.

Diuus Gregorius lib. 26. in Iob cap. 18.

Arrogantes graue se damnum perpeti iudicant, si sententiam suam loquendi breuitate constringant: tanto enim semetipsos credunt doctiores ostendere, quāto se potuerit multiplicatis loquacitate aperire. *Et paulò post*: Insolenter ea, quæ dixerint, replicant, nō quò auditorum cordibus insinuare res appetant, sed

quò eorum iudicio videri eloquentes volunt.

Pythagoras.

12 Ne multis verbis pauca comprehendas, sed paucis multa.

Philemon.

13 Eum qui nihil opportunè dicit,
Longum existima: licet duas tantùm syllabas pro-
At benedicientem ne longū existimes, [nuntiarit.
Etsi permulta dixerit, & longo tempore.

Laurentius Grimalius lib. 2. de optimo Senatore.

14 Utile est reipublicæ, in sapientum, & proborum senatorum sententias, cæteros pedibus ire: contingit enim vt omnium idem sit sensus, eadem de re aliqua voluntas, loquacitatísque fugiendæ causa. melius est adhærere aliis, quàm sesquipedalibus verbis diè conterere. cauendum autem est semper, ne in sententiâ dicenda, ingenij, ostentationísque suspicio appareat.

Et paulò post.

15 Cauendum est præterea, ne diem extrahamus longa sententia dicenda: duplex enim committimus vitium, nos loquendo, ceteros audiendo defatigantes: Catonem Cæsar ob id aliquando punire non dubitauit. *hæc ille.* Vidi ego nonnullos, qui ne parum eruditi esse viderentur, ea quæ ab aliis rectè dicta erant, longis ambagibus repetentes, ac tandem nihil afferentes noui, non sapientes, aut prudentes, sed insipientes, & importuni reputati sunt.

16 Multiloquium non solum molestum est auditori, verùm etiam ad persuadendū inutile, præsertim apud principes, tum variis curis occupatos, tum auribus fastidiosis.

Plutarchus in Apophth. Laconicis.

17 Samnitum legatis multa locutis Lacones responderunt:

derunt: Adeò fuit longa, ô Samnites, vestra oratio, vt priorum quidè oblitus sumus: quo factū est, vt quorū sum posteriora dixeritis, non intelligamus.

Ecclesiastici cap. 7.

Noli verbosus esse in multitudine presbyterorū, 18
& non iteres verbum in oratione tua.

Ecclesiastes cap. 10.

Stultus verba multiplicat.

19

Diuus Gregorius lib. 16. in Job cap. 1.

In locutionibus suis hoc arrogantes viri habere inter 20
ter alia proprium solent, quod ab auditoribus suis, ne quid fortasse inordinatum dixerint, tunc requirunt, cùm se laudabiliter aliquid dixisse cognoscunt. hæc videlicet faciunt, nō quò de dictis suis ambigant, sed quò ab audientium iudicio fauores quærant. est namque propria arrogantium fraus, vt tunc de errore requirere studeant, quando se nouerint non errasse.

Quidam.

Vt vasa inania plurimum sonant: sic pectora veræ 21
sapientiæ ac doctrinæ inania plurimum verborū profundunt; & rectè vulgo aiunt, quo vasa magis vacua sunt, eo plus sonant.

Xystus philosophus.

Sapiens verbis innotescit paucis. & iterum: Breuis 22
est in sermonibus sapiens; iudicium imperitiæ est longa narratio.

VTRVM DISPUTARE IV.

DICIBVS LICEAT.

C A P. XIII.

Non debent iudices pertinacibus argumentis ad- 1
uersus collegas contendere, neque disputare nimiū.

Bb 3 Nihil

Nihil tamen prohibet contrarias diuersasque sententias dicere, ac leni disputatione comiter, modesteque veritatem inquirere.

Nazianzenus epist. 102.

- 2 Contentiones & ambitiones rationem ac doctrinam superare nonnunquam solent.

Euenus Parius.

- 3 Multis quidem mos est in omnibus ex æquo contradicere. Rectè verò contradicere non solent. [cere: Et aduersus illos satis est antiquum sermonem respondere: Hac tibi videntur, illa verò mihi.

Plutarchus in Politicis.

- 4 Si qui alicubi dissonant atque discrepare videntur, hos amicè & placidè velut musicum ad modum, ad concinnitatem oportet reducere: non iracundè, duriter, atque per contumeliam adoriri; quin auctore Homero mitiùs & moderatiùs pertractare: te scilicet equidem cæteros prudentia antecire arbitror. Item te certò scio meliorem ista oratione excogitare facile posse. His & similibus est vtendum.

Herodotus lib. 7.

- 5 Nisi diuersæ inter se sententiæ dicantur, non potest quis eligere meliorem, sed necesse habet ea quæ dicta est, vri. At cum plures dictæ sunt, licet tanquam aurum purum diligere: quod per se discerni cum nequeat, comparatum cum altero discerni potest.

Isocrates oratione de Pace.

- 6 Quæ fieri potest, vt vlli vel de præteritis rectè iudicent, vel de futuris prudenter deliberent, nisi contrarias inter se rationes conferant, & æquos vtrisque auditores se præbeant?

Cicero

Cicero lib. 2. Offic.

Contra omnia disputatur à nostris: quòd hoc ipsum probabile elucere non possit, nisi ex vtraque parte causarum sit facta contentio.

Herennius Modestinus & notando & disputando bene, & optima ratione nonnulla decreuit. auctor Arcadius lib. de Muneribus ciuilibus.

Nec reprehendenda est ea quæ non animorù, sed iudiciorum est dissensio; quam & in omni republica vtilem esse Philostratus lib. 4. de vita Apollonij affirmat, & eam Dissidentem concordiam appellat. Nam quòd alius alio meliùs in consilio sententiam dicat, aut magistratum rectiùs gerat, aut splendidiora conferuet adificia, aut in aliquo huiusmodi excellat, talem contentionem aut æmulationem plurimum ciuitati conferre existimabat.

Sanctus Gregorius Nyssenus oratione de vita beati Gregorij.

Qui ineptam ac minus idoneam sententiam dumtaxat reiicit, neque adiicit id quod res postulat: malum quidem prohibet, bonum verò non conficit. at qui præter quàm quòd non cõsentit deteriori, etiam bonum inuenit, per vtraque bonum perficit, dum neque malè aditum dat, & bonum ad effectum perducit.

Legibus regis vetitum est, ne quis iudicium alterius sententiam interrumpat, neque pro sua sententia tuenda iterum dicat siue replicet, quia facile inde rixæ ac dissensiones oriuntur.

Pindarus in Nemeis Oda 5.

Scire tacere, est sæpe sapientissimùm inter homines. 12

Ex diuo Thoma in prologo Sententiarum ad

Hanibaldum, quest. 3.

Sæpe dissensio voluntatum parit opiniones diuersas; 13

Bb 4

uerfas;

u crfas; vel quia ratio sequitur voluntatem, vel quia voluntas imperat rationi, vel quia is, cui aliqua opinio placet, diligenter inquirat illa quæ sunt pro illa opinione, & negligenter ea, quæ sunt contra.

- 14 Ad extremum, id fieri debet, quod Plinius Vrsus lib. 6. Epistolarum scripsit: Senatus ipse mirificus: Nam illi quoque qui prius negant Varena quæ petebat, eadem danda, postquam erant data, censuerunt: singulos enim integra re dissentire fas esse, peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum.

Sanctus Hieronymus in Isaiam cap. 54.

- 15 Excessimus breuitatis modum, qui utilis est in omnibus quæ dicenda sunt.

DE ARCANIS. CAP. XIII.

- 1 Omnes iudices & magistratus arcana occultare tenentur; & quicumque operata recluserit, seuerissime puniendus est.

Prouerb. cap. 11.

- 2 Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana.

Seneca lib. de 4. Virtutibus.

- 3 Iustus secreta non prodit, tacenda enim tacet, loquenda loquitur.

Idem epist. 89.

- 4 Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur premio. Vre (inquit,) occide, non prodam: sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condet.

Ouidius lib. 2. de arte.

- 5 Eximia est virtus præstare silentia rebus:
At contra grauis est culpa, tacenda loqui.

Plutarchus

Plutarchus in Apoph. Græcorum.

Quodam ex iunioribus tribunis militum percontante quid acturus esset Cæcilius Metellus: si hanc inquit tunicam mihi consciam esse putarem, ipsam exutus in ignem iniicerem.

Quintus Curtius lib. 4.

Lingua grauius apud Persas castigatur, quam vltimum probrum. Nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere graue sit, quod homini facillimum voluerit esse natura.

Ouidius lib. 2. Elegiarum.

Quis minor est autem, quam tacuisse labor? 8

Ammianus Marcellinus lib. 21.

Apud Persas nemo consiliorum est conscius, præter optimates taciturnos, & fidos. apud quos silentij quoque colitur numen.

Vetus disciplina Persarum silentium vitæ periculo sanxerat. 10

Fabius Quintil. declamatione 19. ait,

Non proderet secretum, primam fuisse sapientiam in præscis illis morum mentiumque rectoribus. 11

Valerius Maximus lib. 2. cap. 1.

Adeo magna charitate patriæ veteres Romani tenebantur, vt arcana consilia patrum conscriptorum, multis seculis nemo senator enuntiauerit. Quintus Fabius Maximus tantummodo, & is ipse per imprudentiam, de tertio Punico bello indicendo, quod secretò in curia erat actum, Publio Crasso, rus petens, domum reuertenti in itinere narrauit, ignarus eum nodum à censoribus in ordinem senatorum electum. Sed quannis honestus error Fabij esset, vehementer tamen à consulibus obiurgatus est. Nunquam enim

Bb 5 taci-

taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.

Horatius Satyra 4. lib. 1.

- 13 Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hūc tu Romane caueo.
Cicero lib. 8. de Regis institutione.
- 14 Est autem in consiliis præcipuum fidei munus, quidquid secretò statutum fuerit, silentio & taciturnitate comprimere, si enim qui amici consilium aperit, est odio omnium valde dignus: quo tandem scelere illum alligari iudicabimus, qui regis consilium contra datam fidem cum homine, qui non sit particeps eiusdem consilij, communicauerit: est regis proditor, & patriæ euerfor existimandus.

ITERVM DE OCCVLTIS.

C A P. XV.

Isocrates oratione 1. ad Dæmonicum.

- 1 Diligentius tuere deposita verborum, quàm pecuniarum. Ne cui arcana tua credas, nisi res illas taceri non minus iis qui audiunt, quàm dicenti tibi expediat.
Cicero lib. 1. de Officiis.
- 2 Quod tacitū esse velis, nemini dixeris; si enim tibi non imperasti, quomodo ab alio silentium speras?
Alter Seneca in Hippolyto.
- 3 Alium filere quod voles, prius file.
Fabius Declamat. 19.
- 4 Ex omnibus, quos humana pectora seriis gravibusque complectuntur affectibus, nullam difficiliorē, quàm silentij credo virtutem; adeoque promptissimo sermone facilè delinquimus, vt constantiā tacendi neque in aliis ferre possimus.

Plutarchus

Plutarchus in Apoph.

Hieron tyrannus dicebat, qui sermonem arcantum efferret, iniuria afficere etiam eos, quibus reuelassent. Odio namque habemus, non eos solum, qui efferunt, sed etiam eos qui, quæ nolumus, audierint.

Simonides Musicus dicente quodam, quod multi ipsum apud se deferrent: Ec quando tandem desines, inquit, tu auribus me calumniari?

Horatius lib. 1. epistol.

Arcanum neque tu scrutaberis vilius vnquam,
Commissumque teges, & vino tortus, & ira.
Percontatorem fugito, nam gar rulus idem est:
Nec retinent patulæ commissa fideliter aures.

Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromatum.

Zeno Eleates dum cogere quoddam arcanum enuntiare, restitit tormentis, nihil confitens, ac tandem linguam erodens, eam expuit in tyrannum. quod idē fuisse dicuntur Theodotus Pythagoræus, & Paulus Lacidis familiaris. Posthumus quoque Romanus captus à Peucetione, non modò nihil ex iis, quæ erāt occulta, retexit, sed cum etiam manum in ignem immisisset, constitit vultu firmo, & planè immutabili.

Iustinus Historicus lib. supremo, de Hispanis loquens, inquit;

Sæpe tormentis pro silentio rerum creditarū immortui, adeò illis fortior taciturnitatis cura, quàm vitæ fuit.

Sextus Aurelius Victor in epitome.

Octavius Augustus Cæsar Mæcenatem nimium id dilexit ob taciturnitatem,

Cæsar lib. 1. comment. de Gallis vetustissimis scribit,

Quod cum in concilium conuenissent, iureiurando,

do, ne quis enuntiaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt.

Idem lib. 6. de bello Gallico.

12 Magistratus, quæ visa sunt occultant, quæque esse ex usu iudicauerint, multitudini produnt.

Capitolinus in Gordianis.

13 Exemplum senatus consulti taciti non aliud est hodie, quam quod vestra clementia conuocatis ad interiora maioribus ea disponit, quæ non sunt omnibus publicanda: de quibus adiurare etiam soletis, ne quis ante rem completam, quicquam vel audiat, vel intelligat. hunc autem morem apud veteres necessitates publice repererunt, ut si forte aliqua occulta constituere oporteret, senatus consultum tacitum fieret; ita ut non scribæ, non serui publici illis actibus interessent: senatores exciperent, senatores omnium officia, scribarumque completerent, ne quid forte proderetur.

14 Ac mea quidem sententia iudices, & magistratus, qui iureiurando violato, enuntiant arcana; tum aliis pœnis afficiendi, tum etiam officiis mouendi sunt: quæ enim esse potest perfidia maior, quam retegere occulta reipublicæ? Angelus Perusinus hostes, & præuaricatores illos appellat, qui secreta produunt: quod metu eorum reipublicæ consuli non possit. Nam coram eis non sunt libera suffragia: & præterea odia, dissidia, & inimicitias seminant.

DE IURAMENTO IUDICVM.

C A P. XVI.

1 Iurant iudices, se leges seruaturos, arcana celaturos, pupillos, & viduas protecturos; & ea omnia, quæ ad eorum officium pertinent, fideliter præstaturos.

Plutarchus

Plutarchus in Apoph.

Ægyptiorum reges ex sua ipsorum lege iudices adiurabant, ne quid iniuste, etiam si id rex præciperet, iudicarent.

Iustinianus sub titulo de Iudiciis.

Cui cognitum non est, antiquos iudices non aliter iudicalem calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent, omni modo esse cum veritate, & legum obseruatione iudicium disposituros.

Et paulo post.

Sancimus, omnes iudices non aliter litium primordium accipere, nisi prius ante sedem iudicalem sacrosanctæ deponantur scripturæ, & hæc permaneant usque ad ipsam definitivæ sententiæ recitationem: sic etenim attendentes ad sacrosanctas scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex maiore præsidio lites diriment, scituri, quod non magis alios iudicant, quam ipsi iudicantur; cum etiam ipsis magis, quam partibus iudicium terribile est: siquidem litigatores sub hominibus, ipsi autem Deo inspectore adhibito, causas proferunt trutinandas.

Sapientia cap. 6.

Audite reges, & intelligite, discite iudices finium terre, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quia cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, neque custodistis legem iustitiæ; neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsumunt, fiet. Exiguo enim concedetur

misc-

miseriordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

De Pupillis & viduis Isaias cap. 1.

6 Quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: Si fuerint peccata vestra ut coccini, quasi nix dealbabitur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

DE ALIIS IVRAMENTIS

MEMORABILIBUS. CAP. XVII.

Demosthenes contra Timocratem.

1 Heliastarum iuramentum vobis recitabitur. Pronuntiabo secundum leges, & decreta populi Atheniensis, & senatus quingentorum. Tyrannidem, aut paucorum dominatum mea sententia non comprobabo. Nec si quis corrupto Atheniensium populo, aut staturat, aut velit contrarium, usquam in illius sententia pedibus ibo. Tabulas novas, alieni de tuis rescissione nunquam fieri permittam, neque exules reuocabo, neque capitis damnatos, neque eos qui ciuitatis iure vtantur, contra leges, & Atheniensis populi decreta usquam vrbe cæci patiar: nec quemuis alium iniuria id facere permittam, neque magistratum creabo, vris imperet antequam de alio gesto magistratu rationem retulerit, quicumque ille sit: neque bis eundem magistratum eundem virum, neque binos magistratus eundem gerere sinam eodem anno: nec accipiam munera, vel ipse ego, vel quispiam alius mihi, vel alij, me conscio. Natus sum annos non minus quam triginta. Audiam accusatorem, & reum, æquo animo ambos, sine affectibus, & personarum ratione; illumque

con-

condemnabo, quem merito causa cadere cognouero; & sententiam de eo feram, quod est in controuersia positum. Adiuro Iouem, Neptunum, Cererem, & ipse mihi exitium imprecor & familiae meae, si quid horum neglexero, & violauero: sin bona fide praestitero, præclara mihi & bona multa eueniant.

Iustinianus constitutione 9. memorat hoc iusiurandum ab eis præstandum, qui officia suscipiunt.

Testor ego, iurando omnipotentem Deum, & cetera: quod domino nostro Iustiniano occasione concessi mihi ab eius pietate officij, puram conscientiam, & genuinum præstaturus sum seruitium: quodque pro ipsius imperio, & republica in concesso mihi officio, summa cum animi promptitudine, sine dolo, & absque fraude, omnem operam ac laborem subiturus sum: & quod cum sanctissima Dei catholica, & Apostolica ecclesia communionem habeo, neque ei vlla vnquam in re aut modo aduersabor; neque quantum in me erit, alicui alij permittam.

Eodem iuramento testor, quod nec occasione traditi mihi officij, nec per causam patrocinij, aut præstiti apud dominum suffragij, vlli omnino quidquam vel didi, vel dabo, vel promisi, vel pactus sum ex provincia mittere, vel mittam: sed quemadmodum gratuitum officium suscepi, ita integrum me & sincerum exhibebo, constitutis mihi ex publico annonis contentus. Subditos omnes (quantum in me erit) vndique noxa, & à damno liberos conseruabo, atque æquum me vtrique parti tam in disceptandis controuersis, quam tuenda disciplina publica præbes, neutri parti præter ius & fas addictus ero; sed & omnes de-

delinquentes persequar, & æquitatem omni ex parte conseruabo. In fontes, nequid sentiant dispendij, tuebtor, reis fontibus secundum leges irrogabo supplicium: & tam in publicis quam in priuatis contractibus iustitiam obseruabo.

4 Nec ego tantum ista perficiam, sed etiam qui unquam mihi adsident, quique circa me sunt tales studebo assumere, ut non solus ego innocenter uiuere; qui uero circa me sunt rapere & delinquere videantur. Si quis autem circa me talis inuenietur, prestabo, quod ipse admisit, eumque abigam.

5 Quod si non omnia hæc, quæ dixi, obseruauero, omnibus incommodis ero expositus; tam hinc quam in futuro seculo, in horrendo iudicio magni Domini Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi: habeboque partem cum Iuda, & lepram Giezi, & tremorem Cain; ultra hoc quod etiam pœnis, legibus comprehensis, ero obnoxius.

6 Medici quoque iuramentum Hippocratis prestare deberent, saltem prout in his capitibus continetur: Iuro me in curandis ægrotis pro uiribus & iudicio meo rebus uilibus usurum; nemini ægritudinem dilaturum; artem meam puram atque integram seruaturum: quamcunque domum ingressus fuero, duntaxat liberandis ægrotis operam daturum: omnem iniuriam, omnem corruptelam, omne genus turpitudinis, res etiam uereas sponte mea euitaturum: quæ inter curandum uel uidero uel audiero, quæ reticenda esse intelligam, nemini aperturum, sed intemeratam taciturnitatem seruaturum.

DE

DE QUATUOR VIRIS CAPITALIBVS. CAP. XVIII.

In regis curia, & in utroque conuentu iuridico, quaterni uiri de causis capitalibus iudicant, & ab eis prouocare non licet.

Quales hi magistratus eligendi sint, ex Iustiniani constitutione de plebeis prætoribus, licet cognoscere; inquit enim: Cogitauimus, quod si ob causas pecuniarias, in quibus non de maximis rebus uersatur periculum, sed tantum de pecuniis, summi magistratus ius dicunt, sæpenumero etiam alij adduntur iudices, & plus mille curis inuoluimur; ne res sine causa dictione procedant. quomodo indecorum sit omnem nos prouidentiam eò conferre, ut iudices periculum uitæ damnatis irrogantes, hi eligantur qui pro dignitate in aliqua reputatione sint, ne temerè uita hominis pereat, qui semel quidem nascitur, amissam autem uitam recipere nequit.

Principio igitur sancimus, ne quis omnino ad prædictum magistratum accedat, antequam à nobis eius administrationis codicillum perceperit; neque ulla etiam ratione eam functionem sine imperatoris codicillis expectet in scripturis promulgandam. Nemi enim prædictam administrationem trademus, nisi qui eam suscipiunt, hi de numero sint magnificentissimorum illustrium, aut spectabilium comitum, aut sublimissimi tribunalis clarissimorum tribunorum prætorianorum: aut qui alioqui officiorum in prouinciis administrationem habuerunt, & idonei, nostroque testimonio digni uisi sint; quo magis prædicta grauitate & honore insigniti, ius diligenter reddant, præsertim quia de uita certamen est. Consueuerunt

Cc uerunt

nerunt enim ut plurimum de perpetratis cædibus, de adulteriis, de aggressuris, de rapinis, & id genus aliis iudicare. Vnde oportet eum qui tam magnis criminibus præsidet, virum esse ex omni parte grauitatis plenum, irreprehensibilem, & tanta audientia dignum.

4 Oportet quidem ut hi iudices sint perspicaces ac diligentes, & ut suspicionibus non magis moueantur, quam leges ipsæ: quarum custodes & ministri sunt, non domini.

Diuus August. epistola 54.

5 Omnes aut penè omnes homines amamus nostras suspiciones vel vocare, vel existimare cognitiones, quando credibilibus rerum signis mouemur, cum credibilia nonnulla sint falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera.

Chrysof. in cap. 1. 7saia.

6 Exquirite iudicium, hoc est, iniuriis affectos ulcifcamini; quod sanè opus habet non mediocri negotio, animamque requirit peruigilem ac sobriam: occurrunt enim permulta quæ obscurent, ac veluti obumbrēt rectitudinem iudicij: sordidus quæstus, corruptelæve per largitiones, ignoratio iuris, potentatus obseruatio siue reuerentia; timor, obsequium, cultusue personarū: tū vel maximè peruigilio est opus.

PLURA DE IUDICIIBVS

CRIMINVM. CAP. XIX.

Seneca lib. 1. de Ira.

1 Nihil minus quam irasci punientem decet, cum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si iudicio lata est.

2 Iudex reum damnaturus in tribunal procedat non iratus

iratus & furens, sed vultu legis seuerus.

Idem lib. 2. de Ira.

Dandum semper est tempus; veritatem enim dies aperit: potest pœna dilata exigi, non potest exacta reuocari.

Herodotus lib. 7.

Omnis res properando parit errores, vnde magna detrimenta fieri adsolent. In cunctando autem bona insunt: si non talia, quæ statim videantur esse bona, certè quæ suo tempore bona quis esse comperiat.

Statius lib. 8. Thebaidos.

Ne fræna animo permittite calenti:
Da spatium tenuemque moram; malè cuncta ministrat Impetus.

Et vulgatus ille versiculus ex Iuuenale:

Nulla vnquã de morte hominis cunctatio longa est. 6
Præcipitatio nouerca iustitiæ est; & (ut Publius Mimus admonet) ad pœnitendum properat citò qui iudicat.

Et rursus inquit:

Deliberare vtilia, mora tutissima est. Caueant hi iudices ne sub styli aut cōsuetudinis prauæ prætextu, quidquam contra leges aut præter leges committere audeant.

Neminem torqueant inauditum: Nam ut Iulius Paulus inquit: Rei subitis accusatorum criminibus non sunt opprimendi: & quocunque tempore defensionem postulante reo, negari non oportet.

Seneca lib. 2. de Ira.

De paruula summa iudicaturō tibi; res sine teste non probaretur, testis sine iureiurando non valeret, vtriq; parti dares actiones, dares tempus: non semel

Ecce audires.

audires. Et cum tormenta sint morte ipsa amariora, hominem torquere audes, antequam illi vel indicia nosse liceat, vel testes? antequam eum audias dilatione concessa, ut suspiciones diluat? Sed de his plenius in nostris Catholicis institutionibus.

9 Ad extremum, hi iudices neque crudeles sint, neque remissi; sed semper animos reuocet ad illius sententiae memoriam, quam Martianus iureconsultus eleganter his verbis scripsit:

10 Respicendum est iudicanti, ne quid durius, aut remissius constitutur, quam causa deposcit. Nec enim aut seueritatis, aut clementiae gloria adfectanda est, sed perpenso iudicio, prout quaeque res postulat, statuendum est. Planè in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debent: in grauioribus poenis seueritatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.

DE EXECUTORIBVS.

CAP. XX.

1 Executores appello apparitores siue lictores, quos vulgus Merinos, & Alguasiles nominat. Hi sunt qui mandata, & sententias iudicum exequentur.

Aristoteles lib. 1. Polit. cap. 8.

2 Proximus huic magistratus est, ex omnibus fere, & maximè necessarius, & idem molestissimus, qui in iudiciorum executionibus versatur: siue damnatus quis fuerit, siue factus reus, isque carceri custodiusque praest: itaque propter odium, quod magnum incurrit, molestus est. Quamobrem vbi non est merces magna proposita, hunc magistratum homines recusant: nec qui susceperunt, fungi munere ex legis praescripto

scripto volunt, est tamen necessarius: Frustra enim exercentur iudicia, nisi ad finem perducantur. quare si comunitas costare nequit, nisi iudicia fiant, ne constabit quidem, si nemo quod iudicatum fuerit, exequatur.

Itaque commodius est hunc magistratum non esse unum, sed alios ex aliis tribunalibus: ut causas, quas vnus magistratus condemnauerit, alius exequatur. Nam quo minus odij executores contraxerint, hoc magis executiones ad finem perducuntur. Igitur si condemnantes iidem sint, & exequentes, duplex odium contrahetur.

Quas ob causas mea quidem sententia necesse est, ut executores quoad fieri commodè possit, urbanitate quadam, atque adeo modestissima comitate vrantur, & eo magis, quod praesto illis esse potest excusatio iusta; quia officij necessitate coacti mandata iudicum exequentur: sed plerique illorum superbi & insolentes sunt, quo circa multorum odium iure ac merito incurrunt.

Hi ferè per omnem Hispaniam officio vigilum funguntur. Quamobrem oportet eos vigilare, ut ciues securi dormiant. Pleraque enim facinora noctu perpetrari solent. Nec soli, ut ait Horatius, Ut iugulent homines surgunt de nocte latrones: sed adulteri, sicarii, caeterique facinorosi lucem fugiunt, ac tenebras amant.

Patricius lib. 3. de institutione reip.

Qui reipublicae praesunt, non mediocri diligentia curare debent, ut vigiliae ita per urbem disponantur, ut ne quid incommodi, dedecorisve ciues patiantur. Pessima namque facinora noctu potius quam interdiu perpetrantur. Malè quidem cum ea ciuitate agitur, quae sa-

tis tuta non est ab adulteris, nocturnisque furibus. Omnes metu pœnæ noctu domi se contineant: nihil enim boni agere cupit, qui lucem fugit, qui testem iudicemque formidat.

- 7 Profunt præterea hi executores incendiis arcēdis, quæ noctu solent esse periculossima: quorum cura olim fuit maximi, ut videre est in titulo Digestorum, De officio præfecti vigilum.

DE ADVOCATIS.

CAP. XXI.

- 1 Abundat Hispania nostra patronis & advocatis plurimis, quorum non pauci; & viri probi sunt, & iuris peritissimi. officium autem eorum admodum necessarium omnibus est.

Extat Leonis lex vulgaris, & peruagata, cuius hæc sunt verba:

- 2 Advocati qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque defensionis viribus, in rebus sæpe publicis, ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant: non minus prouident humano generi, quàm si præliis, ac vulneribus patriam parentisque saluarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thorace nituntur, sed etiam advocatos. Militant nanque patroni causarum, qui gloriosè vocis confisi munimine, laborantiū spem, vitam, & posteros defendunt.
- 3 Sed inter plurimos advocatos probos iuris legumque peritos, consentaneum est esse aliquos illis non omnino dissimiles, qui Platoni, diuo Augustino, aliisque displicuerunt.

Plato

Plato in Epinomide.

Neque sapiētes dici eos volumus, qui litigantibus 4 dicendi viribus adsunt; quippe cum memoria, & usu opinionis moribus se accommodent, & à veræ iustitiæ intelligentia procul aberrent.

Idem lib. 11. de Legibus hanc legem tulit.

Si quis iustitiæ vires in animis iudicum in contra- 5 rium vertere conetur, ac præter oportunitatem multa litigia mouet, aut mouentibus adest; agat in eum quicumque voluerit, malè agendi vel defendendi crimine, iudiciūque huiusmodi apud electos iudices agitetur. Quòd si conuictus fuerit, discutiatur, vtrum avaritia an ambitiosa quadam contentione id fecerit. Ac si contentione, certum ipsi iudices tempus præscribant, in quo neque pro alio ullam agat dicarve causam: sin autem avaritia, peregrinus quidem à regione, nunquam rediturus abito; & si redierit, moriturus. Ciuis autem si avaritia id fecisse deprehendatur, quoniam pecuniam tanti fecerit, omnino moriatur: quòd si ambitiosa contentione bis tale quid fecisse iudicatus fuerit, id ipsum supplicium subeat.

Fabius Quintil. lib. 12. cap. 7.

Pacificèdi quidem ille piraticus mos, & imponen- 6 tium periculis pretia, procul abominanda negotiatio, etiam mediocriter improbis aberit: cum præsertim bonos homines, bonasque causas tuenti non sit metuendus ingratus; qui si futurus est, malo tamen ille peccet. Nihil ergo acquirere volet orator ultra quàm satis erit: ac ne pauper quidem tanquam mercedem accipiet, sed mutua beneuolentia utetur: cum sciet se tanto plus præstitisse; quia nec venire hoc beneficiū oportet, nec perire. Denique ut gratus sit, ad eum magis pertinet, qui debet. Cc 4 Platina

Platina lib. 2. de optimo ciue.

7 Quia ex equo & bono plerunque iudicare in ciuitatibus necesse est, compescenda erit audacia causidicorum, qui iudiciis cauillationes interponunt, quod diutiùs lucri gratia causæ ipsæ protrahantur. tanta enim est illorum audacia, ut causas iniquas suscipiant, easque magnis acclamationibus defendât; quo enim quisque maximè clamat, sapientior in causa putatur.

ITERVM DE ADVOCATIS.

C A P. XXII.

Diuus August. Macedonio epistola 54.

1 Iustius dicitur aduocato, redde quod accepisti, quando contra veritatem stetit: iniquitati adfuisi: iudicem fefellisti: iustam causam oppressisti: de falsitate vicisti. quis tandem aduocatus, aut ex aduocato ita vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe quod mihi, cum tibi malè adessem, dedisti, & redde aduersario tuo quod me agente iniquè abstulisti: & tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pœnitet, etiam hoc facere debet; ut si ille qui iniquè litigauit, non vult admonitus corrigere iniquitatē, eius tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem, nisi fortè restituendum est alienum, quod furtim clanculo aufertur: & restituendum non est alienum, quod in ipso foro vbi peccata puniuntur, decepto iudice, & circumuentis legibus obtinetur.

Diuus Bernardus lib. 2. de consideratione ad Eugenium.

2 Nisi agitentur causæ, audiantur partes; inter partes iudicare quis potest? Agitentur causæ, sed sicut oportet. Nam is modus qui frequentatur, execrabilis planè, & qui non dico Ecclesiam, sed nec forum deceret.

ceret. Miror nanque quemadmodum religiosè aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionem quam ad inuentionem proficiunt veritatis. Corrige prauum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt qui docuerunt linguas suas loqui mendacium: disertis aduersus iustitiam, eruditi pro falsitate. sapientes sunt ut faciât malum, eloquentes, ut impugnent verum. Hi sunt qui instruunt, à quibus fuerant instruendi: astruunt non comperta, sed sua: struunt de proprio calumnias innocentia; destruunt simplicitatē veritatis; obstruunt iudicij vias. Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut breuis & pura narratio. Ergo illas quas ad te necesse erit intrare causas, diligenter velim, sed breuiter decidere assuescas, frustratoriâsque & venatorias præcidere dilationes.

Habeant semper aduocati ante oculos iuramentum, quod quotannis præstare solent, cuius capita ex Iustiniani formula decerpta esse videntur. Iurât enim quod omni virtute sua, omnique ope, quod iustum & verum existimauerint, clientibus suis inferent: nihil studij relinquentes, quod sibi possibile sit: quod credita sibi causa cognito, quod improba sit vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesque mala conscientia liti non patrocinentur: sed etsi certamine procedente aliquid sibi tale cognitum fuerit, à causa recedēt, ab huiusmodi communionem sese penitus separantes.

Fabius lib. 12. cap. 7.

Neque verò pudor obstat, quo minus susceptam, cum melior videretur, litem cognita inter disceptandum

C c 5 dum

dum iniquitate, dimittat, cum prius litigatori dixerit verum. Nam & in hoc maximum, si æqui iudices sumus, beneficium est, ut non fallamus vana spe litigantem. Nec enim dignus est opera patroni, qui non utitur consilio.

Ammianus Marcellinus lib. 30.

5 Florebant elegantiae priscae parociniis tribunalia, cum oratores conditæ facundiae attenti studiis doctrinarum, ingenio, fide, copiis, ornamentisque dicendi pluribus eminebant; at nunc videre est per omnes eos tractus violenta & rapacissima genera hominum per fora omnia volitantium; & subsidentium diuitum domos, ut Sparta canes aut Creta, vestigia sagacius colligendo ad ipsa cubilia peruenire causarum, &c.

Et paulo post.

6 Secundum est genus eorum, qui iuris professi scientiam, quam repugnatum sibi legum abolevere diffidia, velut vinculis ori impositis, reticenti iugi silentio, umbrarum sint similes proprietarum: hi velut fata natalitia praemonstrantes, aut Sibyllae oraculorum interpretes, vultus grauitate ad habitum composita tristiores, ipsum quoque venditant quod oscitantur.

Et mox.

7 Hi ut alius videantur iura callere, Trebatium loquuntur & Cessellium, & Alphenum, & Arunctorum, Sicanorumque leges ignotas cum Euandri matre abhinc seculis obrutas multis; & si voluntate matrem tuam finxeris occidisse, multas tibi suffragij absolutione lectiones reconditas pollicentur, si te senserint esse nummatum. hæc ille, atque alia in eandem sententiam plurima, quæ non sat scio, an in quosdam dici

dici queant, qui præter-practicas, (ut vocant) & rote decisiones, nihil ferè iuris peritiæ norunt.

Ferronus lib. 3. de gestis Gallorum.

Ludouicus XI. Lutetiæ per sepe cum ius dicebatur, intererat, patronosque disertos non illibèter audiebat; eos tamen futoris artificium impudenter sibi vendicare aiebat: namque quod futuri est proprium, dentibus alutam producere, hoc patronos in dilandis prudentum responsis, & Cæsarum legibus facere aiebat.

Patricius lib. 3. de institut. reip.

Agant causas patroni viri optimi, iurisque periti, qui nihil astute, nihil dolo committant, sed omnia verè loquantur; sitque illis mendacium non impunitum: Nihil enim in republica tam incorruptum esse debet, quam iudicium; quod quidem sæpius lingua quam pecunia corrumpitur. Vnde eleganter se non intelligere Cicero dicebat, cur qui iudicem pecunia corrumpit, pœna dignus sit: qui verò eloquentia, laudem ferat. Mihi quidem, inquit, hoc plus mali facere videtur, qui oratione, quam qui pretio iudicem corrumpit: quia pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo autem potest.

Ovidius lib. Elegiarum.

Turpe reos empta miseris defendere lingua: 10
Quod faciat magnas turpe tribunal opes.

DE SCRIBIS.

CAP. XXIII.

Scribæ Hispaniarum innumerabiles ferè sunt, sed ut multi mecum sentiunt, pauculi esse deberent, & illi quidem spectandæ fidei, & bono genere nati. nam & priua-

& priuatim & publicè prodesse plurimum, & nocere possunt.

Cassiodorus lib. 12. variarum.

2 Scribarum officium securitas solet esse cūctorum, quoniam ius omnium eius sollicitudine custoditur. Armarium tabellionis fortuna cūctorū est, & meritò refugium omnium dicitur, vbi vniuersorum securitas inuenitur.

3 Scribæ potiùs quàm ipsi iudices iudicant, quia causarum vincula dissoluunt. Nec enim iudices aliud facere possunt, quàm fidem eorum sequi, quæ apud istos probata fuerint: contractuum, testamentorum, & actorum omnium robur, ex fide scribarum pēdet. Adde quòd cū fas sit, promulgatam sententiā appellatione suspendere, istis non licet obuiare. Nam horum scripturæ paratam habent executionem, & ab eis prouocare non licet.

4 Quamobrem, vt in pretio habendi sunt, qui suis stipendiis contenti, fideliter ac diligenter suum officium faciunt: sic puniendi sunt seuerissimè, qui spretris legibus, litigantes deglubunt, & res publicas & priuatas depeculantur. Sed hi sine vlla miseratione durissimis suppliciis afficiendi erunt, qui falsi aliquid pro testimonio scripserint. Actum enim est de rebus humanis, si scribæ improbi sint, & impuniti, & sola eorum spectetur fides.

Iampridius in Alexandro Seuero.

5 Eum notarium, qui falsum causæ breuem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum neruis, ita vt nunquam posset scribere, deportauit.

6 Philo Alexandrinus lib. in Flaccum, memorat Lamponem quendam scribam sedentarium, qui tunc venalem

venalem habebat iudicū obliuionem, & in actis publicis quædā delebat, quædam prætermittebat, data opera; nonnunquã inferebat quæ in iudicio dicta nō fuerant. rursus alia mutabat, transponebatque prohibito, è singulis syllabis, atque etiam apicibus quæstum faciens: qui sæpe conclamante populo appellatus est Calamosphactes aptissimè, quòd scribendo multos calamo iugularet. Atque vtinam hodie non sint discipuli Lamponis, & successores.

Cū ipse Neapoli, Philippi Catholici regis vicē gererem, à multis audiui, scribas (quos magistros Actorum vocant) magna tyrannide spoliare litigātes, præsertim criminum reos: & vehementer dolui, quia eos punire non potui.

Cassiodorus lib. 6. in formula Notariorum.

Non est dubiū, ornare subiectos principis secretū, dum nullis æstimatur posse cōmitti, nisi qui fuerint fide magna solidati: publicū est quidem omne quod agimus; sed multa non sunt antè sciēda, nisi cū fuerint Deo auxiliante perfectā; quæ tanto plus debent oculi, quanto amplius desiderantur agnosci. regis consilium solos decet scire grauissimos: imitari debent armaria quæ continent monumenta chartarum, vt quando ab ipsis aliqua instructio quæritur, tunc loquantur; totum autem dissimulare debent, quasi nesciant scientes. Nam sollicitis inquisitoribus, sæpe & vultu proditur quod tacetur.

DE OFFICIO EORVM QVOS
VISITATORES NOMINANT.

CAP. XXIII.

Vtilissimum quidem rebus publicis est, vt omnes magistratus muneris gesti rationē reddant; sic etenim fiet,

fiet, vt qui perperam se in officiis gesserint, iustissimè puniatur; qui verò rectè, laudè & honorè consequantur. Denique vt cauti sint omnes, non ignari haud ita multò post rationem ab eis esse reddendam.

Aristoteles lib. 6. Polit. cap. 4.

- 2 Commòdum est vt animi magistratuum pendeat, nec eis quidquid velint efficere liceat. nam licentià quidquid libet agendi, non potest malum, quod est in quoque homine, cauere;
- 3 Erant Athenis Logistæ, quibus omnes magistratum functi intra triginta dies, quā magistratu decessissent, administrationis rationem reddebant. Præco autem proclamabat his verbis: Quis vult talem tali functum magistratu, de antea actæ vitæ accusare facinoribus? Et qui accusare volebat, admittebatur. Sed hæc magis ad eam rationem, quam Residentiã vocant, quam ad Visitationem pertinent.

Plato lib. 6. de Legibus.

- 4 Nemo iudex magistratusve sit, qui gesti officij sui rationem non referat, præter eos qui regum instar finem rebus imponunt.
- 5 Obserua exceptionem diuini Platonis, qui prudētissimè censuit, summorum iudicum auctoritatem exponendam non esse calumniis, & accusationibus impudentissimis subiectionum.

Idem Plato lib. 11. de Legibus.

- 6 De repetendis rationibus, quas magistratus referre debent, quid dicemus? quis enim sufficiens repetendarum iudex erit? Siquis magistratus rerum potestate pressus dixerit, feceritve suo aliquid indignum principatu, difficile inueniri hoc est. nam cum delecti magistratus virtute alios antecellat, quo pacto præstantiorē eis inueniemus?

nemus? Et tamē diuini aliquiviri rationum referendarum exactores, & iudices vobis querendi sunt, quos oportet in omni virtutum genere cunctis excellere, & qui non pauciores quam quinquaginta nati sint annos.

Cornelius Tacitus lib. 15. Annalium.

Olim quidem non modò prætor aut consul, sed 7 priuati etiã mittebantur, qui prouincias viferent, & quid de cuiusque obsequio videretur, referrent: trepidabantque gentes de æstimatione singulorum.

Ex quibus perspicuè patet vetus & antiquum esse, 8 vt in iudices & magistratus generaliter inquiratur, & ad principem referantur bene ac malè gesta illorum. Nam vt premio digni sunt qui bene præfunt, sic è rep. est, vt iudiciū seuerissimū fiat in eos qui malè se gesserint.

Demosthenes oratione 2. contra Aristogitonem.

Repellendi & coercendi sunt à vobis, cum omnes 9 legum violatores, tum verò in primis ij qui magistratu funguntur, & in republica versantur. Per hos enim & maximas respublica clades accipit, si mali sint: & vicissim iuuatur plurimū si sint boni viri, & legum studiosi. Quod si republicam capeissentibus semel permiseritis, vt leges violent, & recepta iura despiciant; necesse erit vniuersos qui in ciuitate degunt, improbitatis eorum pœnas sustinere: vt enim delictorum, quæ in nauibus committuntur inter nauigandum, si quis nautarum deliquerit, paruum est damnum; si gubernator deceptus fuerit aut aberrauerit, cõmuni calamitate vectores omnes inuoluerit: sic & plebeiorum peccata non in populi, sed in ipsorum damnum cedunt; sed magistratuum, & rempublicam gubernantium peccata ad vos vniuersos pertinent. Quapropter & Solon plebeis tarda, magistratibus & populi

puli gubernatoribus velocia supplicia cōstituit: quod existimabat ab illis quouis tempore sumi posse pœnas, hos moram vltionis non admittere.

* *Zonaras in imperio Valentini ani.*

10 Summus iustitiæ cultor Valentianus fuit. itaque multos magistratibus præditos, vt iniurios multauit, cum diceret, à principe in primis iustitiæ flagitari curam.

* *Aristeas in historia.*

11 Ptolemæus rex interrogauit vnum ex septuaginta Interpretibus, Quid conseruet regnū? respondit ille: Sollicita & diligens obseruatio & cura, ne ab his qui præfecti sunt negotiis expediendis, quid perperā agatur, & mali aliquid inferatur in subditos: quam quidem curam tu sedulò adhibes, Deo subministrante tibi animi cogitationes graues.

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

12 Si aliquando rex in eligendo lapsus opinione fuerit, & pro bono & integro iudice, improbum & sordidum cooptauerit; vbi id intellexerit, nullam morā interponat, quin illum magistratu priuet: idque exemplum seueritatis in illius scelus edat, quo reliqui diligentius in officio atque fide permaneant.

DE

DE REPUBLICA

LIBER VIII.

DE PRÆFACTO VRBI.

CAP. I.

Hoc ferè toto libro de his magistratibus differemus, qui vrbibus præficiuntur: quos correctores appellare solemus. Omnes enim ciuitates Hispaniæ ab his magistratibus gubernantur; & quæ olim præfides prouinciarum, proconsules, atque prætores administrabant, ea omnia præfecti vrbibus hodie gerunt.

Sic etiam ad præfides prouinciarum omnia pertinebant, quæ Romæ plures magistratus curabant, & quæq; ciuitas Hispaniæ cum municipiis, & vicis suis, instar prouinciæ obtinet.

Hermogenianus, & Martianus sub titulo de officio præsidis.

De omnibus causis, de quibus vel præfectus vrbi, vel præfectus prætorio, itemque consules, & prætores cæteri que Romæ cognoscunt; correctorum, & præfidum prouinciarum notio est. Omnia enim prouincialia desideria, quæ Romæ varios iudices habet, ad officium præfidum pertinent, & præfecti vrbibus nostris, eorum omnium magistratuum vice atque officio funguntur.

Vrbibus præfectos rex mittere solet, vt biennio ciuitates regant, & plerunque ad consequentem annum iurisdictio eorum porrigitur, præsertim cum id ciuitatum senatores, ac decuriones postulant.

Iustinianus de plebeis prætoribus hac eadem ferè tradit constitutione 19. dicens.

Scire autem eos pro certo oportet, quod si incorruptos se conseruauerint, & à Deo auxiliū habebunt,

Dd neque

neque beneuolentia nostra frustrabuntur: & magistratus in longiora illis tempora prorogabitur: quis enim vellet eum, qui pulchrè & rectè se gereret, temerè mutare?

Qualis autem sit eligendus ad huius magistratus munera, docet Plato dialogo 3. de rep.

6 Is qui singulis ætatibus semper pueritia, adolescentia, matura ætate probatus est, & immaculatus existit, custos & princeps est ciuitatis constituendus.

Idein dialogo 6.

7 Oportet eum qui passim sincerus & incorruptus euadit, tanquam aurum in ignis examine comprobatur, gubernandæ ciuitati præficere, muneribusq; ornare, & uiuentem, & mortuum.

Dio Cassius lib. 53.

8 Augustus Cæsar tradens præcepta bene administrandæ reipublicæ, dixit: prouincias optimis ac prudentissimis mandate, non inuidentes hic cuiquâ; neque certorum hominum commoda, sed vrbs incolumitatem, & felicitatem spectantes.

Ex eodem Dione lib. 52.

9 Mæcenas Augusto Cæsari dixit, omnes illi, quibus aliquod extra urbem imperium committitur, singuli ratione sui officij congruentem accipiant mercedem: Nam neque ex suis facultatibus in alienis locis viuere eos consentaneum est, neq; rursus immensis, ac nullo certo modo definitis sumptibus eos uti.

Lampridius in Alexandro Seuero.

10 Vbi aliquos voluisset, vel rectores prouinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, id est rationales; ordinare nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis aliquid haberet criminis, probaret:

barer manifestis rebus: si non probasset, subire poenâ capitis: dicebatque graue esse, cum id Christiani, & Iudæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominû committerentur, & capita.

Q V I D P R I M V M F A C I E T

PRÆFECTVS VRBI. CAP. II.

Vrbibus præfecti in primis iuramentum præstet, quale iam antè retuli: deinde ad vrbes protinus proficiscantur: neque moram alicubi trahant, aut demigrent prius ad alias regiones, inuisuri fortè patriam, & quæcunque alia delicati, dissolutique homines facere consueuerunt; sed celeriter ad officium, cuius habenas susceperunt, proficiscantur, quemadmodum Iustinianus edixit constit. 95.

Ad hæc, omnia ea vrbs præfectus faciat, quæ Valerianus prudētissimè tradit lib. de officio procōsulis.

Antequam fines prouinciæ sibi decretæ ingressus sit, edictum debet de suo aduentu mittere, continens commendationem aliquam sui, si qua ei familiaritas sit cum prouincialibus, vel coniunctio; & maximè excusans, ne publicè, vel priuatim ei occurrant. esse enim conueniens, ut vnusquisque in sua eum patria excipiat. Rectè autem & ordine faciet, si edictum decessori suo miserit, significetque, qua die fines sit ingressurus: plerumque enim incerta, & inopinata turbant prouinciales, & actus impediunt.

Iustinianus constit. 95.

Ante duos dumtaxat dies, quàm prouinciam ingrediatur, in qua est qui magistratu defungitur, ad eum amicè conscriptam mittat epistolâ, quæ velit, ut cohors mittatur in eius occursum: atq; ex eo tempore

D d 2 anno-

annonas percipiat, ex quo iam cum magistratu est, & hunc administrat.

5 Vsq̄ue ad eò viris sapientibus nouitates displicuerunt, vt Vlpianus loco prænotato scripserit: hoc obseruare debet proconsul, vt per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est. Magni enim faciunt prouinciales, seruari sibi consuetudinē istam, & huiusmodi prærogatiuas.

Idem lib. 2. de Officio proconsulis.

6 Si in aliquam celebrem ciuitatem, vel prouinciæ caput peruenerit, pati debet commendari sibi ciuitatem, laudēque suas non grauatè audire, cum honori suo prouinciales id vendicent; & ferias secundum mores, & consuetudinem, quæ retrò obtinuit, dare.

7 Quod verò præfectus, urbem ingressus, primum facere debet, illud est; vt ad consistorium siue curiam ciuitatis accedat: ibidēque coram decessore, & fenatoribus, diploma regium, quo sibi ea ciuitas decreta & commissa est, exhibeat, ac perlegi faciat: & ex more infulas, & insignia magistratus, hoc est, virgas iustitiæ accipiat.

DE VXORE PRÆFECTI.

CAP. III.

1 Acris olim contentio fuit inter Seuerum Cæcinnā, & Valerium Messalinum, de vxoribus proconsulū, & aliorum magistratuū, vt est apud Cornelium Tacitum lib. 3. annalium.

2 Seuerus Cæcinna censuit ne quem magistratum, cui prouincia obuenerit, vxor comitaretur; multum antè repetito, concordem sibi coniugem, & sex partus enixam, seque quæ in publicum statueret, domi serua-

seruauisse, cohibita vxore intra Italiam: quanquam ipse plures per prouincias quadraginta stipendia expleuisset.

Haud enim frustra placitum olim, ne feminæ in socios aut gentes externas traherentur. Inesse mulierum comitatu, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur: non imbecillum tantum, & imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit, sæuum, ambitiosum, potestatis auidum, incedere inter milites, habere ad manum centuriones; cogitarent ipsi, quoties repetundarum aliqui arguerentur, plura vxoribus obiectari: his statim adhærescere deterrimum quemque prouincialium: ab his negotia suscipi, transigi: duorum egressus coli, duo esse prætoria; peruicacibus magis, & impotentibus mulierū iussis, quæ Oppiis, aliisque legibus cōstrictæ, nunc vinculis exolutis, domos, fora iam & exercitus regerent.

Cui Valerius Messalinus respondit: Multa duritie veterum meliùs, & latiùs mutata: nec enim vt olim obsideri urbē bellis, aut prouincias hostiles esse; & pauca feminarum necessitatibus concedi, quæ ne coniugum quidem penates, ad eò socios non onerent: cætera promiscua cum marito; nec vllum in eo pacis impedimentum: bella planè accinctis obeunda; sed reuertentibus post laborem, quod honestius, quàm vxorium leuamentum? at quasdam in ambitionem, aut auaritiam prolapsas. Quid ipsorum magistratuū, nonne plerosque variis libidinibus obnoxios? nō tamen ideo neminem in prouinciam mitti, corruptos sæpe prauitatibus vxorum maritos. Num ergo omnes celibes integros? placuisse quondam Oppias leges, sic tēporibus reipublicæ postulātibus, remissum

D d 3 aliquid

aliquid postea, & mitigatum, quia expedierit. Frustra nostram ignauiam alia ad vocabula transferri. Nam viri in eo culpam, si femina modum excedat. Porro ob vnius aut alterius imbecillum animum, malè eripi maritis confortia rerum secundarum, aduersarumque: simul sexum natura inualidum deserui, & exponi suo luxu cupidinibus alienis: vix præsentis custodia manere illæsa coniugia: quid fore si per plures annos in modum diffidij oblitterentur? sic obuiam irent iis, quæ alibi peccarentur, vt flagitiorum vrbis meminissent. Addit pauca Drusus de matrimonio suo: Nam principibus adeunda sæpius lōginqua imperij: quoties diuum Augustum in occidentem, atque orientem meauisse comite Liua? se quoque in Illyricum profectum, & si ita conducatur, alias ad gentes iturū, haud semper equo animo, si ab vxore charissima, & tot cōmunium liberorum parente, diuelleretur. Sic Cæcinnæ sententia elusa Messalinus obtinuit, vt vxores maritorum comites ad prouincias esse possent.

5 Sed Vlpianus lib. de Offic. proconsulis, inquit: Proficisci proconsulem melius quidem est sine vxore, sed & cum vxore potest, dummodo sciat, Senatū, Cotta & Messala consulibus, censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio, & vindicta exigatur. Ac mea quidem sententia ex qualitate coniugum, profectio- nis, & officiorum, id rectius existimari poterit.

Claudius canticula lib. 1. de offi. iudicis cap. 3

6 Olim Lacedæmonij magna ex parte muliebri imperio regebantur; atque vti hodie non multi essent iudices vxoribus obsequentes. inter cæteros vnū equidē noui, in fastigio ferè summi tribunalis collocatum,

catum, cui vxor omnes tantum non affectus dare, & qui hos ab illa accipere didicerit. quid autem refert (inquit Aristoteles) vtrum mulieres ipsæ gubernent, an eos qui gubernant, à mulieribus gubernari? idem enim accidit.

DE COMITIBVS PRÆFECTI

VRBI. CAP. IIII.

Ecclesiastici 10.

Secundū iudicem populi, sic & ministri eius. 1

Præfectus vrbi comites eligere debet, probos, prudentes, & muneribus aptos. Nam si quid perperam gesserint, id à præfecto præstandum est; quippe cum debeat bonos viros ad reipublicæ ministeria eligere.

Isocrates ad Dæmonium.

Delectus ad magistratum, nullius improbi ministerio in obeūdis negotiis vitior. Nam quidquid ille deliquerit, id tibi imputabitur.

Comites præfecti vrbi esse solent assessor, quem 4 Locum tenentem vocant, & alter iudex criminum, & apparitores siue executores, quos quidem idoneos facile præfectus inueniet, si modò iusta illis stipēdia dederit. Nam si vno quod aiunt nummo, comites istos conduxerit, aut salarij præstituti parte malè illos fraudauerit, sibi & auaritiæ suæ imputare debet, quidquid præfecturæ suæ tempore parum feliciter euenerit.

Lex Diocletiani & Maximiani lib. 1. C. tit. 47.

Studiorum labor meretur, vt ij qui in publicis 5 administrationibus constituti, sociari sibi consiliorum participes cupiunt, spe præmiorum atque be-

D d 4 nefi-

neficientia sua prouocent eos, quorum prudentiam sibi putant esse necessariam.

Cicero ad Quintum fratrem.

6 His autem in rebus iam te usus ipse profecto erudiuit, nequaquam satis esse ipsum has te habere virtutes, sed esse circumspectendum diligenter, ut in hac custodia prouinciæ non te unum, sed omnes ministros imperij tui, sociis & ciuibus, & reipublicæ prestare videare. Quos verò aut ex domesticis cõuictoribus, aut ex necessariis apparitoribus te cum esse uoluiti, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt.

Idem ad eundem, de his loquens quos habebat adiutores imperij.

7 Si quis, inquit, fortè eorum esset sordidior, ferres eatenus quoad per se negligeret eas leges quibus est astrictus, non ut ea potestate quam tu ad dignitatem permisisses, ad quæstû ueretur. *Et mox:* Quanta sit in quoque fides, tantum cuique committe.

Et paulò post.

8 Sed habes eos tecum quos possis rectè facientes facilè diligere, minus consulentes existimationi tuæ, facillimè coërcere: sint aures tuæ, quæ id quod audiunt, existimentur audire, non in quas fictè aut simulatè quæstus causa infusurretur; sit licitor, nō suæ, sed tuæ lenitatis apparitor: maiorâq; præferant fasces illi, ac secures dignitatis insignia, quàm potestatis. Si quis est eorum, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris, huic nihil credideris: nullam partem existimationis tuæ commiseris.

Idem in Verrem actione 4.

9 Si innocentes æstimari volumus, non solùm nos absti-

abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus. primùm omnium opera dāda est, ut eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ capitique consulant: deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiaefefellerit, ut vindicemus, missosque faciamus, & semper ita uiuamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur.

Diuus Hieronym. lib. 1. aduersus Pelagianos.

10

Cupit Apostolus ut Episcopus domum suam optimè regat, quòdque difficillimū est, ut filios habeat subiectos cum omni pudicitia, vel filios carnis, vel filios fidei: non enim sufficit episcopum propriam habere pudicitiam, nisi ea filiorum & comitum ac ministrorum pudore decoretur, dicente Dauid: Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. pudici autem esse debent, ut non solùm opere, sed sermone quoque & nutibus se abstineant ab impudicitia: ne fortè illud incidat Heli, qui certè increpauit filios suos, corripuit, & punitus est; quia non corripere debuit, sed abiicere: quid faciet qui gaudet ad vitia? qui emendare non audet? qui cõscientiam suam non metuit, & quod cunctus populus clamitat, nescire se simulat? quæ omnia non solùm de episcopis, sed etiam de aliis familiæ patribus accipienda sunt.

NE FAMILIA PRÆFECTI

MVNERA ACCIPIAT.

CAP. V.

Satis multa iam antè dixi, ut ne magistratus accipiant munera. Addendum eodem est, ne familia præfecti urbis quippiam doni aut muneris capiat; si secus fecerit, pœna septupli aduersus præfectû ipsum

D d 5 lege

lege regia sancita est, idque iure quā optimo, ne fraus legibus fiat, & fortè per vxorem, filios, domesticos, & familiares, ad magistratum perueniant munera.

Atque ea quidem olim Cicero Verrem commisisse ait, nam actione 4. in eundem, inquit:

- 2 Non nego tibi ipsi nullum nummum esse numeratum, sed cum ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata pecunię dabantur, non erat quærendum cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur. Comites illi tui delecti, manus erant tuæ: præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones, manus erant tuæ: ut quisque te maximè cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur. Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm si centum cohortes fugitiuorum fuissent, tua manus sine controuersia fuit quidquid ab horum quopiam captum est, id non modò tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est. nam si hanc defensionem probabitis, non accepit ipse, licet omnia de pecuniis repetundis iudicia tollatis. Nemo vnquam tam reus, tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit vti.

Cassiodorus lib. 11. variarum.

- 3 Non solùm nostras, sed & officij innoxias custodimus manus; alioqui inutile bonum est, iudicè non accipere, & multis accipiendi licentiam præbuisse.
- 4 Obseruet præfectus vrbi consilium illud Ciceronis ad Quintum fratrem, atque operibus præstet, & nemo erit qui familiaribus suis munera dare velit. Denique ait: Hæc opinio sit, non modò iis qui aliquid acceperint, sed iis etiam qui dederint, te inimicum (si id cognoueris) futurum. Neque verò quisquam

quam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos qui simulant, se apud te multum posse, abs te solere impetrari.

Ad hæc, præfectus rem boni exempli, & ciuibus gratissimam faciet, si familiarium crimina, præsertim eorum qui in officio delinquant, seuerè punierit: eo enim efficietur, ut intelligant homines, quòd qui suis non pepercit, nec alienis parcat.

Extat lex Honorij, & Theodosij lib. 1. Codicis Iustiniani, sub titulo 29. cuius verba sunt:

Omnes prouinciarum apparitores, pro inueterata auctoritate, iuxta motum iudicis, nudatos verberibus (si ita res tulerit) subiacere præcipimus, ut & facilis executio rerum publicarum sit, & officiorum insolentia comprimatur, & iudicium seueritati competens addatur auctoritas.

Aneas Syluius lib. 4. commentariorum.

Cum quæreret aliquis ex Nicolao quinto, qualis esset Eugenius Papa quartus, At inquit, hoc facile est cognitu: nam qualis familia est, talem & principem inuenias.

NE COMITES INDIGENÆ
SINT, AVT CONSANGVINEI
PRÆFECTI. CAP. VI.

Nec præfectus vrbi, nec eius comites indigenę esse possunt, ne odio, aut gratiæ multa concedant. itaque locum præfecti tenens, iudex criminum assessor, apparitores & executores, aliunde sunt assumendi.

Lex Anastasij lib. 1. C. tit. 39.

Nulli patriæ suæ administratio sine speciali permissu principis permittatur.

Lex

Lex Constantij lib. 12. C. tit. 6.

3 Nullus apparitor ad eam prouinciã, ex qua oriundus est, vel in qua collocauerit Larem, obtentu publicæ necessitatis, vel executor priuati negotij dirigatur. Apparitor verò, qui huic se muneri passus est deputari, militia spoliabitur. Hæc autem pœna etiã cæteris officialibus irrogata est.

Lex Gratiani lib. 9. C. tit. 29.

4 Ne quis sine sacrilegij crimine desiderandum intelligat gerendæ ac suscipiendæ administrationis officium, intra eam prouinciam, in qua prouincialis, & ciuis habeatur, nisi hoc cuiuspiam vltronea liberalitate per diuinos affatus imperator indulgeat.

Julius Paulus lib. 5. sententiarum tit. de fisci aduocato.

5 In ea prouincia, ex qua quis originem ducit, officium fiscale administrare prohibetur, ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videatur.

6 Qui eiusdẽ ciuitatis non sunt, & administratione deposita, aliò migrare debent; ij proculdubio sine respectu cuiuslibet officium suum liberè faciunt: contrariũ verò indigenis euenire solet. Quid quòd odia & inimicitia inter municipes ipsos oriuntur, & crescunt, cum ciuis in suum ciuem, tametsi iustissimè, animaduernerit.

7 Quas ob res legibus regiis, & mandatis veritum est, ne officia ista indigenæ gerant: & eisdem mandatis adiicitur, ne comites consanguinei, aut affines sint præfecti vrbis, cum his enim amicitiam natura ipsa peperit: quo fit, vt seuerè in eos præfectus animaduertere non facilè queat.

Diuus Thomas in Matth. cap. 13.

8 Cur homo in patria sua minus honoratur? vna ratio

tio est, quia quando est in patria sua, multi qui cognoscunt infirma eius, semper illa reducunt in memoriam: & hæc est malitia hominum, vt magis cogitent defectus aliorum, quàm virtutes, aut perfectiones eorũ. Ratio altera potest assignari, quia (vt ait Philosophus) populus multum paralogizatur: & credit quòd in aliquo pares, in omnibus pares sint: vnde quando aliquis est in patria sua, cum videant alios ei pares in genere, vel in aliis, credunt, quòd non possit esse maior, aut melior illis.

DE SENATORIBVS, SIVE
DE CVRIONIBVS. CAP. VII.

Senatores vrbum, rectores vulgo appellantur, & præfectus ipse, corrector: nempe quia omnes simul regunt ciuitates. Hi præfectorum socij atque consiliarij, & nonnunquam assessores, viri prudentes, & probi, & nobiles esse deberent, vt publicis & priuatis rebus rectiùs consulere possint.

Dio Cassius lib. 52.

Mæcenas Cæsari Augusto dixit: Equites multis negotiis obeundis clari, digni sunt qui in ordinẽ senatorium recipiantur; quin etiam ex his qui ordines in ciuilibus legionibus duxerunt, in senatum adscribendi aliquando nonnulli sunt, modò ne stipendia meruerint: quippe turpe ac probrum sit, eos in senatorum numero haberi, qui aliquando storeas & corbes gestauerint.

Hi ferè hodie sunt, quos olim Defensores ciuitatum nominabant. nam idem penè est vtrorumque officium, quemadmodum ex his legibus perspicuè patet.

Lex

Lex Gratiani lib. I. C. tit. 51.

4 In defensoribus ciuitatū erit administrationis hæc forma: scilicet, vt in primis parentis vicem plebi exhibeas; descriptionibus rusticos vrbanoſque non pariaris affligi: officialium insolentiæ, & iudicum procacitati (salua reuerentia pudoris) occurras: Ingredi cūm voles ad iudicem, liberam habeas facultatem.

Lex Valentiniāni sub eorum tit.

5 Defensores nihil sibi insolenter, nihil indebitum vindicantes, nominis sui tantūm fungantur officio: plebem ab omni improborum insolentia & temeritate tueantur; vt id tantūm quod esse dicuntur, esse non desinant.

6 Ad officium senatorum pertinet, omni ope curare, nequid respublica detrimenti capiat; libera sint illis suffragia semper sine respectu cuiusquā. sit illis propositum commune bonum, & ab eo se auelli nunquam patiantur: ne priuata odia publicis vtilitatibus anteponan; ne bona ciuitatum depeculētur: demum quæ facturos se ac seruatuos iurant, fideliter ea omnia præstent.

Cassiodorus lib. 4. variarum.

7 Decet quidem cunctos patriæ suæ augmenta cogitare, sed eos maximè, quos respublica sibi summis honoribus obligauit; quia ratio rerum est, vt eum necesse sit plus debere, qui visus est maiora suscipere.

Ex Dione lib. 52.

8 Mæcenas ad Augustum Cæsarem, de ætate senatorum inquit: Adscribendi in senatum annos viginti quinque habere debent. quomodo enim non sit turpe ac damnosum, cūm nemini ante id ætatis suorum bonorum administrationem concedatis, his qui eam nondum

nondum attigerint, rempublicam vos credere.

Beda in Prouerbia, cap. 20.

Tunc ciuitatis cuiusque bene ordinatæ, tunc res sanctæ Ecclesiæ rectè aguntur, cūm & fortiores quique viribus necessariis insistent operibus, & seniores maiore prudentia præditi, de his quæ agēda sunt, salubriter consulunt.

Sed illud præterire non possum, in quo senatores quosdam rimarum plenos facilè deprehendas: qui arcana reipublicæ tanta licentia produnt, vt nihil minus, quàm sese iniquè agere, credere videantur: cūm & peritū hoc solo ac periuri sint; & tamē iam id iniqua consuetudine leue & pro nihilo esse putatur.

Cicero lib. I. de Legibus.

Tantam esse ait corruptelam malæ consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria.

Diuus August. in Enchiridio, cap. 30.

Magna etiam & horrenda peccata, cūm in consuetudinē venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur.

DE RATIONE REPOSCENDA, QUAM VVLGO RESIDENTIAM VOCANT. CAP. VIII.

Luca 16.

Redde rationem villicationis tuæ.

1. Regum 12.

Dixit Samuel ad vniuersum Israël: Ecce præsto sum. loquimini ad me coram Domino, & corā Christo eius, vtrum bonem cuiusquam tulerim aut asinum; si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem: si de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam.

temnam illud hodie, restituamque vobis.

- 3 Mandatis cauetur, ut iudex residentiae siue praefectus urbi rationem administrationis a decessore deponat. Is autem qui eodem officio functus est, permanere debet, ac residere quinquaginta diebus in ciuitate cui praefuit; idque est quod a residendo vulgus Residentiam nominat.

Lex Zenonis lib. 1. C. tit. 45.

- 4 Nemo ex omnibus magistratibus, postquam sibi successum fuerit, audeat excedere de locis quos rexisse noscitur, antequam quinquaginta dierum constitutus numerus finiatur: sed per id tempus publice, non domi, vel intra sacrosanctos terminos, aut potentes domos latitantes; sed in celeberrimis locis ante omnium quos nuper gubernauerant, ora versentur: ut pateat omnibus facultas libera super furtis aut criminibus querimoniam commouendi, & ille accusare volentibus pro legum ratione respondeat.

- 5 Ipse autem qui praesentem fugiens non obserauerit legem, ubicunque repertus fuerit, sine ullo penitus obstaculo deducatur, per sex menses ibidem moraturus, ne possint eius crimina vel furta celari: quod si intra quinquaginta dies coepta necdum finita lis fuerit, si ciuilitate fuerit pulsatus, dato procuratore instructo, post quinquaginta dies protinus discedere valeat. Si vero de crimine fuerit accusatus, usque ad terminum causae ibidem necessariò permaneat.

- 6 Haec eadem renouans Iustinianus constitutione 95, inquit: Sancimus, ne cui praesidi prius licentia sit prouinciae deserendae, quam magistratum deponat; & ut eo deposito per quinquaginta dies sub publico aspectu commoretur in prouincia, cui praefuit: referatq;

in

in acta publica eum diem quo discedit ex prouincia, ut perficiuum sit, in rebus ne gestis suis fiduciam collocet, an non.

Praeterea si quis magistratum siue militarem, siue 7 ciuilem vel adhuc gerens, vel eo abdicatus, prouinciam relinquat; is sane magistratus, qui absque iussione nostra hanc reliquerit, tum criminis perduellionis reus esto, tum denuò in prouinciam remissus, postquam his, qui crimen ei ingerunt, responderit, ut perduellionis reus extremum supplicium excipito.

Chrysof. in dictum Pauli, Vtinam tolerasseris.

Grauis iste morbus magistratibus infestus est, ut 8 post se administrationem rerum suscepturos, peruersos esse ac sceleratos precantur. Nam qui sunt generosi magnique animi, in clariorem splendorem se existimant euasuros, cum eiusmodi non fuerint, qui in principatu sequuntur; qui tantum umbræ sunt, corruptique moris, arbitrantur malitiam successoris ipsis in praetextum flagitiorum fore.

Suetonius in Domitiano.

Magistratibus quoque urbicis, prouinciarumque 9 praesidibus coercendis, tantum curae adhibuit, ut neque modestiores unquam, neque iustiores extiterint, è quibus plerisque post illum reos omnium criminum vidimus.

Vbi ministrorum publicorum sine causa euidenti 10 nimium creuerint facultates, ibi manus eorum suspectae esse debent. Nam, ut rectè inquit Plato, qui iustè tantum acquirit, nunquam diuitiis excellet: ac fortè expediret reipublicae, ut suarum diuitiarum rationem reddere cogentur.

E e

DE

1 Ergo præfectus vrbi (si id ei commissum fuerit) actiones & accusationes aduersus decessorem, & comites eius propositas audire, ac breuiter eas definire debet: alioquin iudex ad hoc missus, id ipsum teneatur facere.

Lex Arcadij, & Honorij lib. 2. C. tit. 47.

2 Consiliarios iudicum, & cancellarios, & eos, qui domesticorum funguntur officio, post depositam administrationem quinquaginta dies in prouinciis residere præcipimus. Pro confesso autem tenebitur, qui accusatus, huiusmodi personam subtraxerit: eaque in quadruplum restitui iubemus, quæ desiderantur ablata; ut duplum spoliatus accipiat, & duplum noster fiscus adquirat.

Pars legis Honorij, & Theodosij sub eodem tit.

3 Cancellarij post depositam administrationem prouincialibus præsentiam sui exhibeant, quo volentibus sit accusandi eos facultas; si enim idonea causa exegerit, ad detegenda iudicis flagitia, etiã quæstioni eos subdi oportet.

4 Variis pœnis magistratuum crimina coercetur, quas nunc referre nihil attinet: eam duntaxat memorasse sufficiet, quam Herodotus lib. 5. retulit, in hanc sententiam: Sisamnem, vnum è regijs iudicibus, quod iniuste ob pecuniam iudicasset, rex Cambyses interemerat, interemptoque detractum coriũ in lora confcidit, quibus tribunal, in quo ille sedens iudicarat, intendit; ibidemque eius filium Oranem sedere iudicem præcepit, atque in memoria habere, in quo tribunali iudicaret.

Irenæus

Irenæus lib. 5. aduersus hæreses.

Magistratus indumentum iustitiæ leges habentes, quæcunque iuste ac legitime fecerint, de his non interrogabuntur, neque pœnas dabunt; quæcunque autem ad euersionem iusti, inique & impie contra legem & more tyrânico exercuerunt, in his & peribunt, iusto iudicio Dei ad omnes æqualiter perueniente, & in nullo deficiente.

Inquiritur quoque secretò in decessorem, & eius comites; vt etiam officio iudicis constet, vtrum bene, an malè rempublicam administrauerint. Quod si quempiam inuenerit ex cane in lupum conuersum, seuerissimis eum suppliciis afficiet.

Demosthenes oratione 1. contra Aristogitonem.

Canis iste est populi, qui eos, quos vt lupos insimulat, non mordeat: quas verò se tueri profitetur oues, ipse deuoret. at qui dicunt, canes, qui de ouibus gestent, esse iugulandos. itaque primo quoque tempore è medio tollendus est.

Diuus Bernardus ad comitem Theobaldum epist. 37.

An ignoratis quis minetur? cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo: quod si iustitias, quanto magis iniurias? an non timetis, quod rursum scriptum est, Quia in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis?

Debet etiam præfectus vrbi rationes excutere vetigalium publicorum, & accepta, & expensa perspicere, & vt reliqua soluantur cogere, & quæ perperâ fuerint expensa, delere.

Plinius Traiano lib. 10. epist. 4.

Nunc reip. Prusensium impendia, redditus, debitorum excutio; quod ex ipso tractu magis ac magis necessarium intelligo. Multæ enim pecuniæ variis ex

E e 2 causis

causis à priuatis detinentur: præterea quædã minimè legitimis sumptibus erogantur.

Cui Traianus respondit:

11 Rationes in primis tibi rerum publicarum excutiendæ sunt; nam & eas esse vexatas, satis constat.

Idem Plinius eidem Traiano alia in epist. scribit.

12 Requirenti mihi Byzantium reipublicæ impendia, quæ maxima fecit, indicatum est Domine legatū ad te salutandum annis omnibus cum psephismate mitti, ei que dari nummorum duodena millia. Memor ergo propositi tui, legatum quidem retinendū, psephisma autem mittendū putauī, ut simul & sumptus leuaretur, & impleretur publicum officium. Eidem ciuitati imputata sunt terna millia quæ viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eū, qui Mesia præest, publicè salutandum. Hæc ego in posterū circuncidenda existimaui. Te Domine rogo, ut quid sentias rescribendo, aut consilium meum confirmare, aut errorem emendare digneris.

Traianus respondit.

13 Optimè fecisti, Secunde charissime, duodena ista Byzantiis, quæ ad salutandum me in legatum impendebantur, remittendo. Fungetur his partibus, etsi solum eorum psephisma per te missum fuerit. ignoscet illis & Mesia præses, si minus illum sumptuosè coluerint.

DE PRÆTORIIS, ET OPERIBVS. CAP. X.

1 Si fortè publica domus in ciuitate non sit, in quâ præfectus vrbi, & senatores, commodè conuenire possint; curate præfectus debet, ut quàm primùm fieri

fieri queat, ædificetur. Prætoria quoque, id est, domus quas præfecti habitant, reficiantur.

Lex Anastasij 1. C. tit. 39.

2 Nulli iudicum, qui prouincias regunt in ciuitatibus, in quibus sacra palatia, aut prætoria sunt, liceat his relictis priuatorum sibi domos ad habitandum, veluti prætoria vendicare: sed sacratissima modis omnibus habitare palatia, seu prætoria, ut hac necessitate compellantur eorum reparationi prouidere.

3 Opera quoque omnia publica ad officium præfecturæ urbanæ hodie pertinet: quæ olim ad ædiles pertinebant. *Aristoteles lib. 6. Polit. cap. 8.*

4 Secunda procuratio est urbanarum rerum, tum communium tum etiam priuatarum, ut cum decente ornatu ædificia & viæ conseruentur, & collapsa reficiantur, & cetera, quæ similem procurationem attingunt: qui magistratus, ædilitas à plerisque nominatur.

Ulpianus lib. 2. de Offi. procons.

5 Ædes sacras, & opera publica proconsul circumire debet inspiciendi gratia, an facta recta sint, & quæ sint, vel an aliqua refectione indigeant, & si qua cœpta sunt, ut cōsummētur, prout vires eius reipublicæ permittuntur, curare debet. Curatorésque operum diligentes, & solemniter præponere, ministeria quoque militaria, si opus fuerit, ad curatores adiuuandos dare.

6 Quod si Ulpianus ethnicus in primis ædes sacras visendas, & reficiendas esse à proconsule, tradit: multo id magis à veræ religionis cultoribus faciendum est. Itaque præfectus vrbi, ciuitatis episcopo in templis ædificandis, & reficiendis adesse, ac suffragari debet.

4. Regum 12.

7 Vocauit rex Ioiadam Pontificem & Sacerdotes, dicens eis: Quare facta tecta non instauratis templi?

Aggei 1.

8 Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam?

Sanctus Hieronym. epist. 8.

9 Alij ædificent ecclesias, vestiunt parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumque dearent capita ebore, argentoque, valuas gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, non abnuo, vnusquisque in suo sensu abundet; meliusque est hoc facere, quàm repositis opibus incubare.

Diuus Ambrosius sermone 89.

10 Si commendatur Domino qui ædificauit synagogam (*Lucæ 7.*) quanto est commendatior, qui ædificauit ecclesiam? & si is meretur gratiam qui impietatis receptaculum præstitit, quanto maiorem meretur gratiam, qui religioni domicilium præparauit? & qui ædificare fecit tabernaculum, vbi Christus quotidie prædicatur?

Beatus Chrysost. in Acta Apostolorum, homil. 18.

11 Si quid habes infumendum in pauperes, in ædificanda ecclesia infume: melius illuc, quàm ibi: preces illic, perpetuæ propter te laudes, & synaxes propter te, oblatio per singulos dies Dominicos, vtrum magis mirandum, quòd alij extruunt clara sepulchra, vt posterius audiant quòd ille construxit, an quòd tu ecclesias excitas? cogita quòd vsque ad Christi aduentum mercedem habiturus sis, qui altare Dei excitaturus es? Dic enim oro, si rex tibi præcepisset domum

extrue-

extruere, vt illic habitaret, nonne omnia fecisses? Nunc igitur regia Christi constructio, ne sumptum spectes, sed fructum computa.

Idem diuus in priorem epist. ad Corinth. sermone 36.

Non constrina aut vnguëtaria taberna ecclesia est, aut officina forensis, sed locus angelorum, locus archangelorum, regia Dei, cælum ipsum. quemadmodum igitur si cælum quispiam ingressus, etiam si patrem, etiam si fratrem videat, tamen præ stupore non alloqueretur; sic nec in ecclesia aliud quidquàm quàm sancta sonare decet. nunc verò ecclesia nihil foro differt, vendere quid aut mercari lubet, magis idonea ecclesia est, quàm forum: dicere malum, audire mala vis, etiam hoc frequentius hic quàm foris. *hæc ille, æque alia in eandem sententiam plura.*

Biesius lib. 3. de Republica.

Templa rebus diuinis consecrata sunt, in quæ nos à tumultibus reciperemus, quo possemus commodius de religione negotiisque salutis nostræ cum Deo tractare. Diligenter autem obseruandum est, vt nihil indecens sit vnquam in templis, ac non vehementer religiosum. Res sacræ nihil admittunt, nisi quod omnino serium sit atque seuerum. Ludicra verò omnia, quæ suapte natura stulta sunt & inepta, si propter stolidam nostri partem ad contentioris animi relaxationem interdum vtilia sint; vel in foro, vel priuatim in ædibus, non autem in templis exerceantur. Certè legimus sapientissimos omnes, præcipuè tamen Christianos, ab huiusmodi ineptiis plurimùm abhorruisse.

Non probo eorum opinionem, qui aiunt, ædificandum esse viuis in lapidibus, non autem in sacris ædibus; is enim prætextus hæreticorum est, ne con-

Ec 4 struantur

struantur ecclesiæ, ne bona opera fiant; deniq; vt cultus diuinus, atque adedò Christiana religio intereat. Nā (excepta extrema necessitate) si nunquā ecclesiæ, aut loca pia sunt ædificanda, nisi cūm pauperes non inueniantur, perspicuum est quòd nunquam ædificabuntur.

DE NOVIS OPERIBVS.

CAP. XI.

1 Præfectus & senatores opus nouum facere nequeunt, nisi consulto principe.

Lex Valentiniāni lib. 8. C. tit. 12.

2 Nullus iudicum nouū opus informet, quoties serenitatis nostræ arbitria cessabunt: nisi de suis pecuniis huiusmodi opus voluerit constituere. Ea tamen instaurandi, quæ iam deformibus ruinis intercidisse dicuntur, vniuersis licentiam damus.

Lex Arcadij & Honorij eodem tit.

3 Nemo iudicum in id temeritatis erumpat, vt inconsulta pietate nostra, noui aliquid operis existimet inchoandum; si quis contrā fecerit, sex libris auri mulctabitur: similis etiam condemnatio ordines ciuitatis manebit.

Lex Leonis sub eodem titulo.

4 Nemini iudicū liceat noua opera inchoare, priusquam ea quæ cœpta inuenerit, à decessore vel decessoribus suis vetustate dirupta, aut desidia derelicta, diligenti studio instantiæque compleat: cūm ex hoc plurimum laudis acquirat, si ea culta & perfecta reddiderit, quæ vetusta sunt & instauracionem requirūt, quæque ab aliis initiata & imperfecta resederant.

5 Ac si diceret: Multò maiorem laudem ferent, qui
vetusta

vetusta instaurauerint, quàm ij qui rebus hisce neglectis, noua opera fuerint aggressi.

Lex Constantini lib. 15. C. Theodosiani tit. 1. vbi alia multa leges similes referuntur.

Prouinciarum iudices commoneri præcipimus, vt nihil se noui operis ordinare antè debere cognoscāt, quàm ea compleuerint quæ à decessoribus inchoata sunt: exceptis dumtaxat templorum ædificationibus.

Plinius Traiano lib. 10. epist.

Quærenti mihi, Domine, Prusæ vbi posset balineum, quod indulxisti fieri, placuit locus in quo fuit aliquando domus (vt audio) pulchra, nūc deformis ruinis. Per hoc enim consequemur, vt fœdissima facies ciuitatis ornetur, atque etiam vt ipsa ciuitas amplietur, nec vlla ædificia tollantur, sed quæ sunt vetustate sublapsa, reparentur.

DE MV R I S, E T V I A

P V B L I C A. CAP. XII.

Ad officium quoque præfecturæ vrbane pertinet, murorum & viarum cura, muri enim & viæ publica refici & extrui debent.

Vlpianus lib. 69. ad Edictum.

Muros municipales nec reficere licet sine principis vel præsidis auctoritate, nec aliquid eis coniungere vel supponere.

Martianus lib. 4. Regularum.

In municipiis quoque muros esse sanctos, Sabinū rectè respondisse Cassius refert: prohiberi que oportere, ne quid in his immitteretur.

Lex Honorij lib. 8. C. tit. 12.

Omnes prouinciarum rectores literis moneantur, 4

ut sciant, ordines atque incolas urbium singularum, muros vel novos debere facere, vel veteres firmitus renouare.

5 Quæ de muris retuli, eadem de pontibus & itineribus reficiendis sunt accipienda; item de fontibus.

Lex Honorij lib. 1. C. tit. 2.

6 Ad instructiones itinerum pontiumque etiam diuinas domos tam laudabili titulo libenter adscribimus, quia non est inter fordida munera numeratum.

Plato lib. 6. de Legibus.

7 Viarum urbis curam habeant ædiles, vulgariūmq; itinerum, quæ à regione in urbem tendunt: ædificationum quoque, ut secundum leges omnes fiant.

Papinianus lib. 43. Digest. tit. 10.

8 Ædiles curam gerant per urbem publicorum itinerum, ut complanentur: neve flumina damnum dent ædibus, & ut ponticuli sint quocunque loco opus fuerit.

9 Procurèt etiam, ne quis publica itinera profodiat, aut aggeribus congestis obruat, neve quid in publico itinere exædificet; si contra factum erit, seruus quidem flagellis, à quocunque qui eum deprehenderit, cædatur. liber verò ædilibus indicetur: ædiles autem lege in eum animaduertant, & quod factum est destruant.

10 Prætereà curent, ut ante suas quisque ædes publicas vias reparet, repurgètque aquagia quæ sub dio sunt; ita quidem, ut nequid impedimento sit, quo minus eatur, agatur.

11 Procurent insuper, ne quid ante officinas propositum sit, præterquam si fullo vestiméta ab excoctio-
ne ad auram recreet, vel faber rotas exponat; ut jamè
ita

ita collocent, ne impedimento sint ducendo vehiculo. hæc prudentissimè *Papinianus.*

Platina lib. 2. de optimo ciue.

Ædiliū munus esse putabatur, curare ut fora, vi- 12
ci, strata, viæ publicæ, cloacæ, aquæductus, cæteraq;
ædificia, lauta, munda, integra, expeditaque asserva-
rentur, tum ad vtilitatem, tum ad salubritatē ciuium.

Ex Petrarca de Rep. optimè administranda.

Porcorum grūnientium, ac solum suffodientium 13
fædum spectaculum è callibus remouendum est, ac
pœnis sancendum, ut qui porcos habent, rure eos
alant, aut eos domi includant; repertos verò in pu-
blico, quicunque voluerit, impunè eripiat.

Sunt qui putent ad officium præfecturæ urbanæ 14
in primis attingere, ut resecètur cōtignationes illæ, quæ
ex ædibus eminent supra calles; quia singulariter de-
formant ipsam urbis venustatem: sed id nec legibus
cautum, nec mandatis adiectum est; nec fieri quidem
potest, nisi consulto principe. Adde, quòd magno
priuatorum incommodo contignationes diruuntur,
nec semper deformes sunt, nec rebus publicis nocēt.

Memorat Cornelius Tacitus lib. 15. Annalium,

Post magna urbis incendia præcepisse Neronem, 15
ut erigerentur domus dimensis vicorum ordinibus,
& lais viarum spatiis, patefactis areis, additisque por-
ticibus, quæ frontem insularū protegerent: eas por-
ticis Nero sua pecunia extructurum pollicitus est.
Addit præmia, pro cuiusque ordine & rei familiaris
copiis; finiuitque tempus intra quod effectis domi-
bus præmium adipiscerentur. Ædificia ipsa certa sui
parte sine trabibus esse voluit, & ut saxo Gabino Al-
banòq; solidarètur; quòd is lapis igni imperuius est.

Ea

Julius Paulus lib. 39. Digest. tit. 2.

- 8 Ad curatoris reipublicæ officium spectat, ut disruptæ domus à dominis extruantur. Domum verò sumptu publico extructam, si dominus ad tempus pecuniam impensam cum vsuris restituere noluerit, iure eam respublica distrahit.

DE OPERIBVS PVBLICIS,
ET PRIVATIS. CAP. XIII.

Ulpianus lib. 1. Digest. tit. 18.

- 1 Præses provincie inspectis ædificiis, dominos eorum, causa cognita, reficere ea compellat: & aduersus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferat.

Lex Diocletiani lib. 11. C. tit. 19.

- 2 Si secundum legem ciuitatis respublica, cuius meministi, ruina collapsis ædificiis tuis, distraxit aream; nihil contra huius legis tenorem rector provincie fieri patietur.
- 3 Pluribus regiis legibus vetitum est, ne à priuatis hominibus arces vel turres ædificentur.

Plutarchus in Tiberio, & Graccho.

- 4 Caius Gracchus maximè diligentem circa viarum procurationem se præstitit, tum vtilitatis causa, tum etiam ornatus. Rectis quidem regionibus vias deduxit, & eas priuatim lapide incussò strauit, partim arenæ muniuit aggeribus, iniqua adæquans; & quantum valles, torrentesque obrumpebant, pontibus æquali altitudine ac procliuitate coniungens, pulcherrimam operis speciem ostendit. dimenso præterea viarum spatio singulis miliaris columnas lapideas spatij signa præferentes constituit. Alios insuper lapides pa-
- rum

rum inter se distantes ex vtraque parte viarum disposuit, ut ex illis faciliter, & sine saltu in equos esset ascensus: & ob hæc à populo Romano laudatus est.

Sed in huiusmodi aliisque omnibus rebus nouis, ne opera impensa pereat, magni interest (ut Aristoteles lib. 2. Politicorum capite 3. inquit) longi temporis, & multorum annorum memoriam replicare: in quibus si recta ea & commoda essent, non laruiscent. Cuncta enim ferè inuenta sunt, sed quædam in consuetudinem non inducta, quædam ab expertis repudiata: multa quidem olim tentata sunt frustra, quæ hodie, ut noua, magnis impensis ne quidquam renouantur.

Patricius lib. 8. de instit. reip.

Secundum vias publicas in vrbe priuatæ edes longo ordine, ad pares, si fieri potest, dimensiones constituendæ sunt, ut speciem vrbs exornent. Et, ut ait Cicero, dignitatem viri auget ædium pulchritudo. Auaritiam autem eorum vituperandam censeo, qui cum ditissimi essent, nihil vnquam ædificauerunt, ut pecuniæ parcerent: quod si tale quippiam maiores nostri sibi persuasissent, adhuc pastorum tuguria, & rusticas casas in vrbibus haberemus. sed fit nescio quo pacto, ut homines quidam ardentes avaritia, in domibus ædificandis propemodum prodigi esse videantur.

Varro lib. 1. de re rustica c. 12.

Villa quæ posita est ad exortus equinoctiales, aptissima; quod æstate habet umbram, hieme solem.

Columella lib. 1. de re rustica cap. 4.

Diffusiora consepta non solum pluris ædificamus, sed etiam impensis maioribus tuemur: pro portione
etiam

etiam facultatum, quàm optimè paterfamilias debet habitare, vt & lubentiùs rus veniat, & degat in eo: incundius vtique viro si etiam matrona comitabitur. cuius vt sexus, ita & animus est delicatior: quam obrem amœnitate aliqua demerèda erit, quo patientiùs moretur cum viro.

Palladius lib. 1. de re rustica tit. 9.

9 Mansiones quæ hiemi parantur, ita sint constitutæ, vt possit eas hiberni solis totus propemodù concursus hilarare. Sed si æstiuæ mansiones sunt, orientem solstitialem, & partem septentrionis aspiciant.

Chrysof. ad populum Antioch. homil. 2. in fine.

10 Ædificemus, vt habitemus, non vt superbiamus: necessitatem transcendens superfluum est & inutile. Vis magnas & splendidas domos ædificare, non prohibeo, sed non super terrâ: ædifica tabernacula in cælis, vt & alios suscipere possis; tabernacula nunquam deficientia: patriam habes in cælis, illuc omnia trans mitte, vt retributionem capias.

DE HORREIS PVBLICIS.

CAP. XV.

Genesis cap. 41.

1 Constituat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti: qui cõstituat præpositos per cūctas regiones, & quintam partem fructuù congreget in horrea.

2 Cura horreorum publicorum ad vrbs præfecturam pertinet.

Lex Valentiniiani lib. 10. C. tit. 26.

3 Cùm ad quâlibet vrbs accesseris, protinus horrea te inspicere volumus. Nam si per incuriam offi-

cij

cij grauitatis tuæ sartorum tectorum neglecta procuratione, aliqua pluuis infecta perierint; ad damnatum referentur.

Alia lex eiusdem ibidem.

Omnia quæ in horreis habentur, expendi volumus: ita vt non prius ad frumentum extendatur expensa, quod sub præfectura tuæ vrbs horreis infertur, quæ vetera condita fuerint erogata. Et si fortè vetustate species ita corrupta est, vt per semet erogari sine querela non possit; eidem ex noua portione misceatur, cuius adiectione corruptio velata, damnatum fisco nõ faciat.

Ad istud autem negotiù arbitrati ac iudicio tuo nobis prudens, fidelis, optimè sibi conscius, pro integritate mentis apponatur custos ac mentor; qui vel frumenta modio metiatur, vel iustis æstimationibus colligat quanta habeantur in condito.

Extat & inibi alia constitutio Arcadij, qua eos, qui aliquid ex horreis publicis vsurpauerint, deportatione, ac bonorum publicatione condemnat. quam sanctionem iustissimam si hodie in illos exequeremur, qui publicum frumentum occupare solent, longè quidem meliùs rebus publicis consultum esset.

Vbi horrea publica desunt, curare debet præfectus vrbs, vt ædificentur.

Pars legis Anastasij lib. 1. C. tit. 39.

Vbi palatium est, & prætorium: palatium quidem habitationi præsidis; prætorium autem suscipiendis, conseruandisque speciebus publicis horreorum vice depuretur.

Debent autem frumento repleti horrea vbertatis tẽpore, vt Pharaoni consuluit Iosephus, Genesis 41.

FF

Lxx

Lex Leonis lib. 10. C. tit. 48.

10 Statuimus, omni excusatione cessante, nullaque personali dignitate penitus excepta, in quibuscumque locis administrationi iuræ commissis opus exegerit murorum constructionem, seu comparationem frumenti, aliarumque specierum, sine vlllo impedimento, prout commodum atque necessarium magnitudo tua prospexerit, fieri.

11 Horrea publica præferenda sunt omnibus priuatis hominibus in frumenti emptione, sicuti regia lege cauetur.

12 Renouanda esset illa consuetudo, cuius meminit Ulpianus his verbis: Solent possessores certam partem fructuum municipio villore pretio addicere. lib. 7. Digest. tit. 1.

Ferus in cap. 11. Actorum.

13 Tempore abundantie debemus temperatè uti terræ nascentibus, ac de his quæ supersunt, partim pauperibus erogare, partim recondere in futurum. sic enim Ioseph in Ægypto fecisse legimus; nec contrariatur huic quod dicitur, Nolite solliciti esse, &c. Sola enim sollicitudo ex incredulitate prohibetur. unde & Christus iussit fragmenta colligere, ne pereant: Dei enim benedictio & donum est abundantia frugum: hanc igitur benedictionem honestè cōseruare oportet, hæc si fierent, nūquam inopia premeremur: quia autem in abundantia omnia decoquimus, semper fame & penuria laboramus.

14 Quo tempore sit frumentum emendum, vendendum, & renouandum, & quo pacto sit in hortis publicis conseruandum, multis ciuitatum ordinacionibus pronisum est, quas præfectus vrbi seruare & exequi debet.

DE

DE FONTIBVS, ET AQUIS.

CAP. XVI.

4. Regum 2.

Dixerunt viri ciuitatis ad Eliseum: Ecce habitatio 1 ciuitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ sunt. & egressus Eliseus ad fontem aquarum, misit in illū sal: & ait, Hæc dicit Dominus, sanauit aquas has, & non erit vltra in eis mors neque sterilitas.

Plato lib. 6. de Legibus.

Curam aquarum ædiles habeant, vt in fontes quã 2 liquidissima sufficientesque ducantur, ac ciuitatem luuent pariter & exornent.

Aristot. lib. 7. Polit. cap. 11.

Quod verò pertinet ad aquas & fontes, primū est, 3 vt aquarum suppetat intima copia: quod si non contingat, inuenta est à prioribus huic incommodo mendendi ratio per cisternas, imbribus excipiendis comparatas, magnas, & multarum aquarum capaces, quæ nunquam oppidanos deficiant, si bello intra oppidū compulsi, vsu agri prohibeantur.

Et paulo post.

In ciuitatibus quæ prudèter administrantur, aquas 4 nisi omnes similes sint, nec fontium puteorumque copia suppetat, diuisas esse oportet, vt quæ potui sunt aptæ, separatæ sint ab his quæ aliis vsibus accomodantur.

Lex Zenonis lib. 11. C. tit. 42.

Diligenter inuestigare decernimus, qui publici ab 5 initio fontes, vel cum essent ab initio fontes priuati, postquam publicè vsu præbuerūt, ad priuatorum vsu cōuersi sunt; siue sacris apicibus per subreptionem impetratis, ac multo amplius, si auctoritate illi-

F f 2

cita;

cita, nec appetito colore sacri oraculi huiusmodi aliquid pertentatum fuisse cognoscitur; ut ius suum civitati restituatur, & quod publicum fuit aliquando, minimè sit priuatum, sed ad cōmunes vsus recurrat: sacris oraculis vel pragmaticis sanctionibus aduersus commoditatem vr̄bis quibusdam impertitis, iure cassandis, nec longi temporis præscriptione, ad circumscribenda ciuitatis iura profutura.

- 6 Præfectus vr̄bi & eius apparitores circumeant priuatas domos, ad requirendum, ne qua deceptio vel suppressio in aquæductibus fiat contra publicam utilitatem; & seuerissima pœna eos afficiant, qui aquam ad prædia sua ex aquæducto publico, vel castellis deriuauerint, quemadmodum multis legibus eiusdem tituli sancitum est.

Venuleius lib. 43. Digest. tit. 21.

- 7 De riuis reficiendis ita interdicitur, ut non queratur an aquam ducere actori liceret. Non enim tam necessariam refectionem itinerum, quàm riuorum esse: quando non refectionis riuis, omnis vsus aquæ auferretur, & homines siti necarētur: & sanè aqua peruenire, nisi refectione riuo, non potest. at non refectione itinere, difficultas tantùm eundi agendique fieret, quæ temporibus æstiuis leuior esset.

Diuus Thomas lib. 1. de regimine principum, cap. 2.

- 8 Sicut aër temperatus, ita & salubris aqua est requirenda; ex his enim maximè pendet sanitas corporum, quæ sapius in vsum hominum assumuntur. inter ea verò quæ per modum nutrimenti assumuntur, aqua est, qua sæpius utimur, tam in potu quàm in cibo: ideòque nihil est præter aëris puritatem magis pertinens ad sanitatem, quàm aquarum salubritas.

DE

DE AQUIS, ET BALNEIS.

CAP. XVII.

Plato lib. 6. de Legibus.

Diligenter procurent Ædiles, ut pluuiales aquæ non solum non noceant, verum etiam conferant ab altis montibus cauas in valles fluentes, ubi foueis parietibusque stagnare eas cogant, ut illic alueis pluuiales aquæ combibita inferioribus locis, agrisque omnibus scatebras fontisque aquarum efficiant, locaque siccissima isto modo humore multo salubrique irrigent. Fontes autem & fluuios arboribus ædificationibusque exornent. lucos quin etiam iugi irrigatione, & dedicatos diis agros aquis immensis pinguefacere curent, & metallis humorem scatebrasque adhibeant. atque ita & abundantia omnia reddant, & templa deorum ornatiora.

Plinius Traiano lib. 10. epist.

In aquæ ductu, Domine, Nicomedenses impenderunt sestertia triginta. qui imperfectus adhuc relictus, ac etiam destructus est: rursus in alium ductum erogata sunt ducenta. Hoc quoque relicto, nouo impendio est opus, ut aquam habeant, qui tantam pecuniam male perdidērunt. Ipse perueni ad fontem purissimum, ex quo videtur aqua debere perducī, sicut initio tentatum erat, arcuato opere, ne tantum ad plana ciuitatis, & humilia perueniat. Manent ad hoc paucissimi arcus, possunt erigi quidam lapide quadrato, qui ex superiore opere detractus est: aliqua pars, ut mihi videtur, testaceo opere agenda erit: id enim & facilius, & utilius. Et ut in primis necessarium est mitti à te, vel aquilegem, vel architectum, ne rursus eueniat quod accidit. Ego vnum illud affirmo, &

F 3 vili-

utilitatem operis, & pulchritudinem seculo tuo esse dignissimam.

Traianus Plinio respondit.

3 Curandum est, ut aqua in Nicomedensem civitatem perducatur; verè credo, te ea, qua debetis diligentia, hoc opus aggressurum: sed medius fidius ad hanc diligentiam tuam pertinet inquirere, quorum vitio ad hoc opus tantam pecuniam Nicomedenses perdiderint: ne cum inter se graffificantur, & inchoauerint aqua ductus, & reliquerint. quid itaque compereris, perfer in notitiam meam.

4 Has atque alias huiusmodi epistolas huic operi inserui, ut perspicuè pateat, qua diligentia olim publicæ res administrarentur, utq; in his ædificiis caueant præfecti, & urbium senatores, ne fortè multi reperiantur Nicomedenses, Plinius nullus. sed iterum Plinium audiamus.

Plinius Traiano lib. 10. epist.

5 Sinoper ses Domine aqua deficiuntur; quæ videtur & bona, & copiosa ab sexto decimo milliario posse perducì. Est tamen statim à capite paulo amplius mille passibus locus suspectus, & mollis, quem ego interim explorare modico impendio iussi, an recipere & sustinere opus possit: pecunia curantibus nobis contracta non deerit, si tu Domine hoc genus operis, & salubritati, & amœnitati valde sitienti colonie indulleris.

Cui Traianus ibidem ita respondit;

6 Ut cepisti, Secunde charissime, explora diligenter, an locus, quæ suspectum habes, sustinere opus aqua ductus possit. Nec enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in coloniam Sinopensem, si modò & viribus

viribus suis ipsa id allequi potest: cum plurimum ea res & salubritati, & voluptati eius collatura sit.

De balneis Plato libro 6. de Legibus inquit: Gymnasia iuvenes tam sibi commoda, quam senibus præparent, calidis balneis constitutis, & copiosè ficis appositis lignis, ut & remedium ægrotantibus, & lenimen labore defessis beneuolè afferatur: quæ sanè curatio longè melior est, quam medici parum peniti medela.

Hippocrates lib. de victus ratione in morbis acutis.

Balneum verò multis morbis opem tulit, eo bene & utentibus.

Paulus Aegineta lib. 1. cap. 51.

Balneum calidum, & optimum, & tutissimum est, lassitudinem soluit, humorum repletionem per habitum digerit: item excafcit, mitigat, emollit, flatus ubicunque decubuerint, diffundit: somnum cõciliat, carne replet. est autem aptissimum omnibus, & viro, & mulieri, & puero, & seni, & priuato.

Ad curam quoq; urbanæ præfecturæ attinere videtur, ut balnea salubria conseruetur. qua in re non possum non imputare multis damnū quidē nunc infectū, sed quod iam cum plurimorum exitio imminet. Nam in agro Salmanticensi prope Ledesimam, balneū quoddam saluberrimum est: cuius beneficio quotannis quamplures homines ex magnis & diuturnis, etiam desperatis, morbis facillè liberantur. id balneum ruinam minatur, & modica impensa nunc refici poterit: quod si semel fuerit lapsum (ut audio) irreparabile erit.

Hippocrates lib. de Aère, Aquis, & Locis.

1 Aquæ plurimam partem conferunt ad sanitatem, quæ verò palustres sunt, prauas esse necesse est; & has quidem ad omnem rem improbas esse censeo.

Idem ibidem.

2 Aquas verò, quarum fontes è petris scaturiunt, duras esse necesse est, & quæ isthic, vbi calidæ aquæ existunt, aut ferrum nascitur, aut es, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut vitru. hæc enim omnia præ violentia caloris nascuntur, & duræ sunt & ætuoas, ac difficulter minguntur, & ad alui egestionem contrariæ sunt.

Et statim.

3 Optimæ aquæ sunt, quæ ex sublimibus locis, ac terreis collibus fluunt. hæc enim & dulces sunt, & altæ, & hyeme calidæ fiunt, æstate verò frigidæ; tales enim fuerint ex profundissimis fontibus. *Et mox:* Quæ quidem aquæ fontes suos ad Orientales habet, hæc præ omnibus optimæ sunt.

Et post aliqua.

4 Aquæ pluuiales leuissimæ, & dulcissimæ, & tenuissimæ ac splendidissimæ sunt. quapropter ex omnibus aquis hæc citissimè putrescunt, optimæ autem sunt: verum opus habent vt decoquantur aut excolantur; sin minus, odorem prauum habent, & rauedines, & vocis grauitatem bibentibus inde accedere par est.

Et confestim.

5 At verò aquæ ex niue aut glacie productæ, omnes malæ sunt; cum enim semel concretæ fuerint, non amplius in pristinam naturam restituntur, sed quod

quidem

quidem in ipsis clarum ac leue & dulce est, excernitur ac disperditur; quod verò turbidissimum est ac ponderosissimum, relinquitur.

Dioscorides lib. 5. cap. 14.

De aquis in vniuersum decernere propter locorum proprietates & peculiare naturas, cælum, & alia pleraque, difficile est. magna tamen ex parte optima est dulcis, sincera, nullius omnino qualitatis particeps; & quæ ne nimio quidem tempore in præcordiis comoratur: ad hæc, quæ & facili via fertur, & citra molestiam, nec inflationes creat, & minimè cõputrescit.

Cornelius Celsus lib. 2. c. 18.

Aqua leuissima pluuialis est, deinde fontana, tum ex puteo, post hæc ex niue aut glacie: grauior his ex lacu, grauissima ex palude. facilis etiam & necessaria cognitio est, naturam eius requirentibus; nam leuis pondere apparet: & ex his quæ pondere pares sunt, eo melior quæque est, quo celerius & calefit & frigescit, quòque celerius ex ea legumina percoquuntur.

Constantinus Cesar lib. 2. de Agricultura, cap. 6.

Aquarum præ omnibus curam habere oportet, non solum propter aquæ fructum, sed etiam quòd temperatissimum aërem faciat, siccitatibus obortis: fortunatum igitur valde est, fontanam aquam habere; quæ si desit, pluuias colligantur: quas diligenter & assidue purgare oportet; salubrem autem aquam facit lautus in ipsa madefacta.

Aerius lib. 3. cap. 165.

Aquarum potabilium quinque sunt vniuersales differentie, pluuias, fontana, puteana, fluuias, stagnas. ex his apparet aqua pluuias leuissima, & facile mutabilis, & in aliis affectionibus potum optima, si sta-

F f 5 tim

im excipiat & coletur. Fontanæ verò, quarum fontes ad Septentrionem erumpunt ex petris stillantes, solem avertunt habent, incoctiles ac tardi transitus sunt, & tardè calefiunt ac frigesunt. quarum verò fontes ad Orientem erumpunt, & per meatum quendam aut terram puram excolantur, calefiuntque ac frigesunt citissimè, hæc optima sunt. At puteana frigida est, terrea, difficulter excernitur, egrè digeritur. Fluviales autem aquæ & stagninæ omnes malæ sunt; stagnina verò propter cœnosam circumferentiam limosa & grauis est, & propter stationem & immobilitatem, velut mortua & putrefacta.

Auicenna lib. 2. tractatu 2. cap. 59.

- 10 Malæ aquæ sunt stantes, & quæ sunt in lacunis, & super quas dominatur sapor extraneus & odor extraneus; & quæ conturbatæ, spissæ, grauis ponderis; & quæ citò in lapidem conuertuntur: & super quas natat velamen malum, in modum pânicali tegentis ipsas; & in quarum supremo cœgelatur res extranea mala.

Haly Abbas lib. 5. Theorica, cap. 29.

- 11 Aquæ usus necessarius est ad sanitatis custodiam, & morborum medelam: & quidem maior est omnibus reliquis utilitatibus. *Et mox:* Aqua suaui & pura est ea, quæ scaturit & à fontibus decurrit in Orientis partes. cuius signa sunt, ut sit alba, munda, corrusca, leuis pondere; & odore ac sapore carens; & citò calefit & refrigeratur.

Auerrois de simplicibus, cap. 38.

- 12 Quanto plus elongatur flumen à suo ortu, est deterius; eo quòd tranfit per diuersas terras, & in illud ingrediuntur multi riuus. propterea nostrum flumen melius est in Corduba, quam in Cibilia: & quia ex
maris

maris cremto in Cibilia habet admixtionem aquæ salis, quamuis non sentiarur.

Rasis lib. 34.

Mutatio aquæ nocentior est, quam mutatio nutrimenti: diuersitas enim aquæ corrumpit digestionem, & generat humores crallos; & propterea magis nocet, quam diuersitas nutrimenti: quia non cadit inter nutrimenta illa diuersitas, quæ est inter aquas: omnia enim nutrimenta proxima sunt ad conueniendum corpori.

Arnaldus tractatu de regimine castra sequentium.

Milites scrutentur, an in fontibus, cisternis, & puteis sit lignum infixum, vel herbæ non radicatae, vel massa picea: quæ si fuerint inuenta, extrahantur priusquam de aqua bibant. si verò nihil horum fuerit inuentum, pannus lineus subtilissimus & candidissimus madefiat in aqua, & complicatus pendeat ad solem vel ad aërem; & cum videbitur exsiccatum, inspiciatur. quòd si maculæ cuiusque coloris in eo appareant, certum erit aquam esse veneno infectam: si verò nulla macula apparuerit, aqua salubris erit.

DE MUNDITIA VRBIS.

CAP. XIX.

Plato lib. 6. de Legibus.

Vrbs quidem tota in circulum in locis sublimibus deducatur, ut & munitior sit & mundior.

Idem post aliqua.

Curent ædiles, ut vrbs quam mundissima sit: nec à priuatis vnquam patiantur, aut ædificando, aut fodiendo, publicum aliquid occupari.

Vlpianus

Ulpianus lib. 43. Digest. tit. 22.

3 Cloacatum purgatio & refectio ad publicam utilitatem spectare videtur. Curabit autem prætor, ut cloacæ purgentur & reficiantur: quorum utrumque ad salubritatem ciuitatum, & ad tutelam pertinet. nam & cælum pestilens, & ruinas minantur immunditiæ cloacatum. item si non reficiantur. de cloacis priuatis interdictum prætoris propositum est, publicæ enim cloacæ publicam curam merentur.

Idem Ulpianus eodem lib. tit. 8.

4 Si odore soli locus pestilenuosus fiat, non citabre de ea re interdicto vii.

Papinianus eiusdem lib. tit. 10.

5 Ædiles neque rixari in itineribus, neque stercorem proiicere, neque morticina, aut pelles iactare permittant.

6 Præter hæc omnia prouidendum est, ne quid effundatur, vel deiciatur in calles, & vias publicas: id enim edicto prætoris iam diu vetitum est. Arque his etiam in rebus nostratum diligentiam desidero, qui ciuitates Hispaniæ florentissimas, oppida, & municipia nobilissima luto & fetore abundare sinunt: testis Granata, testis Valdolitum, testis Toletum, testis Madritium.

Plinius Traiano lib. 10. epist.

7 Amastrianorum ciuitas, Domine, & elegans, & ornata, habet inter præcipua opera pulcherrimam, eandemque longissimam plateam; cuius à latere per spatium omne porrigitur, nomine quidem flumen, re verò cloaca fœdissimaque sicut turpis, & immundissima aspectu, ita pestilens est odore teterrimo. quibus ex causis non minus salubritatis, quam decoris interest, eam contegi: quod fiet, si permiseris curantibus

rantibus nobis, ne desit quoque pecunia operi tam magno, quam necessario.

Traianus Plinio inibi.

Rationis est, mi Secunde charissime, contegi aquam istam, quæ per ciuitatem Amastrianorum fluit, si detecta salubritati obest; pecunia ne huic operi desit, curaturum te secundum diligentiam tuam, certum habeo.

DE MONTIBVS.

CAP. XX.

Hoc quoque vrbi præfecto curæ esse debet, ut montes & siluæ prouinciæ suæ conseruentur. Itaque diligenter prouideat, ne præter leges extirpètur montes, aut excidantur.

Ignis quidem ad vitam sustentandam maximè necessarius est: cuius alimenta ligna & carbones sunt. Montes quidem etiam domibus edificandis materiâ, gregibus & armentis pascua saluberrima suppeditare solent.

Patricius lib. 2. institut. reip.

Silua cædua, quæ materiâ ædificiis, nauigiisque præstat, diligentius custodienda est, & singulis annis à sentibus & vepribus perpurganda, ne nouis surculis arbustulisque crescentibus impedimento sint, quo minus proceritatem suam absoluant.

Quibusdam videtur singulis annis septimam partem siluarum & montium, aliis decimam, aliis decimam sextam dumtaxat cædi posse: tot enim annorum spatium indigere aiunt quercus & ilices, ut adolescant, & iterum cædi queant; sed vrbibus præfecti, & senatores rebus ipsis edocti, & agricolarum consilio adhibito, pro montium, & prouinciarum qualitate,

litate, melius id statuere poterunt.

- 5 Eligendi sunt montium, & silvarum custodes, quos quidam Saltuarios vocant, & Aristoteles eos magistratibus annumerare videtur.

Inquit enim lib. 6. Polit. cap. 8.

Alia procuratio est necessaria aedilitati finitima, est enim eisdem de rebus, per agrum tamen extra urbem: cui qui praesunt, agrorum praefecti, & ab aliis silvarum inspectores nominantur. Hi sunt qui maiores custodes appellantur: saltuarios vero generaliter montium & agrorum custodes vocant.

Pomponius lib. 7. Digest. tit. 8.

- 7 Dominus proprietatis etiam inuito usufructuario, vel usuario, fundum, vel aedes per saltuarium vel insularium custodire poterit. Interest enim eius fines praedij tueri.

DE TERMINIS.

CAP. XXI.

- 1 Praefectus urbi terminos provinciae sibi commissae, visitare debet; usurpatores terminorum punire, & appellatione posthabita, motos & auulsos terminos restituere.

Plato lib. 8. de Legibus.

- 2 Agriculturae leges primo ponantur, primaque terminalis Iouis haec. Nemo fines atque terminos agri moueat, nec cuius vicini, nec finitimi peregrini, si agri extrema possideat: sed putet id esse verum quod dici solet, hic immobilia mouet, malitque unusquisque saxum ingens mouere, quam paruum lapidem iurando a diis firmatum, quo amicitiae & inimicitiae terminentur. alterius enim Iupiter contribulis, alterius hospitalis est testis, qui hanc legem dispunxit, dupli-

duplices poenas luat, primo quidem Deo vindice, deinde lege, quae iubet, ut nemo sponte vicini agri terminos moueat. eum vero qui mouerit, quicumque voluerit, ad agricolas deferat, agricolae ad iudicium doceant, a quo damnatus, utpote terminorum clamorque turbator, reddat, patiaturque prout iudices iudicauerint.

Dionysius Halicarnas lib. 2. antiq. Roma.

Rex Numa, ut Romani contenti propriis aliena non concupiscerent, cauit lege de praediis terminandis. Cum enim unumquemque iussisset agrum suum circumscribere, ac in finibus statuere lapides; hos sacros esse Ioui Terminali voluit: iussitque ut quotannis stato die res diuina eo loco in paganorum caetu fieret, sacrato cum primis nobili festo in honorem Deorum, qui terminis tutelares praesident. id Romani vocant Terminalia, sicut lapides ipsos Terminos: quos si quis transferre ausus fuisset, aut tollere, lege terminali caput eius his diis deuouit: interfectori ipsius, tanquam sacrilegij impunitate promissa, & puritate a scelere. nec de priuatorum tantum agris hoc ius sanxit, verum etiam de publicis, hos quoque certis complexus finibus, ut Romanum agrum a vicinarum urbium agris terminales discerneret, & priuatum a publico. qui mos ex illo seculo reliquus Romanis religiosè seruatur, etiam nostro tempore: Nam Deos putant terminos, eisque sacra faciunt, non hostias caedentes; quod nefas sit cruentati hos lapides: sed liba cerealia, frugumque offerentes primitias.

Modestinus lib. 47. Digest. tit. 21.

Terminorum auulsorum non multa pecuniaria est, sed pro conditione admittentium coertione transigendum est.

Callistras

Callistratus ibidem.

5 Diuus Hadrianus in hæc verba rescripsit: quini pessimum factam sit eorum, qui terminos finium causâ positos protulerint, dubitari non potest. De pœna autem inodus ex conditione personæ, & mente facientis magis statui potest.

Petrus Crinitus lib. 8. cap. 10.

6 Romani illi verustiores acerrimis pœnis contra eos vindicabant, qui agrorum fines ac terminos ex-emissent, aut loco mutassent: quod in primis Numæ regis instituta, & leges probant, in quibus vir egregie prudens statuit: Licere omnibus tâquam sacrilegum eum occidere, qui violare ius termini ausus esset; unde etiam versus ex antiquis legibus:

Qui secus faxit, & terminum exarassit,
Ipsus & boues sacri sunt.

7 Sed quâuis hæc leges abolitæ sint, & Hadriani rescripto secûdû Platonis legē, pœna sit iudicis arbitrio relicta; seuerissimè tamen puniendi sunt, qui crimen hoc perpetrauerint. Nam si fures mobilium & viliû rerum septuplo, verberibus, & sæpe morte afficiuntur; quanto seueriùs puniendi sunt, qui auulsis priuatis ac publicis terminis, pretiosum agrû vsurpant? certè pœna illa videtur esse iustissima, quam Cõstantinus sanciuit sub titulo Codicis finium regundorû, vt vsurpator agrorum tantum agri modum; quantû adimere tentauit, amittat.

DE CIBARIIS.

CAP. XXII.

Aristoteles lib. 6. Polit. cap. 8.

1 Prima ex necessariis procuratio est, quæ in foro versatur: cui muneri magistratum, qui commercia, & decentia

decentia dispiciat, præficere oportet. Nam ferè omnibus ciuitatibus, quædam emere, alia vendere, ad mutuos rerum necessariarum vltus necesse est: quod proximè ad rerum copiam accedit, cuius gratia in vnam rempublicam homines conuenisse videntur.

Idem lib. 7. cap. 8.

Sex opera sunt, sine quibus cõstare ciuitas nequit: 2 quorum primum alimentum, cuius copia suppetat, necesse est ad vitam degendam.

Cicero lib. 2. Offic.

Omnes qui rempublicam gubernabunt, consule- 3 re debebunt, vt earum rerum copia sit, quæ sunt necessaria.

Ulpianus lib. de offic. Præfecti vrbi.

Cura carnis omnis, vt iusto pretio præbeatur, ad 4 curam præfecturæ pertinet. Ideo & forum suarium sub ipsius cura est; sed & cæterorum siue pecorum siue armentorum, quod huiusmodi præbitionem spectat, ad ipsius curam pertinet. Ergo & piscium & aliorum esculentorum cura ad vrbi præfectû attinet. *Cassiodorus lib. 7. variarum in formula curatoris ciuitatis.*

Illius ciuitatis curam ad te volumus pertinere, vt 5 moderata pretia ab ipsis, quorum interest, facias custodiri. Non sit merces in potestate sola venditium, æquabiliras grata custodiatur in omnibus.

Lex Valentiniiani lib. 1. C. tit. 28.

Studentibus nobis statum vrbis & annonariam 6 rationem aliquâdo firmare, in animo subiit eiusdem annonæ curam non omnibus deferri potestatibus. Ac ne præfectura vrbis abrogatum sibi aliquid putaret, si totum ad officium annonarium redundasset, eidem præfecturæ sollicitudinis necessitatem manda-

G g mus,

mus, ut ambæ potestates tueantur ciuilem annonam, sitque societas muneris.

Iustinianus de præfide Pisidie, constit. 24.

7 Præfidē prouinciæ prospicere atque curare oportet, ut affluens rerum copia sit in urbibus, ne quid ciues deficiat.

8 Itaque præfectus urbi curare debet, ut cibariorum sit copia, & ut carnes, pisces, vinum, & esculēta omnia iustis pretiis vendantur. sed id maximè necessarium est sterilitatis tempore, ne populus annonæ caritate prematur, & pro venditorum libidine aut fame conficiantur ciues, aut bona perdere cogantur. Hoc autem esse iustissimum, & ius, & ratio, & natura ipsa conuincit: Nec enim paucorum auaritia perire debet vniuersa respublica.

Plato diuinus lib. 3. de Legibus.

9 Res venales curæ censoribus sint; qui ne quis vendendo emendōve iniuriam faciat, vehementer prouideant, & immoderatos contumeliososque omnes compescant. Hi considerēt, num quid ciues peregrinis res singulas conuenienter, atque ut lege cautum est, vendant.

Idem post aliqua.

10 Si quid verò venditum emptūque plus minorisve est, quàm lex iusserit, qua rerum venalium mensuræ & pretia constituta sunt, apud legum custodes plus illud conscribatur, & contrarium deleatur, nempe iniustis venditoribus punitis.

Lampridius in Alexandro Seuero.

11 Cūm edulitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogauit per curionem, quam speciem annonæ caram putarent: illi continuò exclamauerūt, Carnem

nem bubulam atque porcina. Tunc ille non quidem edulitatem proposuit, sed iussit ne quis summatam occideret, ne quis lactantem, ne quis vaccam, damalionem: tantūque intra biennium, vel prope annum, porcinae carnis fuit & bubulae, ut cūm fuisset octo minutalis libra, ad duos tantūm vtriusque carnis libra redigeretur.

Cūm erit annonæ difficultas inopia rei frumentariae, præfectus urbi cogere debet frumenti dominos, ut (excepto eo quod ipsis & eorum familiae necessarium esse videbitur) reliquum cæteris ciuibus publice vendant: quod ut commodius fiat, compellendū sunt frumenti possessores, ut illud profiteantur. qui verò aliquid occultauerit, aut plus quàm aestimatū sit vendiderit, ut pote violator legum, & hostis vniuersae reipublicae seuerissimè puniendus est.

Dionysius Halicarnas. lib. 9.

Cūm Roma bello Hetrusco magna inopia frumenti laboraret: Spurius Seruilius, & Aulus Virginius consules dimissis in propinqua loca, qui commeatus coemerent, per singulas quoque domos ciues frumentum profiteri iusserunt, ut quod superesset familiari vsui, cōferretur in publicum. quibus artibus effecerunt, ne pauperum audacia prorumperet in facinora.

Ex Liiuo lib. 4 & alii.

Cūm dira fames urbem vrgeret, constitutus est Lucius Minutius præfectus annonæ, qui ex Hetruria frumentum aduexit, & ciues frumentum profiteri coëgit, & vèdere, quod vsui mēstruo superesset. Huius magistratus difficili tempore, & caritate annonæ, vsus potissimum atque opera exigebatur; frumen-

G g 2 tūmque

tumque vndique coemendū, & si quis vltra proprios vsus possideret, in medium ponendum curabat: aduehi vndique, & aduectum iusto pretio venire nitentur. Cuius magistratus ope, populo Romano penuria laboranti egregia saepe opera nauata est.

15 Herodes id ipsum Iudæis diligenter præstitit in summa annonæ difficultate, & ad se mentem faciendam fruges quoque distribuit, vt Iosephus lib. 15. antiquitatum Iudaicarum, cap. 12. auctor est.

16 Ioseph externas quoque gentes fame pressas curauit, paterna diligentia distribuens alimenta, futuris etiam necessitatibus prospiciens, non solum præsentibus. Nam ineunte anno egestatis septimo, accitis agricolis (iam enim vbertatis spes affulgebat) dedit hordeum & triticum ad semetem, diligenter cauens, ne quis hæc in alium vsum verteret, appositis custodiis ex optimatibus, qui rationem obseruarent, vt Philo retulit lib. de Ioseph, prope finem.

Cassiodorus lib. 1. variarum.

17 Copia frumentorum prouinciæ debet primum prodesse, cui nascitur: quia iustius est, vt incolis propria fecunditas seruiat, quam peregrinis commerciis studiosæ cupiditatis exhauriat.

Rex Athalaricus apud eundem Cassiodorum lib. 9.

18 Vbi frumentorum condita potuerint inueniri, tantum sibi vnusquisque dominus, vel familiæ suæ retineat, quantum se expendere posse cognoscit, reliquū aliis vendat, moderata tamen pretij qualitate; vt ne nimium grauetur, qui emit, & aliquo compendio foueatur ille, qui distribuat.

Petrarcha lib. de rep. optimè administranda.

19 Pia prorsus principis & laudabilis cura est, omni studio

studio famem plebis arcere: ex hac nempe sollicitudine non modò gaudium popularium procedit, sed etiam securitas præsidentium: nihil est enim terribilius plebe famelica, de qua dictum est, Nescit plebs ieiuna timere. hoc in genere maximè Iulij Cæsaris laudatur industria, quòd & bellis Gallicis atq; Germanicis huic curæ semper intentissimus fuerit: & reuersus Romam nihilo segnior ad conquirendū frumentum necessitatibus populi succursurum, nauigia per frugiferas insulas sedula intentione disperfit. Nec minus Augusti Cæsaris cura laudanda, qui frumentum in annonæ difficultatibus, saepe leuissimo, interdum nullo pretio viritim populo distribuit.

Ammianus Marcellinus lib. 22.

Iulianus nulla probabili ratione suscepta, popularitatis amore vilitati studebat venalium rerum, quæ nonnunquam secus quàm conuenit ordinata, inopiã gignere solet & famem.

Idem lib. 19.

Temporibus Constantij Tertullus Romanæ vrbs 21 præfectus, vi minacissimæ plebis famem timentis, vexatus fuit saepe irrationabiliter planè: nec enim percum steterat quominus tempore congruo frumentū adueheretur, sed per maris æstus.

DE DARDANARIIS.

C A P. XXIII.

Ne oneretur annona, & aded rerum venaliū pretia iniqua sint, animaduertere oportet in Dardanarios, qui omnia præemunt, vt ea postea cariùs vendant. Hi quidem perniciosissimi rebus publicis esse solent, vt-pote genus auarum, & iniusti lucri cupidissimum.

G g 3 Cicero

2 Sordidi putantur, qui mercantur à mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi admodum mentiantur.

Ulpianus lib. 47. Digest. tit. 11.

3 Annonam attentare & vexare, vel maximè dardanarij solent; quorum auaritiæ obuiam itum est, tam mandatis, quàm constitutionibus. mandatis denique ita cauetur: Præterea debetis custodire, ne dardanarij ullius mercis sint, ne aut ab his qui coemptas merces supprimunt, aut à locupletioribus, qui fructus suos æquis pretiis vendere nolunt, dum minus vberes prouentus expectant, annona oneretur. Pœna autem in hos varia statuitur: nam plerunque si negotiantes sunt, negotiatione tantum eis interdicitur: interdum & relegari solent, humiliores ad opus publicum dari.

Diuus Chrysof. in Matth. operis imperfecti, homilia 38.

4 Qui emit & vendit, sine mendacio & periurio esse non potest. necesse enim est vt iuret, quòd plus valet res, quàm vendit. & post aliqua: Qui comparat rem, vt illam ipsam integram & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei deiicitur.

5 Multis quoque legibus regiis occursum est dardanariis, sed illa omnium est optima, & rebus publicis vtilissima, quæ vetat ne quisquam vnquam frumentum emat, vt vendat. Ea enim effectum est, vt res frumentaria iustis pretiis vendatur, & vilitas annonæ consecuta sit. quamobrem plurimum reip. interest, vt ea lex conseruetur; & qui secus fecerit, acerrimè coërceatur.

Procopius

Procopius lib. 3. de bello Gotthorum.

Milites omnes, quos Belisarius ad vrbis Romæ tutelam reliquerat, Cononem eorum ducem obtruncant; id illi crimini dantes, quòd frumentum & cæteros commeatus cum eorū iactura coemeret, simul & vendicaret. cuius facinoris pœnam Iustitianus facile condonauit. De his verò qui monopolium exercent, extat Zenonis constitutio, regiis legibus comprobata. Cuius hæc sunt verba, lib. 4. C. tit. 59.

Iubemus, ne quis cuiuscunque vestis, vel piscis, vel cuiuslibet alterius ad victum, vel ad quencunque vsum pertinentis speciei, monopolium audeat exercere: neve quis illicitis habitis conventionibus coniurare aut pacisci, vt species diuersorum corporum negotiationis non minoris, quàm inter se statuerint, venundentur. Edificiorum quoque artifices, aliorumque diuersorum operum professores penitus arceantur, pacta inter se componere, vt ne quis quod alteri commissum sit, opus impleat, aut iniunctam alteri sollicitudinè alter intercipiat. Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus, perpetuitate damnetur exilij.

DE CARCERE, ET VINCTIS.

CAP. XXIII.

Vrbi præfectus carcerem habere debet ad custodiendos reos. eleganter enim dixit Æschines:

Nullum esse vsum ciuitatis, quæ neruos contra facinorosos non habeat.

Plato lib. 10. de Legibus.

Tres sint in ciuitate carceres, vnus plurimis com-

Gg 4

munis

munis in foro rerum venalium, vbi multi, ne fugiāt, custodiantur. Alter vbi cœtus eorum sit qui noctu congregantur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione, vbi quàm maximè desertus siluestrisque locus sit supplicij nomine notatus.

Titus Livius.

3 Cùm in tanta multitudine hominum facinora clãdestina fierent, carcer ad terrorem incrementis audaciæ media vrbe imminens foro ædificatur.

Ulpianus lib. 48. Digest. tit. 19.

4 Solent præfides in carcerem continendos damnare, vt in vinculis contineantur: sed id eos facere non oportet. nam huiusmodi pœnæ interdictæ sunt: Carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet.

Lex Constantij lib. 9. C. tit. 4.

5 Reo comprehenso non ferreas manicas, & inherentes ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas, si criminis qualitas etiam acerbiter catenarum postulauerit, vt & cruciatio desit, & permaneat fida custodia. Nec verò sedis intimæ tenebras pati debet inclusus, sed vsurpata luce vegetari ac subleuari: & vbi nox geminauerit custodiam, vestibulis carcerum, & salubribus locis recipi; ac reuertente iterum die, ad primum solis ortum ilico ad publicum lumen educi, ne pœnis carceris perimatur: quod innocentibus miserum, noxiis non satis seuerum esse cognoscitur.

Ulpianus lib. 48. Digest. tit. 3.

6 De custodia reorũ proconsul estimare solet, vtrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fideiussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod obicitur, qualitate, vel propter

propter honorem, aut propter amplissimas facultates, vel pro innocetia personæ, vel pro dignitate eius qui accusatur, facere solet.

Macer eodem tit. cap. 7.

Solent præfides prouinciarum, in quibus delictum est, scribere ad collegas suos vbi malefactores agere dicuntur, & desiderare, vt cum persecutoribus ad se remittantur. & id quoque quibusdam rescriptis declaratur.

Lex Gratiani lib. 9. C. tit. 4.

De his quos tenet carcer inclusos, id aperta definitione sancimus, vt aut conuictum velox pœna subducatur, aut liberandũ custodia diuturna non maceret.

Lex Honorij lib. 9. C. Theodosiani tit. 3. quam nescio quamobrem Iustinianus non transtulit in suum Codicem.

Iudices omnibus Dominicis diebus productos reos è custodia carcerali videant, interrogent; ne his humanitas clausis per corruptos carcerum custodes negetur. Vicualem substantiam non habentibus faciant ministrari, libellis duobus aut tribus diurnis, vel quod existimauerint cõmentariensi decretis, quorum sumptibus proficiant alimonix pauperum.

Iulius Paulus lib. 48. Digest. tit. 3.

Carceri præpositus si pretio corruptus sine vinculis agere custodiam passus est, officio iudicis puniendus est: si nescit, ob negligentiam remouendus est officio.

Lex Valentiniani lib. 9. C. tit. 4.

Ad commentariensem receptarum personarum custodia obseruatioque pertineat; nec putet hominem abiectum atque vilem obijciendum esse iudici, si reus modo aliquo elapsus fuerit: nam ipsum volu-

mus eiusmodi pœna consumi, qua obnoxius docebitur fuisse qui fugerit.

Aristoteles lib. 6. Polit. cap. 8.

- 12 Multis in ciuitatibus custodiarum præfectus diuersus est ab executore. itaque commodius est, ut hic magistratus diuisus sit, & selerter, quod eius ratio postulat, prouideatur. Nec enim minus necessarius est præfectus carceri, quam iudiciorum executor. Nam viri probi maximè magistratum hunc recusant: improbis non rectè committitur, qui custodiri magis debent, quam alios custodire.
- 13 Ex quibus omnibus perspicuum est, quid facere debeat præfectus urbi, tam in carcere cõdendo, quam in comprehendendis, custodiendis, visitandis, & iudicandis reis, ac denique in eligendis & puniendis custodibus carceris.

DE CAUPONIBVS, ET STABULARIIS. CAP. XXV.

Chrysof. de verbis Isaie, Vidi Dominum, homil. 2.

- 1 His de causis, & diuersoria cauponæque vbique per vias excogitatæ sunt, ut iumenta simul cum viatoribus à labore recreentur.

Plato lib. 11. de Legibus.

- 2 Si optimi viri diuersoriis præessent, & mulieres sanctissimæ ad hæc similiter descenderent, cognosceremus planè honesta & approbata hæc omnia esse. quippe nisi corruptæ fierent, matrum nutricumque personam gerere non iniuria putarentur. Nunc verò in desertis locis, ad quæ multæ longæque ducuntur, cauponandi gratia domos ædificant: optato diuersorio tempestate pulsos suscipiunt, & caloribus pressos recreant:

recreant: deinde non tanquam amicos hospitalibus muneribus donatos remittunt, sed ut inimicos atque captiuos crudeliter se redimere cogunt, rebusque omnibus spoliant. Hæc autem ceteraque huiusmodi in his omnibus turpiter acta faciunt, ut huiusmodi studia, quæ indigentibus opem ferunt, calumniæ sint subiecta. quorum remedium à latere legum excogitandum est.

Iampridem curam gessit prætor (ut inquit Ulpianus) reprimendæ improbitatis hoc genus hominum, & ita edixit: Nautæ, caupones, stabularij, quod cuiusque saluum fore receperint, nisi restituant, in eos iudicium dabo. Quod nisi esset statutum, materia daretur cum furibus aduersus eos, quos recipiunt, coeundi; cum ne nunc quidem abstineant huiusmodi fraudibus.

Hoc edicto omni modo, qui recipit, tenetur, etiam si sine culpa eius res perierunt, vel damnum datum est, nisi si quid damno fatali contigerit. & hæc actio in duplum est: caupo autem præstat factum eorum qui in ea caupona eius exercendæ causa ibi sunt: item eorum qui habitandi causa ibi sunt. Viatorum autem factum non præstat. namque viatorem sibi eligere caupo vel stabularius non videtur, nec repellere potest iter agentes. in habitatores verò perpetuos ipse quodammodo elegit, qui non reiecit quorum factum oportet eum præstare. *Hæc Ulpianus lib. 4. Digest. tit. 9. & lib. 47. tit. 5.*

Caius eodem tit. 9. cap. 5.

Nauta, & caupo, & stabularius mercedem accipiunt, non pro custodia; sed nauta ut traiciat vectores; caupo ut viatores manere in caupona patiatur; stabularius

stabularius vt permittat iumenta apud eum stabulari, & tamen custodiae nomine tenentur. Nam & fullo, & sarcinator, non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt, & tamen custodiae nomine ex locato tenentur.

- 6 Mandatis adiicitur, vt curet praefectus vrbi ne quid detrimenti viatores à cauponibus & stabulariis accipiant. Praeterea visitandi sunt, & in eos est inquirendum, ne (vt solent) aliquid à viatoribus capiant, praeter id quod publicitus ipsis taxatum est.

Biesius lib. 4. de Rep.

- 7 Diuersoria commoda sint, & tam multa, quae sufficiant hominibus externis: & in his omnia sint, non tantum quae famem & sitim tollere, sed etiam quae lassos recreare possint. Praefecti verò tales sint, qui nemini iniuriam fieri patiantur; viri nimirum boni auctoritate publica constituti: nam quantum id ipsum referat, exempla & experimenta multorum satis euidenter docent.

Iulianus epistola ad Maximum philosophum.

- 8 Dum tecum est hospes, colito, dimitte volentem. sic lex Homeri praecipit.

DE CRIMINVM PVNITIONE. CAP. XXV.

Plato lib. de Philosophia.

- 1 Ciuitates tunc optimè gubernantur, cum iniusti dant poenas.

Cicero in Vatinius.

- 2 Vt medici membrum saepe putrefactum incidant, atque in totum eradicant, ne aliam corporis partem labefactare aut corrumpere possit; sic necesse est, si rempu-

republicam saluam esse volumus, vt perditissimos homines ex vrbe penitus extirpemus, ne corruptus integro, violatus casto laborem infringat.

Iulius Paulus lib. 1. Digest. tit. 18.

In mandatis principum est, vt curet is qui prouinciae praest, malis hominibus purgare prouinciam; nec distinguitur vnde sint.

Vlpianus eodem tit. cap. 13.

Congruit bono & graui praesidi curare, vt pacata 4 atque quieta prouincia sit quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, vt malis hominibus prouincia careat, eosque conquirit. Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirit; & prout quisque deliquerit, in eum animaduertit; receptoresque eorum coercere, sine quibus latro diuinus latere non potest.

In mandatis quoque regis est, vt praefectus vrbi 5 aleatores, lenones, maledicos, foeneratores, & ceteros facinorosos omnes iustis poenis afficiat.

Exploratores habeat praefectus vrbi, qui ad se referant diligenter, quid homines improbi vbique moliantur. Hi fortè, quos lex Curiosos appellat, qui denuntiabant delicta iudicibus.

Vlpianus lib. de officio Praefecti vrbi.

Quies popularium, & disciplina spectaculorum 7 ad praefecti vrbi curam pertinere videtur. Et sanè debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & ad referendum sibi quid vbi agatur. Melius quidem est opportunè occurrere, quam post vulnera remediū querere. Cur enim (inquit Iulianus) ad arma & rixam procedere patiatur praetor, quos potest iurisdictione sua componere?

Herodo-

- 8 Deioces in exercenda iustitia fenerus erat, & incorruptus: si quem audiret iniurium, hunc ad se ascitum, indicta pro delicti modo poena multauit: in quem usum exploratores auscultatorésque destinauit per vniuersam regionem cui praeerat.
- 9 Cæterum aures præfecti vrbi tales esse debet, quales Cicero ad Quintum fratrem his verbis scribit: Sint aures tuæ, quæ id quod audiunt, existimentur audire: non in quas fictè aut simulatè quæstus causa infusurretur: quod & alibi retuli. Sed vt Plato inquit in Gorgia, bis atque ter pulchrum esse ferunt, ea quæ pulchra sunt, dicere atque considerare.
- 10 Sunt etiam præfecto vrbi multa dissimulanda, ea præsertim quæ leuia sunt aut occulta, & quæ minus malum vitare possunt. qua in re maximè prudentia opus est: nam licetiam nimiam dissimulare non debet.
- Terent. in Adelphis.*
- 11 Nimia licentia præfecto euadet in aliquod magnū malum:
- Diuus August. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5.*
- 12 Ea vindicanda sibi lex populi assumit, quæ satis sint conciliandæ paci hominibus imperitis, & quæta possunt per hominem regi.
- Beatus Ambrosius in priorem Pauli epistolam ad Corinth. cap. 5.*
- 13 Iudicis non est sine accusatore dānare quenquam; quia & Dominus Iudam, cum fur esset, sciebat: sed quia non est accusatus, minimè abiecit.
- Plutarchus in Apoph.*
- 14 Scipio minor Caium Licinium cum prætereuntem vidisset, Istum, inquit, hominem ego peierasse scio; sed

sed cum illum nemo accuset, non possum ipse & accusator esse & iudex.

Satis quidem reipublicæ consultum est, si graua & publica peccata non dissimulentur. Nec enim debent magistratus tanquam hostes occulta peccata præter leges prodere, sed vt patres, aut secretò corrigere, aut dissimulare.

Plutarchus in Politicis.

Nonnunquam dissimulandum est, atque consultò non nihil prætereundum, tanquam nec videris quidquam nec audiueris: id quod domi plerunque puerorum errata de industria non obseruantes, quasi nesciamus, factitare solemus.

Idem post aliqua.

Quemadmodum medici est, magna ex parte corruptiore sanguine diminuto, parum egroto deinceps innocui & salubris cibi afferre: sic vir ciuilis & reipublicæ princeps, dempta prius ignominia, damnòve ciuitatis summoto, leui deinde gratia & humanitate quascunq; molestias & querelas leniet atq; solabitur.

DE FACTIONIBVS, ET SEDITIONIBVS. CAP. XXVII.

Cicero lib. 1. de Finibus.

Ciuitas in seditione non potest esse beata, nec in discordia dominorum domus.

Nazianzenus oratione 10.

Timendum est, ne pacis bonum seditione euertatur: ciuitates, populi & regna, regiones, exercitus, domus, coniugia, & amicitia, omnia pacis bono consistunt, seditione verò dissoluuntur.

Basilus

Basilii Magni epist. 45.

- 3 Seditio inter familiares inimicis quidem voluptatem affert, amicis verò calamitatem: displicet autem Deo, qui in dilectione perfecta characterem ac notam suorum discipulorum posuit.
- 4 Si fortè ciuitas vel prouincia factionibus diuisa sit, neutri parti præfectus vrbs faueat: id enim scelus maximum esset. immo verò summa ope ac diligètia curet, vt vtrosque ad amicitiam ducat, vel certè ad concordiam trahat. Quòd si seditio aliqua tum primùm orta sit, confestim reprimenda & componenda est, ne vniuersam ciuitatem inficiat.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 4.

- 5 Seditio non de paruis rebus fiunt, sed ex paruis orta seditio; de rebus magnis dissidetur. Ceterùm tunc potissimùm parua seditio inualefcunt, cum inter reipublicæ principes agitantur. Itaque talibus malis initio occurrere, & principum potentiumque discordias protinus dirimere oportet; quoniam peccatum est in principio, ac paruus error in ipso, proportionem respondet in aliis partibus. Nam peccatum in principio cuiusque rei magna errata & incommoda in cæteris partibus, ipsaque tota reipublica parit. Quare nascenti in principio rei malo occurrendum est, tunc enim paruum est id malum, & facile tolli potest, antequam altius serpat: sin autem inualuerit, in alias partes diffusum, difficulter curatur. Ad summam, nobilium dissensiones secum vniuersam ciuitatem trahunt.

Democritus apud Stobæum sermone de seditioe.

- 6 Seditio intestina vtrinque nocet: etenim tum victoribus tum victis perniciosa est æqualis.

Ibidem.

Ibidem.

Plurimæ seditioes in ciuitatibus ambitionis culpa oriuntur: de honoribus enim non quilibet, sed potentissimi quique contendunt.

Ex Fero in cap. 19. Actorum.

Seditio scædum est monstrum, & mala plurima secum affert. primò, confundit ordinem; quia nemo alterius rationem habet, sed quisque suum sequitur sensum. secundò, vulgus tunc omnia temerè & cum impetu agit, sine ratione & consilio: quò fit, vt pleraque faciat quorum postea pœnitet. tertio, sæpe seditio innocentes absumit. quarto, adeò dementat homines, vt nesciant quid faciant. quinto, non audit consulentes, nisi loquantur placita. sexto, seditio clamoribus omnia exequitur, quo nihil in rep. turpius.

Idem Fero in Matth. cap. 12.

Quid est regnum vel ciuitas, nisi ciuili inter se concordia, & fidelitas cum subiectione erga potestatem superiorem: quorum si alterum desit, regnum: vel ciuitas constare nequit. quid enim proderunt arma vel muri, si ciues inter se discordes sint?

Plutarchus in Politicis.

Non semper incendia de sacris publicisque ædibus initium sumunt, sed sæpenumero è domùcula lucerna parumper neglecta, ingens erumpit flamma: vel ignis sensim conceptus, palea deinde & fomentis refocillatus, mirum in modum ardere incipit, & primis quibusque correptis longius serpere, & maximam stragem dare. Ita seditioes in ciuitatibus non magne semper conditiones, nec de publicis rebus dissidia, incendere cõcitantur que solent; verùm plerumque priuatis creatæ offensionibus, in publicam pestem certando

H h

tando

tando progressa sunt, studiis & contentionibus mutuis aucta.

11. Quas ob res principem civitatis, & virum civilem oportet eiusmodi parva futurae cladis initia nihilò segniùs praevenire; itaque curanda & opprimenda suscipere, ut aut nusquam existere possint, aut si qua extiterint, praefocentur: ne paulatim assumptis viribus luculenter succrescant, postremo suapte magnitudine rempublicam taxent & occupent, quòd si tolli penitus nequeant, ad eos saltem reiciantur, è quorum privatis studiis & dissensionibus ortu sumptisse videntur.

12. Civilem itaque virum eiusmodi tanquam in corpore aliquo vitia, quae possunt emanare latius, nequaquam contemnere & floccifacere decet, sed prouisa enim statim opprimenda suscipere. qui enim haec prospicit, & magna iis quae sunt parua emicere, & parua ipsa in nihilum redigere possit, ut inquit Cato.

13. Ergo praefectus urbi, qui princeps est civitatis, & cuius fidei haec omnia commissa sunt, diligentia, prudentia & auctoritate omnes reprimet seditiones, ac pacificatoribus, foederibus, iudiciis, vadibus, fide publica, carcere, exilio, poenis ita discordias ac dissensiones diluet, ut nullum earum vestigium deinceps inueniri queat.

DE OTIOSIS ET VAGIS.

CAP. XXVIII.

Ecclesiastici 33.

1. Multam malitiam docuit otiositas.

Diuus Chrysof. in epist. ad Ephesios, sermone 16.

2. Bonum non facere, malitiae pars quaedam est; nam

otij

otij istud est, & segnitiei: otium verò malitiae pars est, immo verò non pars, sed causa & mala radix. omnem quippe malitiam docuit otium; nihil enim boni facere, hoc ipsum est malum facere.

Idem diuus in Matth. homil. 36.

Omnium vitiorum quasi magistra quaedam atque origo est otiositas.

Plato lib. 8. de Rep.

Otiosi fucis aculeatis similes sunt, & in quacunque fuerint ciuitate, eam turbant, quemadmodum pituita ac bilis corpus, quos oportet bonum medicum, & legum fundatorem, non minus quam solertem apud cultorem eminus praecauere: primum quidem ne oriatur in ciuitate; quòd si oriuntur, ut cum ipsis fauis protinus excidantur.

Xenophon lib. de rep. Lacedaemon.

Per multa ab otiositate & absurda patrari solent.

Herodotus lib. 2.

Amasis legem hanc apud Aegyptios condidit, ut singulis eorum annis apud prouinciarum praesides, demonstrarent unde viuerent: & qui aut hoc non faceret, aut non demonstraret se legitime viuere, is morte afficeretur. quam legem Solon ab Aegyptiis mutatus Atheniensibus tulit, quam illi, quòd sit castissima, assidue vsarpant.

Diodorus Siculus lib. 2.

Cogebantur Aegyptij omnes scripta sua nomina ad praesides regionum, & simul quo exercitio viuerent, deferre: qua in re si quis mentiretur, aut si iniusto viueret quaestu, in mortis poenam incidebat. Dicitur, hanc eandem legem à Solone, cum ad Aegyptios penetrasset, ad Athenienses traductam.

Hh 2

Patri-

*Patricius lib. 1. de institutione Reip. hanc legem
laudans, addit:*

8 Otiosi & ignavi homines venenum sunt ciuitatis,
proni ad libidinem fiunt, bonis inuident, aliena ap-
petunt: denique seditiosi & turbulenti euadunt. vt
non omnino malè Draconis lege, otij damnati, ca-
pitate punirentur.

Euripides inquit:

9 Idem est otiosus, & malus ciuis. *Et Cato:*
Nihil agendo homines, malè agere discunt. *Ouidius:*
Ignauum corrumpunt otia corpus. *Et Catullus:*
Otium reges prius, & beatas perdidit vrbes.

Cedrenus in Historiarum compendio.

10 Inane nil boni producit otium, vt ait poëta.

11 Hæc atque mille talia diuitibus otiosis sæpe sunt
inculcanda, nemini enim eas petquiritenti, occupatio-
nes iustæ deesse poterunt. *Plato lib. 6. de Legibus*
Oportere, ait, magistratus esse tales, vt intermissa suo-
rum cura, otium habeant ad publica procuranda.

12 Et *Isocrates in Areopagitico:* Iis qui propter opum
affluentiam otium agere possint, curandam esse rem-
publicam non minori fide ac diligentia, quàm rem
familiarem.

Biesius lib. 3. de Rep.

13 Non sunt homines illi laudandi, qui suo censu ci-
tra publicam vilitatem sibi tantum viuunt, nec ali-
quod commodum in cõmune conferunt. Non enim
nostris tantum; sed & respublica nostris & nobis frui
debet: nobis inquam non otiosis, sed diligentiam
summam adhibentibus ad felicitatem communem.
Non es ideo potentior ac ditior, vt otiosus sis, sed vt
præstantiora negotia exerceas. Omnes igitur in vsum
publi-

publicum aliquid conferamus, & pro ingenis & lo-
cis instituamur primum ad virtutem, deinde ad reli-
quas vtilitates ciuitatum.

Critias.

Necessum est vt laborent, qui volūt feliciter agere. 14

Euripides.

Nullus socors celebris vir est, sed labores genero- 15
sitate pariunt.

Ferus in Genesim cap. 37.

Otium iuuenibus præsentissimum est venenum, 16
certaque perditio.

Homines otiosos, (quos vagabundos appellant) 17
præfectus vrbi flagellis cæsos in exilium mittere de-
bet: idque lege regia sancitum est. Prius tamen mo-
nendi sunt, vt vel alicui seruiant, vel operas suas lo-
cent: quod si non fecerint, ea pœna in illos omni
modo exequenda est. Nam qui semel otio sunt assue-
ti, si desit quo illud alant, ad malas artes confugiunt,
& vt plurimum latrones, lenones, & his deteriores
euadunt.

Eginhartus in vita Caroli Magni.

Liberos suos ita censuit instituendos, vt tam filij 18
quàm nepotes, primò liberalibus studiis, quibus &
ipse operam dabat, erudirentur; tum filios, quàm pri-
mum ætas patiebatur, more Francorum equitare, ar-
mis ac venationibus exerceri fecit: filias verò lanifi-
cio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torpe-
rent, operam impendere, atque ad omnem honesta-
tem erudiri iussit.

Putherbeus lib. 1. Theotimi.

Summa cura danda est, vt puella statis horis arti- 19
ficio det operam, ne otiosa vnquam desideat, tantum

H h 3

fabu-

fabulans, aut ineptorum verba hominum auscultas,
Idem paulò antè.

20 Sciat ingenua puella id quod verissimè dixit Cicerò: Mores labi ad mollitiem unà cum cantibus, proinde submoueantur quæ iocis, & salibus, quæ lyrarum modulis, & saltationibus delectabuntur. quæ omnia luxuriæ arma sunt, & nihil in feminis arguerent queant veræ virtutis aut honestæ disciplinæ.

Et paulò procul.

21 Quàm multis malè cessit, has sibi psaltrias, fidicines, & saltatriculas matrimonio copulasse? quàm parum tutæ eedes, quàm leuiter castus thalamus, in quas tam ineptis strepitibus, tam canoris sonis vocum & fidium accersuntur & inuitantur ctiosi & impudici homines? quàm expugnata facilis femina, in quam occinentem, saltantem, fides pulsantem, torius populi, cõuiuij, multitudinis, oculi, verba, vota suspirat?

Suetonius in Octauio cap. 64.

22 Filiam & neptes ita instituit, vt etiam lanificio assuescerent: nepotes, & literas, & natate, aliâque rudimenta per se plerumque docuit.

Oforius lib. 1. de Regis institutione.

23 Otij comites sunt, languor, inertia, lentitudo, timiditas, ignauia.

Et lib. 8.

24 Persarum imperium armis partum, longa pax & otium deleuit: Græcorum opes ingentes eadem diuturna pax afflixit. Romanum imperium, quo nullum vnquam in terris maius extitit, otium similiter atque nimia securitas euertit. & ne longiùs abeamus, regnum Hispariæ florentissimum, otium olim comminuit atque dissipauit.

DE

DE PEREGRINIS.

CAP. XXIX.

Deuteronom. 10.

Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera: facit iudicium pupillæ & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque vestitum. & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenæ in terra Ægypti.

Ad religionem præfecti vrbis cura peregrinorum pertinet, vt ne à quoquam eis illudatur, nec afficiantur iniuria.

Plat. lib. 5. de Legibus.

Ad peregrinos sanctissima esse fœdera quisque cogitet. Firmè enim omnia peregrinorum, & contra peregrinos peccata præ illis, quæ inter ciues committuntur, vltori Deo curæ sunt. nam cum peregrinus amicis cognatisque careat, maiorem & apud deos & apud homines meretur misericordiam.

Idem lib. 12. de Legibus.

Aduenæ benignè suscipiendi sunt. Quatuor autem sunt peregrinorum genera: primum eorum, qui semper æstiuales sunt, & quasi aues per mare ad alias deuolant ciuitates, & cetera. nec vltu & hostiis peregrini pellendi sunt, nec atroci edicto à finibus nostris arceri.

Cicero lib. 3. Offic.

Qui ciuium rationem dicunt esse habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, libertas, bonitas, iustitia funditus tollitur.

Charondas in proximis Legum.

Peregrinum quemuis secundum leges proprias

Hh 4 bene-

beneprecando, & familiariter suscipere oportet, ac remittere, lous hospitalis memores, qui Deus apud omnes communis est constitutus, & hospitalitatem inspicit.

Phocylides in poemate admonitorio.

- 7 Sint in honore pares peregrini ciuibus ipsis.
Nam vaga paupertas omnes cum tempore tentat.
In terraque manent homines non semper eadem,
Simplicius in enchiridion Epicteti, cap. 65.

- 8 Habitus quidam est erga peregrinos nobis à Deo hospitem præside inditus atque insertus. oportet itaque his quoque officium præstare, tum ob præsidem eorum Deum, tum ob humanitatis nostræ amplificationem, quæ in genus hominum vniuersum porrigi debet. officium verò est, vt nunquam peregrino faciamus iniuriam, sed si ab aliis fiat, pro viribus optulemur. Præterea ad negotium illud, cuius gratia profectus est, ipsi præsto esse oportet, qui possit & rerum necessariorum inopi pro facultate largiri; & si in morbum inciderit peregrinus, quoad fieri potest, curare, & ad reditum in domum opem pro virili ferre.

Cicero lib. 3. Offic.

- 9 Peregrini officium est, nihil præter suum negotium agere, nihil de alio inquirere, minimèque in aliena republica esse curiosum.

Biesius lib. 3. de Rep.

- 10 Magistratus nullos externos nebulones, qui tantum vagari & grassari per itinera sciunt, admittet. tales quippe sunt ij, qui se aiunt Ægyptios esse, cum nihil minus quam Ægyptij sint. Hos præfectus vrbi vt illusores, impostores, & fures suppliciiis seueris afficiat.

DE

DE PAUPERIBVS, ET
VIDVIS. CAP. XXX.

Psalm. 40.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Diuus August. ad Fratres in eremo, serm. 35.

Iudices duces populi esse debent, orphanorum patres, viduarum mariti, iustitiæ zelatores, & reipublicæ amatores. quæ quidem omnia cunctis magistratibus inesse debet: sed vrbibus præfectis multo profectò magis, quia eorum fidei ciuium fortunæ omnes committuntur & capita.

Idem diuus de verbis Domini, serm. 19.

Si clericus non contentus stipendiis fuerit, quæ de altario Domino iubente consequitur, sed exercet mercimonia, intercessionem vendit, viduarum munera libenter amplectitur; hic negotiator magis potest videri, quam clericus: nec dicere possumus, nemo nos inuasores arguit, violentiæ nullus accusat, quasi non interdum maiorem prædam à viduabus blandimenta eliciant, quam tormenta.

Vt pauperum misereamur, eisque semper fauamus, literæ sacræ nos affatim admonent, & illa in primis sententia, quam Christus Deus noster in iudicij vniuersalis supremo die laturus est; qua vel sola patet, quam impij sint huius temporis hæretici, qui fidei solæ, sine operibus mortuæ, iustificationem tribuunt. Sed ad propositum reuertamur.

Ioannes Curopalates in Historia.

Basilus imperator constituit alimenta pauperioribus iis qui litigarent; ne fortè inopia oppressi, litibus renuntiarent.

Hh 5 Quem-

6 Quemadmodum praefectus urbi curare debet, ut ne pauperes opprimantur, aut conficiantur inedia; sic etiam validos mendicantes omnimodo e civitate exterminabit, & puniet.

De quibus Plato lib. 11. de Legibus:

7 Nullus in civitate nostra mendicus sit. quicumque verò id tentauerit, victumque inexplebilibus precibus colligere coeperit, a rerum venalium curatoribus e foro pellatur, ab aedili magistratu exterminetur: ut ab eiusmodi animali omnino uniuersa regio munda sit.

Lex Valentiniani lib. 11. C. tit. 25.

8 Cunctis, quos in publicum questum incerta mendicitas vocauerit, inspectis, exploretur in singulis & integritas corporum, & robur annorum, & caetera.

9. Quod si quotannis semel saltem exploraretur, quis sit vnusquisque pauperum, & quantum breui medicus sit, & curarentur morbi eorum, & nemini liceret mendicando viuere, nisi prius ab episcopo & urbi praefecto causa cognita id illi permitteretur: longè quidem melius consultum esset vitis mendicis atque reipublicae. Sed id rectissime legibus regis est cautum, & nusquam ad effectum perducitur, quia nec praemia proposita sunt exequentibus, nec poena imposita negligentiis.

10 De viduis iam antè dixi, & Ecclesiasticus cap. 35. inquit: Non despiciet Dominus viduam, si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymae viduae ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas: a maxilla enim ascendunt vsque ad caelum, & Dominus exauditor delectabitur in illis. Tuetur ergo viduas praefectus urbi, & rem Deo gratissimam faciet.

Lactantius

Lactantius lib. 6. cap. 12.

Magnum iustitiae opus est, pupillos & viduas destitutos, & auxilio indigentes, tueri atque defendere: quod adeo uniuersis diuina lex illa praescribit: quandoquidem boni quique iudices ad officium suum inuicem pertinere, ut his naturali humanitate faueant, ac iisdem prodesse nitantur.

Ex diuo Thoma lib. 2. de regim. princip. cap. 15.

Ad bonum regimen pertinet, ut de communi aërio prouideatur indigentiae pauperum, pupillorum & viduarum, si enim natura non deficit in necessariis, multo minus deficere debet ars quae illam imitatur: inter omnes verò artes, viuendi & regendi ars amplior & superior est. Ergo rectores populorum in necessariis deficere non debent, sed indigentibus subuenire. Praeterea qui vicem Dei gerunt in terra, curam pauperum habere tenentur; & eo magis quia communes habent actiones, & reipublicae administrationem, & omnium subditorum curam: ideoque hospitalia sunt instituta, quae magna diligentia erunt conseruanda.

Diuitibus opus est multis praecipis, ut frugaliter viuant, ut corpus exerceant laboribus, ne corporis ambitioso cultu delectentur, aliaque innumera: quae omnia per se ipsam docet paupertas; est enim (ut quidam inquit) virtus per se docta.

Ferus in Acta cap. 25.

Boni iudicis est, non differre causas in praedicium pauperum: impij igitur sunt, qui propter lucrum vel fauorem diuitum rem eò vsque differant, ut pauper cogatur propter inopiam etiam causam iustam relinquere. id quod saepe fit.

DE

DE PUPILLIS, ET EXPOSITIS. CAP. XXXI.

Diuus August. in Euangel. Ioann. tractatu 75.

1 Orphani, pupilli sunt: illud enim Græcum eiusdem rei nomen est, hoc Latinum: nam & in Psalmo, ubi legimus, Pupillo tu eris adiutor; Græcus habet, Orphano, Psalm. 9.

2 Pupillos viduis æquiparant scripta sacra. Dominus deprecationem læsi exaudiet, non despiciet preces pupilli, nec viduam. Et apud Isaiam: Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus. Quin etiam leges civiles eodem respexisse videntur.

Lex Constantini lib. 3. C. tit. 14.

3 Si contra pupillos, viduas, vel diuturno morbo fatigatos & debiles, impetratum fuerit nostræ lenitatis iudicium; à nullo nostrorum iudicum compellantur comitatu nostro sui copiam facere. &c.

Lib. 26. Digest. tit. 6.

4 Seuerus Eufipio Rufino ita scripsit: Omnem merationem adhibere subueniēdis pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere omnibus volo.

5 Ad præfectum vrbi attinet pupillis tutores dare, & ubi educari tutius ac melius debeant; & ne bona eorum sine decreto alienentur prospicere ac providere. nec perfunctoriè aut oscitanter pupillis tutores dabit, sed causa cognita.

Modestinus lib. 26. Digest. tit. 5.

6 Inter cæteras causas magistratus oportet creandorum mores animaduerrere. Nec enim tam facultates aut dignitas, apta sunt ad fidem eis habendam, quam vitæ institutum decens, & mores probi. Semper autem maximè

maximè hoc magistratus obseruent, ne creēt eos qui se ingerunt, vt creentur; aut ob id pecuniā dent, quos pœnæ quoque obnoxios esse, constitutum est.

Si pupillam tutor corruerit, seuerissimè puniendus est. qua de re Lex Constantini extat lib. 9. C. tit. 10. quæ plenior legitur in Codice Theodosiano libro 9. tit. 8.

Si tutor pupillam suam violata castitate stupraverit, deportatione plectatur, atque vniuersæ eius facultates fisci iuribus vendicentur: quamuis eam pœnam debuerit sustinere, quam raptori leges imponunt.

Ulpianus lib. 2. de offic. Proconsulis.

Aduocatos petentibus debet indulgere, primūque feminis vel pupillis, si quis eis petat, vel si nemo sit qui petat, vitrò eis dare debet: eorum quoque negotia celeriter expedienda sunt, ne litium sumptibus consumantur.

Infantes expositi educandi sunt cura præfecti vrbi, ne inedia moriantur, aut à canibus & porcis dilacerentur. Magis enim eorum miserendum est, quam aliorū omniū pauperū, qui fari & ambulare possunt.

Ælianus lib. 2. varia historia.

Lex hæc Thebanorum recliissimè, & humanissimè posita est, ne cui Thebano liceat infantes exponere, capitis supplicio sancita: verum si in extrema necessitate pater sit constitutus, cogit infantem statim à materno partu ad magistratū cum ipsis fasciis afferre: qui acceptum alicui tradet, vt per suam fidem infantem alat, & aduultum serui loco habeat; sic vt alimentum, & educatio seruitute compensetur.

Philo lib. de specialibus Legibus.

Impietatem esse ait, infantes exponere; & parentem,

tem, qui hoc committit, immanem, & homicidam esse, atque adeò infanticidam prolis propriæ. Pun- niendi quidem isti sunt, qui filios suos quodammodo ad mortem exponunt, & ius aliquod in infantes ex- positos tribuendum nutritoribus esset: quandoquid- de charitas iã penè refrigit. Constitutio nouella 153.

Lactantius lib. 6. cap. 20.

13 Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in præ- dam canibus obiciunt; & quantum in ipsis est, cru- delius necant, quàm si strangulassent, quis dubitet, quin impius sit, qui alienæ misericordiæ locum non tribuit? qui etiam si contingat ei quod voluit, ut ala- tur, addixit certè sanguinem suum, vel ad seruitutem, vel ad lupanar; quæ autem possint, vel soleant acci- dere in viroque sexu, vel per errorem, quis non in- telligit? quis ignorat? Quod vel vnus Oedipodis de- clarat exemplum, duplici scelere confusum, tam igitur nefarium est exponere, quàm necare.

Lex Constantini lib. 11. C. Theod. tit. 27.

14 Arcistabilis, vel cerustatis, aut linteis mappis, scripta per omnes ciuitates Italiae proponatur lex, quæ parentum manus à parricidio arceat, votumque ver- tat in melius: officiumque hæc cura perstringat, ut si quis parens afferat sebolem, quam pro pauperibus educare non possit, nec in alimentis, nec in veste im- pertienda tardetur; cum educatio nascentis infantis moras ferre non possit: ad quam rem, & fiscum no- strum, & rem priuatam indiscreta iussimus præbere obsequia.

P R Æ F E

P R Æ F E C T V S V R B I A D R E M -
P U B L I C A M S E A C C O M M O D A R E
D E B E T . C A P . X X X I I .

1 Si non est respublica trahenda ad leges, sed leges sunt accommodandæ respublicæ, ut alibi ex Aristo- telis reuli: multo id magis de præfecto vrbis legum ministro dicendum est. Itaque ut urbem fidei suæ commissam præfectus gubernare facile possit, ad mores, civium cognoscendos, & senatorum explo- randa, & pertractanda ingenia, animum attendere oportet. Varij enim sunt populorum mores, varia ciuitatum ingenia: nec omnis respublica eodem mo- do tractari vult. *Plutarchus in Politicis.*

2 Decei virum civilem, & rempublicam tractare in- cipientem, tandiu civium moribus consentaneè vi- uere, & se ad eorum naturam accommodare, ac scire, coniecturæque sectari ea, & assequi, quibus populus soleat delectari, & quibus adduci facile: donec opi- nione virtutis, & fide iam comparata, auctoritate imitari possit.

3 Sanè cuiem qui rempublicam rectè administrare velit, mores & vias vulgi effingere, ac imitari minime deceat; scire dumtaxat, ac probè tenere, qua quisque maximè ratione capi adducique possit. Ignoratio enim eorum, quibus cum tibi viuendum est, ut opi- nione, & spe frustretis, ac ceptis sæpenumero de- cidat, in causa est: quod non minus in ciuitatibus, quàm in amicitijs regum vsu venit. Mores proinde civium tum leniter, atque scite tractandos, mode- randosque, ac meliores efficiendos aggredi debes, cum iam tibi vires sunt, & auctoritas comparata ap- pareat. *Plutarchus.*

Quamuis

- 4 Quamuis autem praefectura urbis satis magnam auctoritatem habeat, nihilo tamen minus necesse est, ut praefectus urbi placidè pertractet civium animos, & caperet voluntates eorum, praesertim senatorum, & illustrium, atque nobilium, salvis legibus & iustitia, salvo officio, & auctoritate. Nec enim laudandi sunt, qui sibi subiectos nimis asperè tractant.

Lex Valeriana lib. 12. C. tit. 1.

- 5 Nemo praefectus urbi citra praerceptionem, vel scientiam nostram ulli muneri subiunget senatorem, nemo curiam nostram inani pulset iniuria.

Plato epist. 4.

- 6 Necessaria est ad res gerendas hominum benevolentia; hanc praefectus urbi iustitia & prudentia, ceterisque virtutibus facile conciliabit. Nam (ut Plutarchus inquit) ille amor validissimus omnium, iureque optimo habetur, quem per virtutem quispiam à civibus & popularibus sibi comparaverit.

DE FAMILIARITATE CVM CIVIBVS. CAP. XXXIII.

- 1 Praefectum urbi placidum esse oportet, ac mitem, ita tamen, ut auctoritatem dignitatis conseruet.

Callistratus lib. 1. Digest. tit. 17.

- 2 Obseruandum est ius reddenti, ut in aduendo quidem facilem se praebet, sed contemni non patitur: unde mandatis adiicitur, ne praesides prouinciarum in vltiorem familiaritatem prouinciales admittant: nam ex conuersatione aequali contemptio dignitatis nascitur.

Cicero ad Quintum fratrem proconsulem Asiae.

- 3 In prouincia ipsa si quem es nactus qui in tuam familiaritatem

miliaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus, huic quantum credendum sit, vide: non quin possint esse multi principales viri boni, sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. Multis enim simulacrum inuolucris tegitur, & quasi velis quibusdam obrenditur vniuscuiusque natura. Frons, oculi, vultus saepe mentiuntur, oratio verò sapissimè. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum, qui pecuniae cupiditate adducti, careant his rebus omnibus, à quibus nos diuisi esse non possumus: te autem alienum hominem ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent. Mihi quidem permagnum videtur, praesertim si iidem homines priuatum non ferè quenquam, praetores semper omnes amant. quo ex genere si quem fortè tui cognosti amantiorum (fieri enim poterit) quam temporis; huc ad tuum numerum libenter ascribito. sin autem id non perspicias, nullum erit genus in familiaritate cauendum magis: propterea quòd & omnes vias pecuniae norunt, & omnia pecuniae causa faciunt: & quicum victuri non sunt, eius existimationi consulere non curant.

Caueant ergo urbis praefecti à familiaritate nimia senatorum & civium: caueant ab scribis & apparitoribus, qui modis omnibus eos capere cupiunt: caueant denique ab amicis simulatis. Nemo enim ferè est, qui se non simulet praefecti amicum, ut quo iure, qua iniuria sibi & suis amicitia illius abutatur.

Sapiens quidam.

Ne nimium familiaris fias magistratui: hoc enim & multis odiosum est, & non semper caret periculo, sicut saepe docuit experientia.

1 Ne fortè præfecti vrbibus aliis negotiis occupentur, aut sordidis lucris inhiare possint; veritum est mandato regio, ne ipsi aut comites eorum emant bona immobilia, aut ædificent, aut negotientur: quod idem iam diu prohibitum, & pœnis sancitum erat.

Martianus lib. 18. Digest. tit. 1.

2 Non licet ex officio, quod administrat quis, emere quid vel per se, vel per aliam personam: alioqui non tantum rem amittit, sed in quadruplum conuenitur, secundum constitutionem Seueri, & Antonini.

Modestinus eodem tit. cap. 62.

3 Qui officij causa in prouincia agit, vel militat, prædia comparare in eadem prouincia non potest.

Idem Modestinus lib. 22. Digest.

4 Principalibus constitutionibus cauetur, ne hi qui prouinciam regunt, quiue circa eos sunt, negotientur, mutuum pecuniam dent, fœnûsue exercent.

Sed Iulius Paulus eodem tit. inquit:

5 Præses prouinciæ mutuum pecuniam fœnebre sumere non prohibetur.

Hermogenianus lib. 49. Digest. tit. 14.

6 Quod à præside, seu procuratore, vel quolibet alio in ea prouincia in qua administrat (licet per suppositam personam) comparatum est; infirmato contractu, vendicatur, & æstimatio eius fisco infertur: & nauim in ea prouincia, in qua quis administrat, ædificare prohibetur.

Eadem

Eadem ferè omnia complexus est Iustinianus lib. 1.

C. tit. 51. cuius hæc summa est:

Quicumque administrationem gerunt, nec res immobiles emere, nec domum ædificare possunt, nisi concessu principis; nec donationes accipere debent, nec res mobiles comparare queunt, præter eas quæ ad alimoniam vel vestes pertinent. quod idem veritum est domesticis & consiliariis eorum.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 8.

Caput est in omni republica, vt legibus & omni alia ratione prouisum sit, ne qua facultas quæstus faciendi magistratibus relinquatur.

Vulcatius Gallicanus in Auidio Cassio.

An ego proconsules, an ego præsides putem, qui ob hoc sibi prouincias datas credunt, vt luxurientur, vt diuites fiant? audisti præfectum prætorij nostri ante triduum, quam fieret, mendicum & pauperem, sed subito diuitem factum: vnde quæso, nisi de visceribus reipublicæ, prouincialiumque fortunis?

De nuptiis Iulius Paulus lib. 23. Digest. tit. 2.

Si quis officium in aliqua prouincia administrat, inde oriundam, vel ibi domicilium habentem vxorem ducere non potest. qui in prouincia aliquid ministrat, in ea prouincia filias suas in matrimoniû collocare, & dotem constituere non prohibetur.

Martianus eiusdem tit. cap. 57.

Qui in prouincia officium aliquod gerit, prohibetur etiam consentire filio suo vxorem ducenti.

Ex lege Gratiani lib. 5. C. tit. 7. & lib. 3.

Codicis Theodosiani, tit. 6.

Si quis in potestate publica constitutus, qui parentibus aut tutoribus & curatoribus puellarum potest

li 2 esse

esse terribilis, inuitis eis vel puellis, metu vel terrore illas sibi, aut filiis, nepotibus, propinquis, domesticis, aut comitibus, in uxores accipere tentauerit, licet prohibitas nuptias non peregerit, attamen pro tali conamine decem libris auri mulctetur.

GRAUIORA QVÆ QVE AD
REGEM ESSE REFERENDA.

CAP. XXXV.

1 Si quid grauius in ciuitate vel prouincia contigerit, statim præfectus vrbi ad regem & cõsiliarios eius illud referre debet: qui verò secus fecerit, officio mouebitur, sicuti lege quadam regia constitutum est.

2 Sic olim Moyſes elegit viros strenuos de cuncto Israël, & constituit eos principes & iudices populi, qui iudicabãt plebem Domini omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, quemadmodum in Exodo traditur cap. 18.

Lex Constantini lib. 1. C. tit. 39.

3 Præfides prouinciarum oportet, si quis potentiorum exiterit insolentior, & ipsi vendicare non possunt, aut examinare, aut pronuntiare nequeunt, de eius nomine ad nos, aut certè ad prætorianæ præfecturæ sciëntiam referre, quo prouideatur, qualiter publicæ disciplinæ & lætis tenuioribus consulatur.

Lex Constantini lib. 11. C. Theod. tit. 29.

4 Super paucis, quæ iuridica sententia decidendi non possunt, nostram debes consulere maiestatem, ne occupationes nostras interrumpas.

Idem lib. 15. eiusdem Codicis, tit. 1.

5 De rebus præcipuis maximisque, non de quibuscunque vilissimis, nostrum debet interpellari consiliu.

Lex

Lex Valentiniiani lib. legum nouellarum Martiani tit. 1.

Nemo à nostra pietate maioribus occupata, nisi 6 in maximis & necessariis rebus subsidium poscat.

Zonaras de imperio Tiberij.

Narrat Eusebius, Pilatum Iudææ præfidem, Domini acta ad Tiberium scripsisse: cum moris esset, ut prouinciarum præfecti, si quid noui accidisset, id principi significarent; ne vilius rei, quæ apud externos gereretur, ignarus esset.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

Cauendum est, ne is qui rebus grauioribus intentus esse debet, minoribus negotiis implicitus teneatur. 8

OFFICIA PVBLICA NON
ESSE CONTINUANDA.

CAP. XXXVI.

Præfectus vrbi biennio dumtaxat magistratu fungitur, nisi rex ipse magna ex causa tempus id prorogauerit. hæc enim officia perpetua esse non debent. 1

In duodecim illis Romanorum tabulis hæc lex

(ut referunt) scripta erat:

Eundem magistratum, ni interfuerint decem anni, ne quis capito, ciuitatem annali lege seruant. 2

Dionysius Halicarn. lib 4.

Supereſt vnum ad retinendos in officio summos magistratus omnium, quæ hætenus memorauimus, vtilissimum: ut perpetuum non sit, & cum vita demum finiendum imperium. Prægrauis enim est omnibus magistratus, cui nullum certum tempus præfinitum est, eoque ratio reposcitur à nemine: vnde tyrannus nascitur. contrahenda igitur potestas, exemplo Atheniensium, intra tempus annum. Imperandi enim 3

I i 3 paren-

parendique vicissitudo & potestas, antequam corumpat animum relinquenda, reprimit ingenia fastuosa, nec sinit inebriari licentia nimia.

Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium inquit:

4 Superbire homines etiam annua magistratus designatione. Quid si honorem per quinquennium agitent? quid si per omnem vitam?

Ex Dione lib. 52.

5 Inter consilia quæ Mæcenas Augusto Cæsari dedit, inquit: Urbibus & prouinciis præfecti, neq; minus triennio (nisi quis quid deliquerit) neque plus quinquennio magistratum obeant. Nam & anni illi magistratus, ac pauco tempore circumscripti, hoc habent, ut cum quis aliquid in his addidicerit, prius decedat, quam eius specimen adhibere possit: & diuturna imperia multos ad fastum ac tentandas res nouas extollunt: sed mitiores efficiuntur, si aliquando priuatim post gestum magistratum vixerint, domumque reuersi meliores redduntur.

Titus Liuius lib. 3. tradidit,

6 Senatum censuisse, magistratus continuari, contra rempublicam esse.

7 Extant leges plurimæ in iure ciuili de honoribus, & muneribus non continuandis, quas huc transferre non attinet; quia vulgares, & perurgatæ sunt: sed vnâ aut alterâ propter earum rationes præterire nō possum.

Lex Valentiniani lib. 10. C. tit. 70.

8 Neminem susceptionis munere functum, ad idem munus astringi, nisi se prius vinculo sollicitudinis superioris absoluerit. Namque neque eos, qui placuerint, grauare, iustitiæ est; neque eos qui displicuerint, tenere, prudentis est.

Vlpianus

Vlpianus lib. 50. Digest.

Præses prouinciæ prouideat, munera & honores in ciuitatibus æqualiter per vices, secundum ætates, & dignitates, aut gradus munerum, honorumque, qui antiquitus statuti sunt, iniungi; ne sine discrimine, & frequenter his oppressis, simul viris, & viribus republicæ destituantur.

Ad summam, is qui solus iudicat, & sine collega gubernat, & qui de causis in primo iudicio, & in prima instantia cognoscit, non debet perpetuò in eodem magistratu manere: id enim nō expedire iam pridem experientia docuit.

REGIOS CONSILIARIOS
ET SENATORES PERPETVOS ESSE
DEBERE. CAP. XXXVII.

Hi qui de causis appellationum cognoscunt, & qui collegas habent; quales in Hispania sunt omnes consiliarij regij, & senatores; magistratus perpetui sunt, & esse debent.

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 1.

Satius esset haud dubiè, si fieri posset, ut semper iidem gererent magistratus.

Isocrates in Symmachico.

Qui singulis annis magistratus incunt, homines imperiti sunt, in vita priuata nati, & educati: neque in republica quidquam prius intellexerunt, aut vsu edocti comperam habuerunt. qui verò iisdem rebus perpetuò præsent, etiam si minus ingeniis valeant, longa tamen experientia cæteris antecellunt. Illi præterea dum alij alios intuentur, multa negligunt: hi

I i 4 verò

verò cum sciant à se omnia perfici oportere, diligenter de singulis cogitant.

Idem in Busiride.

- 4 Ut singuli easdem res perpetuò tractarent, imperavit, haud ignarus, eos qui subinde aliud, atque aliud munus suscipere, nihil exquisitè cognitum habere, aut dextrè obire: eos autem, qui rebus iisdem perpetuò sunt occupati, in suo genere plurimum excellere.

Iulius Capitolinus in Antonino Pio.

- 5 Successorem viventi bono iudici nulli dedit, nisi Orphito præfecto vi bi, sed petenti.

Lex Valentiniani & Martiani lib. 1. Codicis tit. 47.

- 6 Liceat omnibus iudicibus illustri præditi potestate, consiliarios sibi eosdem secundo, & tertio, & sæpius adiungere: quia qui semel rectè cognitus est, ob hoc solū nō debet, quòd iā probatus est, improbari.

Iosephus lib. 18. antiquitatum Iudaicarum cap. 8.

- 7 Tiberius Cæsar neque legationes sine mora admittebat, & præsidibus provinciarum, vel procuratoribus successorem non mittebat nisi mortuis. Proinde vincetos quoque negligebat audire; morè hanc rationem reddens amicis sciscitantibus: legatos quidem ideo admitti tardiùs, ne illis citò dimissis, alij denuo creati redeant; atque ita obruatur continuò excipiendis & dimittendis legationibus. Potestates autem semel constitutas ideo sinere, ut parcatur subditis. Cum enim natura omnis magistratus ad avaritiam sit pronior, externum, cui nullus certus sit præstiturus terminus, eo magis ad rapinam sollicitare homines. Itaque si diutiùs eo fruuntur, exsatiatos lucris segniores ad rapiendum fieri. quòd si successor immineat, non suffecturos auiditati provinciales, dum
decessor

decessor tanto magis spoliatur, quanto minus temporis ad hoc faciendum sibi putat esse reliquum. Utebaturq; hac similitudine. Consauciati cuiusdam vulnera muscæ agminatim ingruentes operuerant; eū quidam forte fortuna præteriens miseratus est, putans languidiorem, quàm ut illas posset arceret; accedensque propius, parabat eas depellere. Orante autem saucio, ut sic eum sineret, quæsiuit alter causam, cur ita liberari ab hac molestia negligeret. tum ille; His abactis maiorem molestiam mihi faceres: nam hæc iam saturata sanguine, remiserunt nonnihil; quòd si recentes accederent & famelicæ, me iam antè pessimè affectum facilè perderent. Quare se quoque aiebat hac ratione providere subditis, multorum rapacitate vexatis, qui more muscarum eos infestarent, maximè si ad innatam cupiditatem metus citò desinendi accederet.

Sed veriùs id socordix atque desidia Tiberij tribuunt Historici, nam avari nunquam replentur pecunia: immo verò crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Thomas Morus quodam epigrammate.

Nec me nota mouet, quæ pastam fabula muscam 9

Ferre iubet, subeat ne malè pransa locum.

Fallitur expleri virum, qui credit, avarum:

Nunquam hæc non vacuum mittet hirudo cutem.

PRÆCEPTA DATA PRÆ-

SIDIBVS. CAP. XXXVIII.

Iustinianus constitutione nouella 8.

Præsides provinciarum oportet ut subiectos nostros ex omni parte illætos conseruent, nihil quid-

I i s quam

quam ab villo eorum accipientes, sed æquos se in disceptandis controuersis, æquos in conseruanda disciplina publica præbeant; in persequendis quidem criminibus, insontes à calumniis reddentes liberos, reis verò fontibus pœnas legitimas imponentes: neq; aliter inter subditos imperium exercentes, quàm patres solent inter filios: vt diligant quidem eos, si crimine vacui sint: coërceant verò ac puniant, si criminibus videantur esse obnoxij: iustitiam denique illis exhibentes tam in causis publicis, quàm priuatis contractibus.

- 2 Neque vt ipsi hoc tantùm agant, sed etiam vt assessorum, & omnes circa ipsos versari solitos, sibi similes assumant: ne quando cum ipsi culpa careant, per alios delinquere & furari, & (quod multo ferdius est) maleficiorum sibi socios asciscere videantur.
- 3 Præsides autem si omni munere abstineant, nihil timori Dei, legis, & nostri præponent: sed eò respicientes subiectis conseruabunt iustitiam, omnia secundùm leges nostras & iudicantes & agentes.
- 4 Compertum habemus, quòd improbi admodum ex cohorte homines iudicibus sint in ministerio, nēpe conscij latronum, veneficiarij, crumenifecæ, & reliqua multitudo: quorum vnumquemque satius est puniri, quàm ad istum modum viuere. Hoc enim hominum genus, cui cum latronibus intercedit notitia, eiusmodi est, vt nihil boni peragat: sed in hoc tantùm fures cognoscunt, vt sibi suisque iudicibus aliquid venentur lucri. Quæ omnia conuenit, vt iudices oderint, & aduersentur, & puris vtantur manibus, & omnia delicta iusta animaduersione persequantur, & urbem veluti bestiis furta exercentibus perpur-

perpurgent. Industrios præterea homines ad hæc ministros assumant, & ea moderatione aduersus cohortem suam vtantur, vt ab ipsis tanquam iudices metuantur, & omnia agant cum summa animi intentione ac beneuolentia.

Ex eiusdem constitutione nouella 17.

In administranda prouincia instructos eos esse oportet, qui officia suscipiunt, & ideo certa præcepta dantur officium suscipienti; quibus edoceatur, quomodo prouinciam gubernare conueniat. Quorum hæc summa est: Puras Deo, & nobis, ac legi manus conserues.

Nullam contra subditos negotiationem exerceas. 6

Publica tributa vigilanter exigas. 7

Prospicias, ne populares seditione aliquã moueant. 8

Causas cum summa æquitate cognoscas. 9

Breues causas & viles sine scripto decidas & iudic- 10

Pauperum causas gratis cognoscas. [ces. 11

Rerum victui necessariorum copiis, & ciuitatum 12
operibus adhibebis diligentiam.

Pontium, viarum, & portuum prouinciæ, cui præ- 13
sides, murorum quoque curam habebis.

In omnes res, in quibus aliqua vel fisci vel ciuita- 14
tum utilitas versatur, cõsilia & actiones tuas reiicias, deque his ad nos referes.

Neque committes, vt priuilegiis apud te vtantur 15
malefici.

Maleficia omnia cum tanta vehementia perseque- 16
ris, vt paucorum supplicii omnes alios salues.

Cohortales tuos, id est comites & ministros, in 17
officio continebis, & nemo illorum imperium in
tuam habeat voluntatem.

Assesso-

- 18 Assessorem virum bonum assumes, qui si tibi fidem non seruauerit, hunc abiges, & altero uteris, qui & leges & ius incontaminatis tractet manibus.
- 19 Delinquentibus maximo sis terrori, mansuetissimus verò ac mitissimus erga probos, quibus paternam impertieris prouidentiam.
- 20 Si quando ad alia loca te proficisci iubemus, contentus iis quæ largiuntur ex publico, non gratis sumptus facias, neque subditos nostros atteras, & propriis iumentis, proprio item sumptu profectionem conficias.
- 21 Sed neque si milites te sequantur, permittes ut gratis & aliter sumptum faciant, quam de suis annonis.
- 22 Hæc omnia igitur obseruabis, & simul ac prouinciam ingressus fueris, conuocaris episcopo & clero, & nobilioribus ciuitatis, hæc sacra mandata publicè propones, ut omnes agnoscant, quibus conditionibus magistratum susceperis, respiciantque si hæc obserues, & nostro dignum te ostendas iudicio.
- Cassiodorus lib. 2. variarum in formula præsidatus.*
- 23 Decessorum bona exempla sequere, à vitiosorum te imitatione disiunge: non puteris omnis consuetudo probabilis. cautum debet reddere, non sequacè, error alienus: voluntatem regiam in legibus habes; illis obtèpera, & nostra cognosceris implere madata.

DE QVIBVSDAM ALIIS AD
VRBIS PRÆFECTVRAM PERTI-
NENTIBVS. CAP. XXXIX.

- 1 Præfectus vrbi & senatores nemini salarium dare debent, nisi consulto principe. Itaque ipsi viderint, ne fortè ut cuipiam gratificentur, in publica cōmoda peccent,

peccent, & sint restitutioni obnoxij.

Lex Constantini, siue Alexandri, lib. 10. C.

tit. 36. C. Theod. lib. 12. tit. 2.

Nulli salarium tribuatur ex iuribus reipublicæ, nisi ei qui iubentibus nobis specialiter fuerit consecutus. Grauitas igitur tua placitis obsequatur.

De ponderibus & mensuris curæ debet esse vrbi præfecto, ne quid respublica detrimenti capiat.

Lex Gratiani lib. 12. C. Theod. tit. 6.

In singulis stationibus & mensuræ & pondera publicè collocentur, ut fraudare cupientibus, fraudandi adimant potestatem.

Lex Valentiniani eodem tit. & lib. 12. C. tit. 70.

Modios æneos, vel lapideos cum sextariis per mansiones, singulasque ciuitates iussimus collocari, ut vnusquisque tributarius sub oculis constitutis rerum omnium modiis, sciat quid debeat susceptoribus dare, &c. Extant ea de re leges regię, quas vrbi præfectus ad vnguem seruire, & exequi debet.

Diuus Gregorius lib. 1. epist. 42.

Ante omnia hoc te volumus sollicitè attendere, ne iniusta pondera in exigendis pensionibus ponantur; sed si qua talia inueneris, frange & noua, & recta constitue.

Ex diuo Thoma lib. 2. de regim. princ. cap. 14.

Pondus & mensura necessaria sunt ad reipublicæ conseruationem, illis enim conseruatur fidelitas in contractibus. vnde cum Moyses in Leuitico exhortaretur populum ad iustitiam faciendam, statim subiungit regulas naturalis iustitiæ: non facietis, inquit, iniquum aliquid in pondere, & mensura: statera iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquusque sextarius.

sextarius. ergo reges pondera, & mensuras tradere debent populis sibi subiectis, ut rectè se in commerciis habeant.

Nec praterenda est lex Valentin. lib. 14. c.

Theod. tit. 4.

8 Illud à decessore tuo salubriter institutum est, quo suariis æstimandi licentia denegetur, pondusq; porcorum trutinæ examine, non oculorū libertate quæ- ratur, ita videlicet, ut ne volenti quidem possessioni tradere animal liceat, cuius modum nō prius ponderatione certa deciderit suarius: animal verò à possessore tradendum ob digeriem, prius vnus noctis tantū ieiunitate vacuetur.

Marius Salominius sub. tit. de Offic. præfeti vrbi hac scripta reliquit.

9 In Carinis inter ruinas effossum vidimus lapidem, in quo hoc edictum scriptum erat: Ex auctoritate Turci Aphoniani viri clarissimi præfeti vrbis. Ratio docuit vtilitate suadente, consuetudine micandi summotā, sub exagio (id est pondere) potius peccata vendere, quàm digitis concludentibus tradere: ut appenso pecore, capite, pedibus, & seuo, lactente, & subgulari, lanio cedentibus; reliqua caro cum pelle, & interraneis proficiat venditori, sub conspectu publico, fide ponderis comprobata: ut quantum caro occisi pecoris appendat, & emptor norit & venditor; commodis omnibus, & præda damnata, quam tribuni officium, cancellarius, & scriba de pecuariis capere consueuerant. Quæ forma interdicti, & dispositionis sub gladij periculo perpetuò constituenda mandatur.

DE

DE CONFUGIENTIBVS AD

ÆDES SACRAS. CAP. XL.

Numeri 35.

Decernite quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum, qui nolentes sanguinem fuderint: in quibus cum fuerit profugus, cognatus occisi non poterit eum occidere.

Iosua 20.

Separate vrbes fugitiuorum, ut confugiat ad eas quicumque animam percusserit nescius: & possit eua- dere iram proximi, qui ultor est sanguinis, cum ad vnā harum confugerit ciuitatum.

Si ius suum cuique tribuendum est, si beneficia, & priuilegia principum conseruanda sunt, priuatis etiā & profanis; quænam est ista irreligiosæ mentis audacia, quæ sacratissimis Dei veri templis, quo iure qua iniuria vim & violentiam infert? quæ intemperæ, ut præsidium sanctitatis loci temerè, atque impiè violeretur? Erant olim apud Hebræos ciuitates quædam refugij: dæmoniorum quoque delubris & fanis ius asyli concessum, inuiolabile erat: & nos Catholici, qui in sacris ædibus ex aqua & Spiritu sancto nascimur, qui cætera sacramenta omnia ibidem quotidie participamus; qui tandē illic sepeliendi sumus; templorum immunitatem nihilo minus lædere atq; imminuere non formidamus?

Nazianzenus in Monodia.

Mulier quædā vidua confugit ad aram: dic oro, quid tunc non solum Basilium Magnum, sed sacerdotem simplicem facere oportuit? nōne eius erat officium, mulieri adesse, opemque ferre, cum facta sacrilega Deus prohibeat; ac sacras ædes honorari, & ad

ad has confugientes minimè attingi, aut auelli omnino iubeat?

5 Non tantùm pontificio iure, sed & multis regiis legibus hoc priuilegium templis tributum est, refugium quidem admodum necessarium humani generis fragilitati. Et Gundemirus Gothorum rex ante nongentos annos hanc immunitatem ædibus Hispaniarum sacris concessit, & confirmauit: ut Historici nostri omnes auctores sunt. Quid autem magni est, id ius templis tribuere, quæ Deus ipse domos suas, & orationis domos esse ait: cùm alibi hominum priuatorum, quin etiam puerperarum domibus idem priuilegium inuiolabile sit?

6 Extant quoque imperatorum leges sanctissimæ sub titulo Codicis Iustiniani, De his qui ad ecclesias confugiunt: quarum aliquas breuiter cōmemorabo.

Lex Honorij, & Theodosij.

7 Fideli deuorâque præceptione sancimus, nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere. Sub hac uidelicet definitione, ut si quisquâ contra hanc legem venire tentauerit, sciat se maiestatis crimine esse retinendum.

Lex Leonis.

8 Præsenti lege decernimus per omnia loca ualitura, nullos penitus cuiuscûq; cōditionis sint, de sacrosanctis ecclesiis expelli, aut tradi, vel protrahi confugas. qui hoc moliri, aut facere, aut nuda saltē cogitatione, atque tractatu, ausi fuerint tentare, capitali & ultimi supplicij animaduersione plectendi sunt. ex his ergo locis eorûmque finibus, quos anteriorum legum præscripta sanxerunt, nullos eiici, aut expelli aliquando patimur: nec in ipsis ecclesiis reuerendis ita quē-

quam

quam detineri, atque restringi, ut ei aliquid aut uitalium rerum, aut vestis negetur, aut requies.

Ex lege Theodosij, & Valentiniiani lib. 9. codicis

Theod. tit. 34.

Pateant summi Dei templa timentibus, nec sola altaria, & oratorium templi circumiectum, quod ecclesias quadripartito intrinsecus parietum sepro concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita, sed usque ad extremas fores ecclesiæ, quas orarum gestiens populus primas ingreditur, confugientibus oram salutis esse præcipimus: ut inter templi, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & ianuas primas ecclesiæ, quidquid fuerit interiaccens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, arcis atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. neque in extrahendo eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere: ne qui hoc ausus fuerit, cùm discrimen suum videat, ad expectandam opem ipse quoque confugiat. Abducen-
tibus enim capitalem pœnam volumus esse propositam: nam humanitati præferenda religio est.

Diuus Gregorius epistola 54. lib. 12.

De persona Ianuarij sciendum est, grauius omnino & contra leges esse actum, ut uolenter de ecclesia traheretur: & illic refert has leges imperatorum.

Baptista Egnatius de Roma captiuitate.

Edictum fuit ab Alarico, ut quicunq; in templis diuorum confugerent, præcipuè Petri & Pauli, his nulla vis inferretur: quod & summa fide seruatum est.

Diuus Chrysostomus sermone in Eutropium, arguit illum, quia refugium ecclesiæ prohibuit, & legem dederat, quæ confugere reos ad diuinum altare

Kk prohibe-

prohiberet, & cum ipsemet Eutropius ad altare Dei (verum asylum) confugisset, idem beatus pater, illo prius obiurgato, pro eo intercessit; & rogemus, inquit, imperatorem, ut honoret ecclesiam, honoret altare; & hominem qui ex eo speravit salutem, non patiat inane id credidisse.

Ex Nicephoro lib. 13. Ecclesiast. hist. cap. 4.

- 13 Eutropius Eunuchus ubi vlcisci quosdam in animum induxisset, magnopere contendit, ut imperatores constitutionem ferrent, ne quis ad ecclesiam confugeret; sed etiam si quis ad eam confugisset, & supplex Deo factus esset, atque in templis metus causa versaretur, ut inde extraheretur: & ea lex lata, & ad finem suum perducta est. breui vero post, cum imperatorem offendisset, primus ipse, quam perferri studuerat legem, statim violauit. nam ex imperialibus aedibus profugiens, supplex in ecclesia consedit: neque ita multo post propter multa quoque alia delicta poenas luit, capitali affectus supplicio: lex autem operam eius lata ex publicis monumentis sublata est, ecclesia autem de legibus bene dudum constitutis enituit, ipso Deo apertam iniuriam extemplo vindicante.

Paulus Diaconus lib. 13. rerum Romanarum.

- 14 Mazezil elatus rerum secundarum insolentia, & tumens, ecclesiam Dei temerare ausus est, atque ex ea quosdam non dubitauit extrahere: secuta mox poena sacrilegum est. nam iisdem superstitionibus atque insultantibus, quos ab ecclesia ad poenam protaxerat, post aliquantum tempus solus ipse punitus est.

DE

DE DIEBUS FESTIS

LVDORVM. CAP. XLI.

Lex Honorij lib. 15. C. Theod. tit. 9.

Cunctos iudices admonemus, ut ludorum quidem quibus motis est, intersint festiuitati, & oblectamentis fauorem eliciant populorum: verum expensarum non excedant duorum solidorum liberata impendia, nec inconsulta plausorum insania, fortunas ciuium, & publicæ robur euellant.

Lex Arcadij lib. 11. C. tit. 45. & altera lib. 15.

Codicis Theod.

Clementiæ nostræ placuit, ut Maiumæ prouincialibus lætitia reddatur; ita tamen ut seruetur honestas, & verecundia castis moribus perseueret.

Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia generetur: sed procax, fœdum atque indecorum spectaculum denegamus.

Lactantius lib. 6. c. 17. 20.

Histrionum impudicissimi motus quid aliud nisi libidines docent & instigant? Quid de mimis loquar, corruptelarum præferentibus disciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? quid iuuenes aut virgines faciant, cum & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? admonentur utique quid facere possint, & inflammantur libidine in quæ aspectu maxime concitatur.

Diuus Chrysof. in Matth. hom. 38.

Barbari ipsi cum de theatralibus his ludis, & impertuna delectatione fabularum audissent, dixisse feruntur verba omnibus institutis philosophiæ dignissima: prudenter enim dixerunt, Romanos, quasi liberis, & uxoribus carerent, tales sibi excogitasse voluptates,

K k 2 quibus

quibus verbis ostendebant, nihil vxore modesta, nihil liberis esse posse suauis.

Lex Theodosij & Valentiniiani lib. 1 §. codicis

Theod. tit. 5.

6 Quo tempore commemoratio Christi passionis totius Christianitatis magistræ, à cunctis iure celebratur; omni theatrorum voluptate per vniuersas vrbes earūdem populis denegata, totæ Christianorū, ac fidelium mentes Dei cultibus occupentur. Aliud enim est supplicationum tempus, aliud voluptatis.

7 Ergo præfecti urbium, vim ædibus sacris non inferant, neque ludis sumptuosis onerent ciuitates, neque foedum aliquid, iniuriosum, aut inhonestum in publicis spectaculis agi permittant, neq; in quadragessimæ diebus tauros agirari, aut hastiludia fieri sināt.

Petrarcha lib. 1. de remediis, dialogo 30.

8 Ad summam, hoc teneas velim, pudicitiam spectaculis sæpe stratā, semper impulsam vidimus, & multarum ibi fama perit, pudorque; multæ inde domum impudicæ, plures ambigūe rediere, castior autē nulla.

9 Ad officium quoque præfecti urbis pertinet, seuerè aleatores omnes punire, quemadmodum regis legibus sancitum est, idque iustissimè, nam, vt eleganter scribit Oforius libro 7. de Regis institutione: Est aleæ ludus altor otij, magister ignauitæ, instrumentum auaritiæ, fraudis officina, rei familiaris euersio, rixæ materia, morum perniciēs, dignitatis labes, & insignis ignominia: est præterea angor animi, & cruciatus assiduus.

Et post pauca.

10 Nec is qui hoc ludo tenetur & ducitur, rem suam familiarē curat; nec suis liberis, aut seruis aut amicis consu-

consult; nec pietatis & religionis memoriam vllam conseruat: sic enim occupat illius animum hoc flagitiosum & infame ludendi studium, vt nullum honestæ cogitationi locum relinquat.

V A R I A D E P R A E F E C T I S

VRBIVM. CAP. XLII.

*Iustinianus constitutione 25. de prætoze Lycaonia:
idēque est de præfecto.*

Oportet ipsum prouidere, vt omnia rectè atq; ordine fiant in ciuitatibus. Et primū quidem, vt ciuitates sub ipso collocatæ seditionibus careant, ex omni parte æquitatem cōseruans, & summo studio prospiciens, ne nimium subditis indulgeat, & fræna relaxet. Deinde neque opera in ciuitatibus negligat, ne per hanc ansam deminuantur vel aquarum ductus, vel ipsorum pontium transitus, vel murorum munio, vel cura itinerum; sed omnia reficiat, vel saltem ad nos referat.

Idem de prætoze Thracia, constit. 26.

2 Descriptum iusiurandum est, quo magistratus nostros conueniat, cū officia suscipiūt, animā suam deuouere Deo, & tueri subditos nostros in æquitate & iustitia ab omnibus sordibus, inimiciis, gratia, remotissimos.

3 Curabit quoque illic omnia opera publica, neque patietur vt vel portus, vel muri, vel pontes, vel itinera, vel denique alia vitium contrahant; sed ipse quæcunque ex publicis redditibus possunt refici, ea procuret: si quid verò ex his maiore cura indiget, id ad nos referat.

4 Propterea magnam pecunię vim despiciamus, & ita

Kk 3 amplis

amplis annenis tam præfides quàm cohortes, & circa illos versari solitos, consolati sumus, ne per egestatem fortè aut eiusmodi aliquid parum decentibus factis occupentur.

5 Damus ei curiosius crimina indagandi & prohibendi, & ad nos per suggestionem nuntiandi facultatem, vt partim ipse per se ea corrigat, partim celerius ad nostram referat notitiam, vt si qua in re imbecilliores sunt, ibi vires crescant, & suppleantur scientiæ, & iussionis nostræ accessione.

Idem de Iudicibus, constit. 82.

6 Si iudex aliquid improbè & malitiosè quèquam ministrorum suorum agere lenserit, expellat auditorio suo eos, qui non bonam habent in gerendis rebus opinionem, & alios in illorum locum sufficiat.

Idem de præfide Pisidia, constit. 24.

7 Oportet vt qui hunc magistratum suscipit, his solis, quæ ex publico soluuntur, contentus sit; iustè & purè, & cum quadam asperitate humaniter se erga subditos gerat: omne maleficium prouincia expellat, & eos qui delinquant, secundùm leges nostras puniat, & per omnia ius tueatur, & ad nostras leges respiciat, & secundùm eas iudicet: & vt subditi nostri secundùm illas vitam, suâq; studia instituant, efficiat.

Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum.

8 Officium iustitiæ salutaris est, vnumquodq; semper deducere ad id quod est melius.

Vida lib. 2. de Reip. dignitate.

9 Vt gubernator propositum habet finem ad quem tendit, cursum secundum, medicus salutem, imperator victoriam, ita moderatori reipublicæ beata ciuium vita proponi debet, vt opibus copiisque, & gloria

gloria ampla sit, atque virtute honesta.

Idem paulo post.

Omnia respublica instituitur ciuitatis ordinandæ causa: ex quo ordine omnia prouenit ciuium quies, pax & tranquillitas: sine ciuium enim concordia, ex qua fit quies & pax, in ciuitate nunquam bene & beatè viui potest, qui est ciuili consociationis finis.

Plato lib. 5. de Legibus.

Reuera nimius in se ipsum amor, omnium peccatorum omnibus semper est causa. occæcatur quippe circa amatum, qui amat. quapropter qui se amat, cum seipsum magis quàm veritatem honorandum putet, quid iustum, bonum, pulchrùmve sit, malè iudicat. Decet sanè eum qui magnus vir futurus est, neque seipsum neque sua diligere, sed iusta semper, siue à se ipso, siue ab alio quouis gerantur. Ex hoc ipso delicto accidit omnibus, vt ignorantia suam esse sapientiam opinentur: hinc fit, vt quamuis nihil (vt ita dicam) sciamus, scire tamen omnia arbitremur. Cum verò nec aliis committamus facultatem agendi, quæ ipsi facere ignoramus facientes ipsi, errare compellimur. Quamobrem nimium sui ipsius amorem fugere quisque debet, & meliores sequi nullo rubore recundiæ impeditus.

Idem lib. 6. de Legibus.

Quidquid in ciuitate legis ordinisq; est particeps, cuncta ex eo bene procedunt: quæ verò ordine carèt, vel malè ordinata sunt, ea etiam quæ bene sunt ordinata, confundunt.

Ferus in librum Iudicum, cap. 8.

Hostes vincere, ciues in pace & tranquillitate conseruare, & veram religionem tueri, vera sunt magi-

Kk 4 stratus

stratus officia, & summa beneficia, quæ Deus per magistratum populo suo confert.

Appuleius lib. 2. Floridorum.

14 Bonitatis tuæ diligunt plerique fructum, ego studium; idque facere adorsus sum, dum moderationem tuam in provincialium negotiis contemplor, qua efficitur amare te debeant experti propter beneficium, expertes propter exemplum. Nam & beneficio multis commodasti, & exemplo omnibus profuisti: quis enim à te non amet discere, quam moderatione obtineri queat tua ista gratia, vita iocunda, mitis austeritas, placida constantia, blandusque vigor animi.

Lucius Durantinus lib. 1. de optima reip. gubernatione, cap. 1.

15 Sapientes existimant, valdè præclarum esse, urbem condere; multo præclarior, conditam instituere; longè verò præclarissimum, institutam rectè gubernare.

DE

DE REPUBLICA

LIBER IX.

DIFFICILE ESSE BENE

IMPERARE.

CAP. I.

1 SUPEREST quidè, ut ea iam colligam, quæ ad optimam regni gubernationem pertinere posse visa sunt; ac primum generalia referam, deinde verò singula persequar.

Plato Dionis propinquis epist. 7.

2 Cùm animaduertentem homines, qui in reipublice gubernatione versabantur, legesque & mores; quanto magis considerarem, quantoque magis ætate progrederer, tanto difficilius arbitrabar esse, rectè reipublicam gubernare.

Xenophon lib. 1. de Pædia Cyri.

3 Noui te dicere solitum semper, haud fas esse à diis petere, neque victoriã eos equestri pugna, qui equitare non didicissent, neque sagittæ ignaros superare illos sagittando, qui huiusmodi peritiam callent, neque gubernandi imperitos, optare nauium salutem gubernando: huiusmodi enim omnia esse præter diuina instituta.

Et paulo post.

4 Scire aliis præesse hominibus, ut habituri sint omnes res necessarias affatim, & ut futuri sunt omnes, quales oportet, hoc nobis mirabile sanè videbatur. Itã mediis fidius, ô pater, memini hoc dixisse te: itaque mihi quoque videbatur, opus esse maximè pulchrè imperare: ac nunc eadem mihi videntur, cùm

Kk 5 ipsum

ipsum imperandi munus mecum ipse considero.

Cornelius Tacitus lib. 1.

5 Tiberius variè differebat de magnitudine imperij: solam diui Augusti mentem tantæ molis capacem, se in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quàm arduum, quàm subiectum fortunæ regendi cuncta onus.

Suetonius in Tiberio cap. 24.

6 Diu recusauit imperium, adhortantes amicos increpans, ut ignaros quanta bellua esset imperium; tandem quasi coactus & querens miseram & onerosam iniungi sibi seruitutem, recepit imperium.

Flavius Vopiscus in Aureliano.

7 Ego à patre meo audiui, Diocletianum principem iam priuatum dixisse: nihil esse difficilius, quàm bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque vnum consilium ad decipiendum imperatorem capiunt: Dicunt quid probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non nouit: cogitur hoc tantum scire quod illi loquuntur; facit iudices quos fieri non oportet: amouet à republica quos debeat obtinere. quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat, bonus, cautus, optimus, venditur imperator.

Nicephorus lib. 18. histor. Ecclesiast. cap. 6.

8 Certaminum omnium multo maximum est, creditum sibi sceptrum pro eo atque par est, conseruare. & post multa: Imperij sceptrum non immoderatâ potestatem, sed splendidam potius seruitutem exercere admonet. Pindarus quoque omnem regiam, & aulicam phantasiâ, illustrem miseriam esse cecinit.

Sidonius lib. 2. epistolarum.

9 Sententiæ tali nunquã ego assentior, ut fortunatos putem

putem eos, qui reipublicæ præcipitibus ac lubricis culminibus insunt. Nam dici nequit, quantum per horas fert miseriarum illorum vita, qui supergressi ius fasque commune, summam beatitudinem existimant summam potestatem: hoc ipso miseres, quod parum intelligunt, inquietissimo se subiacere famularum. Nam sicut hominibus reges, ita regibus dominandi desideria dominantur.

Diuus Augustinus lib. 2. de ordine prope finem.

Mirari, & penè quotidianis efferre laudibus Pythagoram soleo, quod regendæ reipublicæ disciplinam suis auditoribus vltimam tradebat, iam doctis, iam perfectis, iam sapientibus, iam beatis: tantos enim ibi fluctus videbat, ut eis nollet committere, nisi virum, qui & in regendo penè diuinè scopulos euitaret, etsi omnia defecissent, ipse illis fluctibus quasi scopulus fieret.

Nazianzenus in Apologetico.

Reuera mihi videtur esse ars artium, & disciplina disciplinarum, hominem regere: qui certè est inter omnes animantes maximè & moribus varius, & voluntate diuersus.

Beatus Chrysostr. in posteriore epist. ad Corinth.

sermone 15.

Etenim imperare ars est, & non solum dignitas; imo ars est artium omnium summa.

Auerroës in libros Platonis de republica, tractatu 2.

Vna quedam ars absolutè princeps reliquarum artium existit: ipsa autem est reipublicæ administrandæ.

Patricius in proœmio de Regno.

Magna quidem res est, hominibus imperare, cum sit homo (ut Xenophon ait) animalium omnium in rectorem

rectorem & custodem suum ingratiſſimum . Nullū ſiquidem aliud animal in paſtorem ſuum ſeditioſum eſt, præter hominem, qui inſenſus ſemper in eos, qui ſibi præeſſe aut imperare quæerunt, inſidias meditantur, nouiſq; rebus ſtudet, eòſque odio habet, quamuis nihil mali ab eis vnquam perpeſſus ſit.

Thomæ Mori epigramma.

15 Regibus è multis regnum cui ſufficit vnum,
Vix rex vnus erit, ſi tamen vnus erit.

Regibus è multis regnum bene qui regat vnum,
Vix tamen vnus erit, ſi tamen vnus erit.

Ex diuo Thoma lib. 2. de regim. princip. cap. 15.

16 Cùm reges habeant vniuerſales actiones, & curæ totius rei publicæ, neceſſe eſt, vt in multis deficient; quia regnum gubernare, atque vnicuiq; ſecundum merita prouidere, tranſcendit virtutem naturæ, quã obrem impoſſibile eſt, vt reges ſæpe non errent, niſi ad conditorem, & gubernatorem omnium cetera ſe mente conuertant.

Aneas Siluius hiſtoria Bohemica cap. 6.

17 Agrum colere, gregem paſcere, nauim regere, texere, ſuere, ædificare, multi ſe ignorare fatentur: magistratum in vrbibus agere, regem gèrere, gentibus ac nationibus imperare, quod eſt difficillimū, nemo ſibi à natura negatum dicit.

Idem ibidem cap. 69.

18 Ad regimè animæ noſtræ liberum naſti fumus arbitrium: ad ſaluandas animas lux reddita Chriſtianis; de regimine ciuitatum, de mutatione regnorum, de orbis imperio, minimū eſt, quod homines poſſunt; magna magnus diſponit Deus.

Vinea

Viues lib. 3. de anima.

Inferiorem omnes amplectimur, ſuperiore grauamur, ſpecie quadam libertatis, quæ in deprauata natura, tanquã ſolo vitiato, in arrogantia degenerauit.

Sanctus Nilus lib. Aſcetica.

Hominibus præeſſe, res eſt omnium maximè laborioſa. Nã qui animalibus rationis expertibus imperant, ea omnibus in rebus reperiunt obedientia; ideòque ferè ſemper illis proſperè cedit imperium: qui verò homines gubernat & regunt, propter morum diuerſitatem, rationiſque ſolertiam, prouinciã difficilem experiuntur: quam qui ſuſcipiunt, neceſſe eſt vt ſe tanquam ad laborioſum certamen inſtruat.

Vida lib. 1. de reipublica dignitate.

Hoc intuebatur Xenophon, cùm diceret, nullum aliud animal minus induci poſſe ſuis paſtoribus obedire, quàm hominẽ rectoribus, & quorū eſt in poteſtate: neque vllum pecus conſurgere tam immaniter aduerſus cuſtodem ſuum, atque hominem contra regem & dominum: ſemper enim obnititur, ſemper eluctatur, ſeque ab eius imperio tendit eximere.

PROBIS CONSILIARIIS, ET SAPIENTIBVS OPVS ESSE.

CAP. II.

Ergo multis prudentibus viris, atque ſapientibus rex indiget, vt rectè gubernare poſſit: nec enim princeps tantam rerum ac negotiorum molem ſolus valeat ſuſtinere.

Exodi cap. 18. dixit Iethro ad Moyſem: Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur à mane vſq; ad veſperam. non bonam rem facis, ſtulto labore conſumeris

lumeris & tu & populus iste : ultra vires tuas est negotium , solus illud non poteris sustinere . Prouide de omni plebe viros sapientes , & timentes Deum , in quibus sit veritas : & qui oderint auaritiam ; & constitue ex eis tribunos & alios qui iudicent populum.

Diuus Chrysof. in cap. 3. Isaiæ.

3 Qui consiliis edendis præstant, nihilominus beneficium afferunt ciuitatibus, atque arma bellica. Admirabilis est autem cōsiliarius, qui multa scit, qui vsu didicit administrare rempublicam : qui multa callet, qui negotia omnia ciuitatis non erit moderari solerti prudentia.

Idem diuus de laudibus diui Pauli homil. 9.

4 Licet mirum in modum sapiens sis , & perspicias ea, quæ oportet, attamen homo es, & consiliario tibi opus est; solius enim Dei est, nullo opus habere consiliario: & nōnunquam euenit, vt sapiens non videat, quod oportet; & minor, & hebetior clarè, & cautè illud perspiciat. Sapiens ille Moyfes, qui tanta miracula operatus est, nō animaduertit rem, quam mortalium plerique facilè considerant; focer autem eius homo barbarus & obscurus, statim animaduertit. Itaque cōsiliariis omnes opus habent, etiam si Moyfi conferri possint. Multa enim sunt, quæ magni, & admirabiles viri ignorāt, quæ tamen parui & abiecti scire solent.

Beatus Gregorius epist. 17. lib. 12.

5 Prudentes viros regibus adherere multorum solamen est. Nam dum præstandi sibi locum ad animæ utilitatem datum intelligunt, certum est, quia mercedis causas, vbi inueniunt, non postponunt.

Dio

Dio Chrysof. oratione 3. de Regno.

Solus nemo, ne priuata quidem, & domestica peragere potest; regibus autem quanto plura, & maiora administranda sunt, eo pluribus est opus, qui maiore cū beneuolentia auxilium ferant; necesse est enim quæ maxima sunt, & summa sedulitate peragenda, aut aliis committere, aut omnino negligere.

Cicero lib. 1. Offi.

Ad ea eligenda quæ dubitationem afferunt, adhibere homines doctos debemus, vel etiam vsu peritos; & quid iis vnoquoque officij genere placeat, exquirere.

Theognides in sententiis Elegiacis.

Consulta bis & ter, quod tibi in mentem venerit, nocuus enim profectò præceptus vir est. *Idem ibidem.*

Charius in terris nihil est, superatve parentes,
Qui probitate graues iustitiæque vigent.

Pindarus in Pythiis Oda 2.

In omni regimine rectilinguis vir antecellit, videlicet, & apud dominatum vnus, & cū imperiosa multitudo, & cū prudentes custodiam agūt.

Hieronymus Osorius in epistola ad reginam Angliæ.

Omnes regum opes, & facultates in bonorum hominum prudentia atque virtute collocandas arbitror; nec enim aliquis princeps vilo modo potest vel in bello victoriam consequi, vel in pace dignitatem meri, vel in negotio callidè versari, vel in otio tranquillitatem retinere, qui non est bonorum hominū comitatu circumseptus.

Fallitur autem opinione ineptissima, quisquis putat homines ineruditos, aut consiliarios regios, aut iudices esse posse.

Socrates

Socrates apud Xenophontem lib. 4. de factis & dictis Socratis.

13 Stultum est putare artes eas, quæ minores sint, nõ posse absolutas reddi sine instructore: ciuitati verò præesse, cùm sit omnium maximum, posse quemquã ex se satis nosse.

Aristoteles lib. vlt. Ethic. cap. vlt.

14 Electio sagacitatis est & intelligentiæ, ac perspicacitate indiget; rectèque iudicare, opus est maximũ.

Capitolinus in Antonino philosopho.

15 Semper sanè cum optimis non solùm bellicas res, sed etiam ciuiles, priusquam faceret aliquid, cõtulit. denique sententiã illius præcipua semper hæc fuit: Æquius est, vt ego tot, & talium amicorũ consilium sequar; quàm vt tot, ac tales amici vnus voluntatem sequantur.

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo senatore.

16 An sacerdotes reipublicæ præficiendi sint, dicendum videtur. satis apparet, eos ab illo bonorum omnium auctore, & legislatore Christo Iesu institutos esse; qui sanè effecit, vt sacerdotum dignitate nihil in cælis sanctius, nihil in toto orbe excellentius haberetur. His enim iura, leges, iudiciãque diuina tractãda commisit, illõsque suæ diuinitatis vicarios effecit, vnde omnis bene instituta respublica in administrando imperio, sacerdotes, aut principes, aut socios sibi putat, iustum, vtile, & necessarium asciscere; nec id quidem immeritò: quid enim præclarius, & ad reipublicam iustè sanctèque administrandam vtilius esse potest, quàm eos reipublicæ præesse velle, qui sapientiam non ex Delphico templo de promptam, sed ab illa cælesti sacrãque mente acceptam habent, cuiusq;

insti-

instituti reipublicam omnem regere, conseruare, ac piè, iustè, sanctè instituere sciunt: quos quidè qui ex rebus publicis reiciunt, aut iniusti, rudes, impetiti, barbarique sunt; aut non nostræ, id est Christianæ reipublicæ, ciues, aut impuri, impiique religionis hostes censerì debent. Si enim omnis respublica Dei cultu & religione conseruatur, iisque virtutibus sacerdotes maximè excellunt, iustè profectò, sanctèque facere sunt illi putandi, qui hos reipublicæ muneribus, munisq; obeundis, socios sibi asciscunt; vt amplissimi, sanctissimiq; ciues, reipublicam religiosè & sanctè gubernando, religionem sapienter interpretando, corpus totum reipublicæ sanum incolumèque conseruent. quod Romanos, Ægyptios, Hebræos, & alios multos fecisse legimus: quibus enim Deus salutem, & felicitatem hominum commisit, quis ita vecors, auens, & insanus erit, vt libertatem, bona, fortunas, domicilia, eisdem gubernanda nõ putet iustum & necessarium committere.

Ælianus de varia historia lib. 14.

17 Ægyptij sua iura à Mercurio profecta esse iactitãt; iudices autem apud eos iidem quõdam fuerunt, qui & sacerdotes: in his princeps erat sententiæ maximus nam, & in omnes statuendi ius habebat.

Ferus in Exodum cap. 10.

18 Nullus est princeps tam malus, qui non aliquando bene agat, si bonos habuerit consiliarios. sic impius erat Saul, tamè Samuele vtens consiliario, multa fecit, quæ aliàs non fecisset: è contrario nullus tam bonus princeps, qui non seducatur, si malos habeat consiliarios. Exemplo sit Ioas, qui cùm viueret Ioiada, pius erat: post mortem autem eius, à consiliariis suis

L l

per-

persuasus in idololatriam cecidit, nulla maior pestis, quam consiliarij mali, & contrà.

Exodi 17.

- 19 Ait Dominus ad Moysem, antecede populum, & sume tecum de senioribus Israël. *vbi Ferus:* Seniores secum sumere iubetur, vt multi essent, & ætate, & auctoritate graues, qui populum de beneficiis Dei instruere possent. Cæterum etiam quibusvis principibus præcipitur, vt seniores secum habeant, ipsorumque consilijs vtantur, ne scilicet proprio motu ferantur. Salus enim vbi multa consilia. alioqui princeps suum tantum caput sequens, & se & suos in interitum præcipitat, id quod videmus in Saule, Achab, Sedechia, & cæteris.

Quidam imperator.

- 20 In maximis negotiis, maximis maximorum opus est consilijs, qui & facultatem habeant, & voluntatem, vt rei cui bene cupiunt, bene consulere & velint, & possint.

Epitome rerum Germanicarum cap. 46.

- 21 Discant in hoc Venceslao reges, & principes regna, & principatus feliciter regi, conseruari, amplificari, que non posse, ignauia, torpore, otio, luxu, delitijs, libidinibus, aucupio, & venatu: sed labore, vigilantia, sapientia, virtute, iustitia, prudentia, frugalitate, religione, reipublicæ amore. discant ad gubernandos populos nequaquam esse opus calamistratis, veris, & fictis, fatuis, susurrionibus, effeminatis, adulatoribus, ecclesiasticæ libertatis, & omnium literarum inimicis: sed grauius viris, grandæuis, prudentibus, veracibusque, constantibus, integris, doctis, sapientibus, iustis, & sapientiæ atque reipublicæ amatoribus.

Quidam

Quidam in Politicis.

Fieri non potest, vt vnus aliquis, aut etiam pauci 22 quidam, quantumuis excellentes, & consilio præstantes, molem regni sustineant: Nam negotiorum multitudo quandam mentis caliginem iis obducit, qui in se nimium recipiunt: quia nec ingenij, nec etiam satis temporis habere possunt, vt res idoneè confident omnes.

Et paulò post.

Accidit sæpe, vt consilijs præficiantur, qui potentia & opibus plurimum valent: his salus reipublicæ curæ non est, sed mēs intenta, quomodo rem domesticam augeant & amplificent.

Idem post multa.

Saluator noster præter septuaginta duos discipulos, habuit apostolos duodecim, in iisque solum 24 tres maximè familiares, Petrum, Ioannem, & Iacobum; quin etiam ex his tribus Ioannem præ cæteris dilexisse videtur. itaque non est imputandum regi, si ex omnibus consiliarijs vnum, aut alterum sibi præ reliquis familiarem habeat.

Idem ibidem.

Expedit principi, ne se totum fidei, atque consilijs 25 eorum consultorum tradat, qui principis atque subiectorum commodo neglecto, suis rebus in primis seruiunt, easque auarè augent: hi vbi consilijs interfunt, de subditorum corio luditur, & reipublicæ utilitas perit.

Idem.

Occurrunt sæpe res, quas non oporteat à multis 26 cognosci: deliget sibi tunc princeps aliquos, quorum virtuti plurimum tribuit, quibuscum eas commu-

L I 2 nicet,

nicet, ac postea si videbitur, cum cæteris eas conferat, & perfectiùs æstimabit, quale sit reliquorum iudicium.

Idem.

27 Si princeps consiliarios dissidere videat, vel illorù sententiam non omnino prober, nihil in præsentia decernat, sed rem grauiori cogitationi reseruabit.

Idem.

28 Nō nisi grauiissima de causa ab opinione communis princeps discedat, ea enim solet esse melior, & ea repudiata plurimum offensionis consiliarij incurret.

Hierocles in versu Pythagora.

29 Bonum consilium gignit, & continet perficitque virtutes, earumque mater, nutrix & custos est.

Orosius lib. 6. de Regis institutione.

30 Hoc manifestum est in omni negotio, quod magnam vtilitatem continet, multorum hominum qui periti sunt, operam esse summo studio flagitandam: nec enim homo solus, nec imperitorum turba constipatus, poterit vlllo modo quidquam vtiliter administrare. quid igitur de maximo omnium atque difficillimo munere, cuius administratione & prouidentia reliqua omnia continentur, existimandum est: fieri ne potest, vt rex aliquis tantam personam tueri, tam multa negotia conficere, tantum statum incolumem conseruare queat, nisi fuerit multorum hominum prudentum consilio, virtute, fidelitate munitus? nullo modo.

Et mox:

31 Quo pacto enim vno tantum ingenio cuncta quæ sunt regibus excogitanda, prouideri, aut vnus oculis omnia quæ sunt in rep. diligenter speculanda, cerni,
aut

aut vnus auribus omnium postulata & querela audiri, aut vnus postremo manibus res innumerabiles effici, & ad exitum destinatum perducere possunt?

Et paulo post.

Rex igitur, qui muneri suo cum laude perfungi cupit, multos reges muneris socios habeat necesse est: aliter enim frustra studiù & industriam, atque adeo vitam in regno tuendo consumet. reges autem appello, qui virtute regia ornati sunt, quamuis regnum minimè possideant.

QVIS SIT SCOPVS RECTÆ GVBERNATIONIS.

CAP. III.

Plato lib. Ciuili, vel de Regno.

Necesse est eam maximè ac solam rectam existimare rempublicam, in qua, qui magistratibus funguntur, reuera gubernare sciunt. Quatenus autem scientia & iustitia freti, ex deteriori meliorem pro viribus ciuitatem efficiunt, eatenus rectam appellari rempublicam volumus, & in eo ipso dumtaxat definitione recte gubernationis consistere. Cæteras vero omnes neque legitimè, neque verè dici putandum est.

Idem in eodem.

Vir sapiens, bonusque gubernabit semper ita ad subditorum salutem respiciens, vt ad nauatarum nauisque salutem respicit gubernator. Ad summam, quidquid prudentes principes agant, nunquam delinquant, quamdiu vnum hoc potissimum seruant, vt mente, & arte, quod iustissimum est ciuitatibus inducentes tueri eos, valeant, melioresque ex deterioribus, quo ad fieri potest, efficere.

L 1 3

Aristot.

Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 13.

3 Videtur is, qui verè ciuili est, circa virtutem maximè laborare. vult enim ciues bonos efficere, ac legibus obtemperantes. & iterum lib. 2. cap. 1. Legumlatòres enim ciues assuefaciendo bonos reddunt: & hec est vniuscuiusque legumlatoris voluntas; qui verò id bene non efficiunt, peccant, atque in hoc bona respublica à mala differt.

4 Hoc igitur debet esse propositum reipublicæ gubernatoribus, quò intueri, & quò cursum suum dirigere debeant: nimirum, vt ciues bonos & beatos efficiant. idque ipsum est, quod sapientes omnes legumlatores volunt.

Xenophon lib. 8. de pedia Cyri.

5 Similia sunt opera boni pastoris, & boni regis. Nã & pastorem decet id præstare, vt pecora habeant feliciter, & iis vti, si tandem pecudum est felicitas: & regem identidem decet vrbes, atque homines felices facere, & iis vti.

Iamblichus epist. ad Dioscolium.

6 Verus princeps magna cum dignitate, & bonitate præest, magnifica bonorum munera subditis exhibet, victus abundantis, salutis omnimodæ, & vitæ tranquillitatis auctòr est. Hunc enim finè sibi proponit honestus princeps, vt subditos felices efficiat. Et tum sanè præ ceteris, qui ab eo gubernantur, in primis eximius est, cum illi beatam vitam agunt, qui se ipsos ei commiserunt; siquidem utilitas publica non separata est à priuata, quin potius in vniuersali singulis etiam vile continetur, & partes in toto seruantur. tum in animalibus, & ciuitatibus, tum aliis quoque naturis.

Cedrenus

Cedrenus in historiarum compendio.

Cùm Dionysius Siciliae tyrānus interrogasset Platonem, quodnam officium esset hominis reipublicam gubernantis; respondit Plato: Id in eo versari, vt ciues boni efficiantur. tum Dionysius: Iudicia rectè facere, cuiusnam tibi videretur esse officium? Plato, Hanc, inquit, ego exiguam ciuili sciētiae partem esse iudico. nam iudices mihi sartorum similes videntur, qui laceras veltes consuunt.

Cicero quadam in epistola.

Ac mihi quidem videtur, huc omnia esse referenda ab iis qui præsumunt aliis, vt iij, qui eorum in imperio sunt, sint quàm beatissimi.

Simplicius in Enchiridion Epicteti, cap. 47.

Illud tamen non ignorandum est, deteriores respublicas in vniuersum animis officere, & maximè diuinum illum fulgorem extinguere, atque honestiora studia despiciere, bonæque vitæ exempla delere.

Diuus Thomas lib. 1. de regimine princ. cap. 13. & 14.

Ad omnes reges pertinet gubernatio, & à gubernationis regimine regis nomen accipitur. Est autem gubernare, id quod gubernatur, conuenienter ad debitum finem perducere. itaque ad officium gubernatoris pertinet, non solum conseruare rem illæsam, sed etiam ad finem illam perducere. vltimus verò finis multitudinis congregatæ videtur esse viuere secundum virtutem, ad hoc enim homines congregantur, vt simul bene viuant; bona autem vita est secundum virtutem: igitur virtuosa vita est congregationis humanæ finis. sed quia homo viuendo secundum virtutem, ad vltiorem finem ordinatur, qui consistit in fruitione diuina; non est vltimus finis multitudinis

LI 4 con.

congregatae, viuere secundum virtutem: sed per virtuosam vitam peruenire ad fruitionem diuinam.

Vida lib. 2. de reip. dignitate.

11 - Etenim & quilibet ciuis, & ciuitas, & gens omnis, omnia referre debent ad virtutem, & ex ea agere, reipublicaeque moderatorem eniti par est, atque animum intendere, vt tam singuli ciues, quam tota ciuitas, aut gens vniuersa in laude viuant, atque in virtute, cuius bono omnes in tranquillitate positi, sint felices: felicitatem verò consequi non valet, qui non omnia è virtute agit, ex qua oritur honestum illud, ad quod tanquam ad signum omnis rerum publicarum rectio est dirigenda.

Orosius lib. 1. de regis institutione.

12 - Regere, est in rectum finem dirigere. rector igitur & moderator populi id agit atque molitur, vt populum in finem, in quem omnes intueri debent, modo & ordine atque disciplina perducatur. est autem finis, florens & beatus reipublicae status. beatus verò reipublicae status, malorum omnium depulsione, & bonorum complexione perficitur.

DE FELICITATE REIPUBLICAE. CAP. IIII.

1 - Ex bona regni gubernatione felicitas subiectorum nascitur, quo vel solo pater, quanti facienda sit optima constitutio reipublicae.

Isocrates in Areopagitico.

2 - Notum quidem omnibus est, felicitatem potissimum, & parare, & retinere eos, non qui maximis & pulcherrimis mœnibus muniti sunt, aut qui maximam hominum turbam in eodem loco congregatam habent;

habent; sed eos qui suam urbem optimè ac modestissimè gubernant. Nec enim alia ciuitatis anima est, quam forma & constitutio reipublicae, quae vim eandem habet, quam in corpore prudentia: siquidè hæc est, quae de rebus omnibus deliberet, & cum res secundas tueatur, tum calamitates effugiat. Ad hanc & leges, & oratores, & homines priuatos semet accommodare, & quasi eosdem fieri necesse est; & ea quosque fortuna vti, talè inque vitam agere, qualem reipublicam habuerint.

Finis verò rectae gubernationis felicitas est. Nam unicuique priuatim & publicè omnibus finis quidam est, quem conuicentes alia persequuntur, alia fugiunt. Is verò felicitas est, aut eius pars aliqua, vt Aristoteles tradit lib. 1. Rhetoric. c. 5.

Plato in Euthydemo ait,

Felicitatem ab omnibus summum bonum vocari, sed ea felicitas sub luna nulli conceditur, idcirco alia est felicitas reipublicae, atque hominum in hac vita, quam Aristoteles definit, vt sit fortuna secunda cum virtute, vel vita tuta & iucundissima. Huc igitur tendere debet recta respublica, vt ciues bonos efficiat, omnique virtute præditos, vt in pace ac tranquillitate degentes eam felicitatem assequantur, per quam ad summum illud bonum post hanc vitam peruenire queant.

Xenophon lib. de Vectigalibus.

Hæ dicuntur beatissimæ reipublicae, quae plurimum tempore in pace vixerint.

Plato lib. 4. de Republica.

An ex quercu fortè exilitimas aut silice reipublicas fieri potius, quam ciuium moribus, qui quocumque

fluxerint, cætera secum rapiunt: ex moribus proculdubio.

Aristoteles lib. 8. Polit. cap. 1.

7 Semper optimi quique mores melioris reipublicæ sunt causa.

Idem lib. 7. cap. 18.

8 Optima respublica est, per quam optimè ciuitas administratur: per hanc vetò administratur optimè, per quam licet fieri beatam.

Iustinus martyr lib. contra decreta Aristotelis.

9 Eorum quæ humano studio, Dei cultus causa, ab hominibus præclarè geruntur, nihil est Deo tam gratum & acceptum, quàm dare operam pro sua parte, vt homines meliores euadant.

Beatus Thomas lib. 1. de regim. princip. cap. 14. & 15.

10 Veram felicitatem, id est, fruitionem Dei, non consequuntur homines per virtutem humanam, sed virtute diuina. itaque perducere ad illum finem non est humani, sed diuini regiminis: quod non regibus, sed sacerdotibus est commissum. rex tamè per diuinam legem edoctus, curare debet, vt multitudo sibi subiecta, bonam vitã degat. ad quod tria requiruntur vnum, vt in pace multitudo viuat; alterum, vt vinculo pacis vnita, dirigatur ad bene agendum: tertium, vt necessariorum ad bene viuendum adsit copia sufficiens; atque ea quidem conseruare, ac promouere magna cura & sollicitudine debet.

FELICEM ESSE HISPANIA-

RVM REMP. CAP. V.

1 Ex quibus omnibus aliisque multis perspicuum est, Hispaniarum rempublicam esse felicissimã, quæ
& pace,

& pace, & religione Catholica, & iustitia fruimur, & magno consensu Catholicis regibus obtemperamus. Etenim optimo Philippo rege incolumi, religio vera, & mens omnibus vna est, eademque semper fuit sub Carolo Maximo, regibusque Catholicis Ferdinando & Isabella, atque eandem futuram speramus regnantibus eorum posteris, vt cum Claudio no etiam nunc verè dici possit:

Quid dignum memorare tuis Hispania terris
Vox humana valet,

Diues equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus secunda piis?

*Diuus Chrysostomus in posteriore epist. ad
Corinth. serm. 15.*

Christianismus nostram vitã multò magis, quàm 2
externæ leges, conseruat.

Eugubinus lib. 1. contra Vallam.

Nihil melius in terris homines habent ipsa pietate ac religione. est enim religio dux in cælum, in terris autem fons iustitiæ, qua bene beatæque res humanæ gubernantur, expelliturque iniquitas & iniustitia, quibus malis turbantur res humanæ. atque vbi plus est pietatis ac religionis, ibi plus est felicitatis ac beatitudinis.

Vera quidem religio est, primum atque adedò 4
antissimum felicitis reipublicæ vinculum. Hanc nos puram inuiolatamque seruamus, qua & boni effici possumus, & æternam consequi felicitatem. Cæteræ verò ferè omnes reipublicæ labefactantur, exagitantur ac dilacerantur hæresibus; quæ dirimunt ciuium conjunctionem, & nimium virtutibus obstant, atque homines deteriores efficiunt.

Plato

Plato lib. 6. de Legibus.

5 Extrema omnia subeunda sunt potius, quam in eâ gubernationem ciuitas commutanda, quæ peiores solet homines facere.

Idem lib. 5. de Rep.

6 Habemus ne vllum perniciosius ciuitati malum, quam quod eam diuidit, & ex vna plures facit: vel melius quicquam eo, quod ipsam vincit simul & vnâ efficit: non habemus.

7 Quemadmodum extra controuersiam est, nulla re magis quam efficaci religione atque eius vnitate, in vnus corporis societatem conciliari, contineri que liberos homines: sic omnibus perspicuum est, nihil eos magis separare & contra se diuidere, quam in religione dissidium, pugnam atque discordiâ, id namque dissidium omnium maximum & perniciosissimū est: Primum, quod rem præstantissimam, religionem scilicet, perturbet. deinde, quod societatem omnibus communem & arctissimâ sua contagione laxet, denique, quod Christianam amicitiam soluat, qua neque iucundior vlla, neque sanctior quidem esse potest. sed de his alibi plura.

Diuus August. contra Faustum lib. 21.

8 Ibi sunt regna felicia, vbi omnium pleno consensu regibus obeditur.

9 Precemur ergo regibus nostris vitam prolixam, regnum securum, domum tutam, exercitus fortes, senarum fidelem, populum probum, orbem quietum: quemadmodum olim Christiani pro imperatoribus precabantur, vt in Apologetico cap. 30. Tertullianus est auctor.

B O N A M

BONAM GVERNATIONEM
ESSE, QUÆ IUSTITIAM SERuat.

CAP. VI.

Plato Dionis propinquis epistola 7.

Si philolophia vnâ cum potentia verè in idē quasi domicilio concurrisset, per omnes & Græcos & Barbaros elucentem, veramque opinionem omnibus ostendisset, nec ciuitatem neque hominem vnquam fore felicem, nisi & cum prudentia & sub iustitia vixerit, siue per se illas possideat, siue sub sanctorum principum moribus ritè educetur atque erudiatur.

Idem in Minoë.

Iustitia ciuitates ac reliqua omnia seruat, iniustitia verò peruertit atque corrumpit.

Idem lib. 1. de Rep.

Iniustitia seditiones, inimicitias contentionesque parit; iustitia verò concordiam & amicitiam.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 7.

Maximè tum respublica, tum status optimatum dissoluuntur, si ius in ipsa republica violetur. Hoc autem solum confirmat, stabilemque facit statum reipublicæ, si pro dignitate paria tribuantur, & quæ sua sunt quisque retineat.

Orpheus in hymnis.

O iustissima dea mortalibus, beata, optabilis,
Quæ semper iustis hominibus propter æqualitatem
Veneranda, felicissima, gloriosa iustitia, [gaudes!
Quæ pura mente semper digna cuique tribuis,
Integra cōsciētia fruēs! semper autē cōminuis omnes,
Quotquot staterā tuam non subeunt, sed vltra ipsam
Lancibus duris inexplēbiliter declinant: studiosa
paci, vitæ stabilis æmula.

Semper

Semper enim quod nimium est odisti, gaudes autem æqualitate.

Per te sapientiæ totum virtus finem assequitur.

Idem in alio hymno.

6 Oculum iustitiæ conto, retro videntis, formosæ,
Quæ etiam Iouis principis sacro sedet folio,
Cælitus dispiciens vitam mortalium, in varias gentes diuisorum;

Iniustorum vltix, suppliciiis gaudens iustis:

Veritatis æqualitate concilians dissimilia.

Omnia enim quæ mala mente homines cõmittunt,

Temerè nimium concupiscentes malis consiliis,

Tu sola puniens, pœnam sumis ab iniustis,

Hostis improborũ, beneuola autẽ versaris cũ iustis.

Hesiodus in operibus.

7 Iustitia virgo est Ioue prognata,
Casta, & veneranda Diis cælicolis;
Et quãdo quis ipsam læserit, obliquè iniuriã inferes,
Statim apud Iouem patrem sedens,
Iniustam narrat hominum mentem, donec luat
Populus peccata regum: qui malè sentientes,
Aliò deflectunt iura, obliquè interpretantes.

Dionysius Halicarn. lib. 2.

8 Mœnibus absolutis perfectisque ad præsentẽ necessitatem ædibus, cùm iam tempus moneret de futura forma reipublicæ dispicere: Romulus de matris sui sententia sic pro concione locutus est: Urbem à se, cùm publicis tum priuatis ædificiis, vt recens conditam, satis ornatam esse; cogitandum tamẽ, non in hoc sitam summam reipublicæ, neque enim amplæ profundæque fossæ munimentum, certam incolumitatis spem polliceri inclusis intus securis ciuibus,

sed

sed ad hoc tantum cõducere, ne oppressis repentino incurfu, hostis cladẽ aliquam inferat: neque si intestinus tumultus inuadat rempublicam, priuatas cedes præbere tutum cuiquam refugium: hæc enim ad vitam quietè ac tranquillè degendam inuenta esse subsidia, quæ nihil vetent, quo minus vel vicinis insidiamur per iniuriam, vel ipsi expositi simus aliorum insidiis, nec vllam urbem huiusmodi ornamentis que sisse sibi diuturnam felicitatem & amplitudinem; aut contrã, sine his non petuisse amplam & fortunatam euadere. aliud esse quod seruet ciuitates, & è paruis magnas faciat; nimirum in externis bellis armorum potetiam, quæ fortitudine paretur & assiduo studio: in ciuilibus verò perturbationibus, concordiam ciuium, eam iustitia tẽperantiãque foueri in republica.

Plutarchus lib. de doctrina principum.

Veteres ita & loquuntur, & scribunt, & docent: 9 absque iustitia principatum rectè gerere ne Iouem quidem ipsum posse.

OPTIMAM OMNIUM GOVERNATIONEM ESSE LEGES
SERVARE. CAP. VII.

Maximum & præcipuum optimæ gubernationis præceptum est, vt nihil præter leges, omnia verò secundum leges fiãt. Lex enim est rectæ gubernationis constans ac perpetua regula. nam sicuti ex Platone iam antè retuli, Lex est vera gubernandi ratio, quæ per commoda media ad finem optimum dirigit res gubernatas.

Idem Plato lib. Ciuii.

Ea sola recta ciuilis gubernatio est, quæ id efficit, 2

vt

ut nemo quidquam præter leges committere audeat,
& qui audeat, morte afficiatur.

Idem lib. 4. de Legibus.

3 Non ideo magistratus alicui dabimus, quòd dives sit, aut huiusmodi quidquam possideat, ut robur, magnitudinem, generis claritatem; sed ei qui positis legibus parebit maximè, & in hac re cæteris in ciuitate præstabit.

Et paulò post.

4 Magistratus autem legum ministros appellauimus, non quia innouare vocabula cupiam, sed quia putem salutem hinc maximè ciuitati fore, & contrarium ex contratio. Interitum enim paratum illi ciuitati video, in qua non lex magistratibus, sed legi magistratus præfunt: salutem verò illi, ubi lex seruentibus magistratibus dominatur. Cuncta certè bona, quæ dii ciuitatibus præbent, huic affore cerno.

Idem Plato diuinus epistola 7.

5 Lex regina esse debet, ac dominari, non aliis tantum ciuitatibus, sed ipsis etiam regibus.

Plutarchus lib. de vitiosa verecundia.

6 Themistocles Simonidi petenti quiddam iniustum; Nec tu, inquit, bonus poëta fueris, si præter numerum canas; nec ego bonus princeps, si præter leges iudicem.

Idem libello, Num seni resp. gubernanda sit.

7 Respublica quæ à ciuibus probitate claris, secundum legum præcepta gubernatur, non honestum modò viti sepulchrum est, sed & gloria quædam antè actæ vitæ quæ aduersus mortem collocari solet. hoc verò est, Simonide auctore, quod postremum sub terras penetrat.

Iustitiam

Justinianus de prætoribus Lycæonia const. 25.

Neminem improbè agentium reueretur, & si diues, & si maiore aliqua dignitate præditus sit. Propterea enim de numero præstantiorum electum ipsum mittimus, ut pro sua potentia necesse nõ habeat cuiquam alij attendere, quàm nobis, & legibus, secundum quas & ipse iudicet, & subditos vitam instituire procuret. Et siue sordidis eum manibus uti, siue ad effectum aliquè respicere, siue leges nostras transgredi deprehenderit; nos vigore legis ad facti sui rationem reddendam eum sistemus.

9 Omnia quidem, quæ ad rectam reipublicæ gubernationem attinent, legibus iustissimis definita sunt. Proinde qui bene rempublicam administrare voluerit, is leges diuinas & humanas omni modo seruare debet; quas si sequatur duces, nunquam aberrabit.

Pontanus lib. de Obedientia.

10 Eorum qui moderandis populis, prouinciisque regendis præfecti sunt, vna omnium hæc est ratio, legibus ut pateant, & publicè, priuatimque iustitiæ seruiant.

Aristoteles lib. 1. Rhetoric. cap. 7.

11 Qui legibus semper obtemperarunt, ij optimi esse videntur, & in optimatum ciuitate gerendarum rerum principatu potiuntur.

Idem lib. 5. Ethic. cap. 1.

12 Iniustus homo est, qui à legibus exorbitat, & legum transgressio iniustitiam omnem continet.

Laurentius Grimalius lib. 2. de optimo senatore.

13 Si leges à vera ratione manant, necesse est, ut virtutem solam respiciant, nihilque ab ea differant. sunt enim hæc virtutis, honestatis, rationis, naturæ, & vitæ

M m honestæ

honestæ quædam quasi regulæ; à quibus discedere nefas est; ealque contemnere non aliud sit, quàm naturam, Deum, virtutem, rationem, spernere ac despiciere.

- 14 Non aliunde magis florent respUBLICÆ, quàm si legum auctoritas vigeat.

Vida lib. 2. de reip. dignitate.

- 15 Legum sanè præscripto qui iudicant, qui que rempublicam temperant, nunquam deflectere possunt à recta ratione, quæ est ipsarum legum non modò conservatrix, verùm etiam eas generasse quodammodo videri potest; & earum est, vt ita dicam, quasi anima, atque medulla.

Iustinianus edicto 3.

- 16 Idcirco illuc nostras leges transmissimus, vt in eis oculos conuertentes, ad præscriptum illarum temp. gubernarent.

NATVRALVM RATIONEM
MAGISTRATVS NON SVFFICERE SOLAM
AD GVBERNATIONEM RECTAM.
CAP. VIII.

- 1 Quavis lex nihil aliud esse videatur, quàm recta ratio, & mensura quædam; nemo tamen vsque adeo ratione perspicaci præditus est, vt arbitrio suo spectis legibus, rectè respUBLICÆ gubernare queat. Est enim ratio nostra tum peccatis, tum affectibus admodum extenuata, atque obscurata.

Diuus Ambrosius lib. 1. de vocatione gentium cap. 2.

- 2 Humana natura in primi hominis præuaricatione vitata, etiam inter beneficia, inter præcepta, & auxilia Dei, semper in deteriorem est procliuor voluntatem;

tem; cui committi non est aliud, quàm dimitti. Hæc itaque voluntas vaga, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum; in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quàm virtutum avidior, famæ quàm conscientiæ diligentior, & per omnè sui experientiam miserior, fruendo his, quæ concupiuerit, quàm carendo, nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem.

Ludovicus Viues lib. 2. de anima.

Lux mentis nulli contingit pura, obumbrante corpore, nec aliter quàm mutatur luminis qualitas, & vis ex obiecta mole, vt alia plus aut minus admittat claritatis: ita illuminatio mentis ex multarum rerum in vita hac quasi obiectu, admirabiliter redditur varia, vt diuersissimè homines tum colligant, tum iudicent, & statuant, siue de bono, siue de vero. sunt autè hæc res corporis constitutio, ætas, valetudo, robur, assuefactio, integritas, affectio præsens ex qualitatibus temporariis, quas gignunt alimenta, loci, & temporis, tum actiones, atque externa: tamen hæc variant, prout cuiusque est animus, & mores. in animo affectiones omnes: in mente tarditas, celeritas, acumen, hebetudo, doctrina, secta inueterata, aut certè persuasio, quæ prior adhæsit: mores consuetudo, auctoritas alterius. vnde tanta in sentiendo, & statuendo, & tam crebra varietas atque aduersitas, nō solùm hominibus inter se, verùm etiam cuique secum: vt sequēs temporis punctum prioris sententiam decretam omnino & fixam damnet penitus, ac tollat.

Diuus Aug. in Ioan. tractatu 99.

Mutabilis quippe est mens nostra, quæ percipit

discēdo, quod nesciebat, & amittit dediscēdo, quod sciebat: & veri similitudine fallitur, vt pro vero approbet falsum, & obscuritate sua quasi quibusdam tenebris impeditur, ne perueniat ad verum.

Chrysof. in Psalm. 39.

5 Peccatum tanquam caligo, & nubes tenebrarum incumbit mentis oculis.

Trismegistus in Asclepio.

6 Non omnium hominum vniformis est sensus, nō omnes intelligentiam veram adepti sunt, sed imaginem temerario impetu, nulla vera ratione inspecta, sequentes decipiuntur: quæ in mentibus malitiam parit, & transformat optimum animal in naturam feræ, morésque bestiarum.

Plato in Timæo.

7 Animam Deus mortali corpore clausit, quæ grauius necessariisque perturbationibus afficitur: quarum prima est voluptas, esca maxima mali: deinde dolor, fuga, impedimentumque bonorum: audacia præterea, metusque consultores amentes: accedit & implacabilis iracundia, spes etiam blanda, conciliatrixque, cum irrationali sensu, amoréque omnium inuasere.

8 Ergo non rectum est, hominem, quem affectus animi sollicitant, & non potiùs legem in republica dominari. Nam quod omnino caret affectibus, potius est quàm cui natura sunt insiti: quod malum vt legibus abest, sic humanis omnibus animis adesse necesse est. Itaque qui legem volunt ciuitati dominari, ij videntur Deum & leges dominari velle: qui verò hominem dominari volunt, ij addūt & feram, siquidem huiusmodi quidē est cupiditas, & excandescētia
magi-

magistratus ipsos, & viros quamlibet etiam bonos deprauat: atqui lex mens est appetitione vacans. *Hæc ex Aristotele lib. 3. Polit. cap. 78. 12.*

Cicero lib. 2. de Oratore.

Plura iudicant homines aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritate, aut præscripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicij formula, aut legibus: atque id quidem iniquissimum est.

Plato in lib. de Regno.

Si legibus præficeremus virum quēdam, qui spre- 10
tis legibus alia quædam præter hæc quæ sunt instituta, imperitus rerum agere tentet; nōne hoc magnū esset malum? Etenim quisquis præter leges illas, quæ ex longo rerum vsu latæ sunt, committere audet, is scelus graue committit, & officia vitæ confundit atque peruertit. quapropter legibus constitutis, altera (quemadmodū dicitur) nauigatio est, vt nemo quidquam vnquam præter illas facere permittatur, siue singuli, siue populus hoc conetur.

Thucydides lib. 3. in oratione Cleonis.

Planè intelligimus, vtiliorem esse imperitiam cum 11
modestia, quàm peritiam cum immodestia: ac tardioris ingenij homines administrare commodiùs plerunque ciuitates, quàm solertioris. Nam isti tum legibus sapientiores videri, tum semper excellere dicēdo in consultatione reipublicæ volunt: vnde in multis calamitates ciuitates incidunt. Illi suæ peritię diffidentes, non abnuunt se legibus esse imperitiores, & cum inuvalidiores sint, quàm vt benedictis orationem refellant, potius ex æquo sunt iudices, quàm

concertatores: ideoque eis plerunque feliciter cedit.
Vula lib. 2. de Reip. dignitate.

- 12 Leges in ciuitate dominari oportet, non magistratus, quos potius par est ipsis legibus, & maiorum sapientissimorum hominum institutis apprimè obedire, ab illisque ne transuersum quidem vnguem discedere: miseram nimirum congregationem illam, vbi leges parum possunt, sed ipse potius magistratibus seruiant. felicem contra illam ac beatam ciuitatem, vbi leges ipsæ magistratibus dominantur, & omnia possunt.

Et post multa.

- 13 Quid aliud est enim legibus parere, quàm philosophiæ præceptis obsequi & obtemperare? arque vt natura flagitat, viuere, ac virtutibus omnibus non modò vitam suam ornare, verùm etiam se eis addicere?
- 14 Qui experimentis addiscunt administrare rempublicam, licet ingenio felicissimo nati sint, tamen & serò, & magno reip. malo, vix tandem boni magistratus euadent; quia propter negotiorum varietatem & rerum iniquitatem, experimenta sine iuris prudentia cæca sunt & fallacissima.
- 15 Ad summam, hoc scire oportet, sapientium omnium consensu, nihil aliud esse rectam reipublicæ gubernationem, quàm prudentem ac diligentem legum executionem. nam ea quæ contra leges, aut non secundùm leges est, aberratio, destructio, tyrannis, aut quiduis potius, quàm recta gubernatio, est dicenda.

QVIS

QVIS OPTIME GVBERNARE
 QVEAT. CAP. IX.

Plato diuinus lib. 5. de Rep.

Nisi Philosophi ciuitatibus dominentur, vel hi qui nunc reges potentisque dicuntur, legitimè sufficienterque philosophentur, in idemque ciuilem potentia & philosophia concurrant, non erit ciuitati vel hominum generi requies vlla malorum, neque prius recta respublica crietur pro viribus, & lumen solis aspiciet. *Et mox addit*, Nullam aliam gubernationem priuatim vel publicè futuram esse felicem.

Idem Dionis propinquis epistola 7.

Ego dicere adductus sum, non prius desinere humanum genus in malis versari, quàm aut homines rectè verèque philosophantes, rerum publicarum gubernationem adepti fuerint; aut hi, qui gubernant, diuina quadam sorte verè philosophentur.

Cicero ad Quintum fratrem.

Plato tum denique fore beatas respublicas putauit, si aut docti aut sapientes homines eas regere cœpissent; aut qui regerent, omnes suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.

Prudentius lib. 1. contra Symmachum.

Nimum pulchrè quidam doctissimus, esset
 Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
 Vel reges saperent, vel regnarent sapientes.

Beatus August. lib. 5. de ciuitate Dei, cap. 19.

Illi autem qui vera pietate præditi, bene viuunt, si scientiam regendi populos cōsecrati sunt, nihil felicius rebus humanis, quàm si Deo miserante habeant potestatem.

M m 4

Plutarchus

Plutarchus in Platone.

6 Quàm salubre & illud est, beatissimas fore respublicas, si qui earum gubernationi præessent, aut sapientia præditi essent, aut sapientiæ studio tenerentur.

Phocylides in Sententiis.

7 Præstantior est robusto vir sapientia præditus: Agros, vrbes, & naues sapientia gubernat.

8 Hæc autem philosophia non alia procul dubio, quàm civilis scientia est: atque aded philosophi illi, legum iurisque periti sunt. Nec enim admodum refert, an magistratus naturalium rerum peritiam habeat, Academicus sit vel Stoicus; sed in primis opus est, ut leges iurisque noscat. verus quidem iuris prudentiæ scopus & finis est reipublicæ gubernatio. quòd si verum est (sicuti est) rectam gubernationem esse prudentem ac diligentem legum executionem, quomodo gubernabit rectè, qui leges & ius ignorat?

Lactantius lib. 3. cap. 16.

9 Rectè Tullius civiles viros, qui rempublicam gubernent, qui vrbes aut novas constituent, aut constitutas æquitate tueantur; qui salutem libertatèque civium vel bonis legibus, vel salubribus cõsiliis, vel iudiciis grauibus conseruent, philosophiæ doctoribus præfert. bonos enim facere oportet potius, quàm inclusos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipsi quidem faciunt qui loquuntur.

10 Omne quidem ius mutum & sine effectu est, nisi sint iuris periti, quorum scientia & consilio ius suum unicuique tribuatur. & quemadmodum respublica sine iure ac legibus neque constitui neque sustineri valet, ita quidè neq; administrari, neque gubernari sine iuris legumque peritis villo modo rectè poterit.

Iuris-

Iurisconsultus non est legum recitator dumtaxat, ¹¹ (ut quidam rectè dixit) sed interpret præterea & explanator, ut sine illo præclara illa legislatoris præcepta & inuenta, legesque ipsæ mutæ penè sint nulliusque usus. Nam cum legislator quamuis diuino ingenio vir, singulas res, quæ in hominũ controuersiam calare essent, legibus & præceptis complecti non potuit; quippe quæ infinitæ essent, sed capita tantum quædam posuit, ad quæ iudicia dirigantur: efficitur, ut ius quod in pauculis illis legum capitibus latet, hominibus sit obscurum, neque facilè ad innumeras controuersiarum species, quæ quotidie exoriuntur, accommodari à quouis homine possit. quæ res iuris consultos creauit, qui cum omnia quæ à legumlatoribus tradita sint, diligenter cognouerint atque perceperint, eaque diuturna commentatione animo secum agitauerint, mentemque bene penitus in eam cogitationem iniecerint atque defixerint; eam tandè facultatem assequuntur, ut quid in quaque re ius sit, liquidò respondeant, non quòd ius illud in legibus sit per scriptum, sed quòd ex legislatoris mente illud eliciant; idemque statuturus fuerit legislator, si ea cautà ad illum fuisset delata.

Xenophon lib. 4. de factis & dictis Socratis, idem esse ait,

Iustum virum, & legibus obtemperantem. ¹² *Et post* *alia inquit:* Quem ciuitas digniorem putet magis, quàm qui legibus pareat: tum à quo magis parentes, propinqui, familiares, noti, ciues, aduenæ assequentur, quæ officij sunt? cui socij magis credant aut principatum, aut ciuitatis custodiam, quàm legibus parenti? *Et paulò post:* Qui legibus obtemperant, num hi iusta faciunt? Maximè. Quicumque igitur ea fecerit, quæ

M m 5 leges

leges præceperint, iusta, & quæ decet, faciet: quid nū Arbitraris ne igitur, quosdam obtemperare posse legibus, ignaros eorū, quæ leges præcipiant? Minimè.

Iustinianus in præmio Digestorum.

- 13 Incipite igitur legum doctrinam disciplinis Dei gubernatione tradere, & viam aperire, quam nos inuenimus; quatenus fiant optimi iustitiæ & reip. ministri.

Idem in præmio institutionum.

- 14 Alacri studio has leges nostras accipite, & vosmet ipsos sic eruditos ostendite, ut spes vos pulcherrima foueat, toto legitimo opere perfecto posse etiā nostram rempublicam in partibus eius vobis creditam gubernari.

D E E A D E M R E.

C A P. X.

Ex lib. Esther cap. 1.

- 1 Rex Assuerus interrogabat sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac iura maiorum.

Spartianus in Hadriano.

- 2 Cū iudicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites, sed iuris consultos, & præcipuè Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliōsque; quos tamen senatus omnis probasset.

Capitolinus in Antonino Philosopho.

- 3 Habuit secum præfectos, quorum & auctoritate, & periculo semper iura dictauit. Vsus autem est Scæuola præcipuè iuris perito.

Lampridius in Alexandro Seuero.

- 4 Vlpianum iuris consultum pro tutore habuit, primum

mum repugnante matre, deinde gratias agente: atque ideo summus imperator fuit, quod eius cōsiliū præcipuè rempublicam rexit.

Idem in eodem.

Negotia & causas prius à scriniorum principibus, & doctissimis iuris peritis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit, tractari, ordinari que, atque ita referri ad se præcepit. Leges de iure populi, & fisci moderatas, & infinitas lauxit: neque vllam constitutionem sacrauit sine viginti iuris peritis, & doctissimis, & sapientissimis viris. Ibat per sententias singulorum, ac scribebatur quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum, cogitandumque priusquam dicerent; ne incogitari dicere cogereantur de rebus ingentibus.

Apud Augustum Cæsare Trebatius; apud Vespasianum Cassius; apud Traianum Neratius; apud Hadrianum Iulianus; apud Antoniū Scæuola; apud Septimiū Papinianus; Apud Alexandrū Vlpianus, aliique iuris consulti in magna fuerunt auctoritate; atque illorum consiliis optimè rempublicam administrarunt.

Sed quid exemplis externis opus est? nunquam quieuit Hispania, nūquam legibus & magistratibus, ut oportuit, obtemperauit, nunquam barbaras consuetudines exiit, donec iuris peritorum consiliis gubernata est.

Quod si lex est (sicuti est) recta gubernandi ratio, quis rectè rempublicam administrabit, nisi iuris legumque peritus?

Xenophon lib. 1. de factis & dictis Socratis.

Omnes quæ sciunt, facile, optimè, suauissimè, citoque operantur. & lib. 3. Si cupis honoribus, atque admira-

admiratione in ciuitate affici, conare quàm maximè potes, vt scias quæcunque agere velis: si enim in his præstantior aliis effectus, incipias rempublicam regere, non mirarer, si valde facilè quæcunque cupis, obtineas. Sciunt autem licitum ab illicito discernere, æquum ab iniquo separare, ac bonos ciues efficere, qui leges, & ius probè norunt.

Claudius lib. 1. de offic. iudicis cap. 1.

10 Iudex est vir bonus, iuris dicendi, & æquitatis statuendæ peritus, ad id muneris publica auctoritate vocatus. itaque iudex vir bonus esse debet, ac iuris, & æqui peritus: non autem, vt ille, qui se bonum iudicè fore putabat, quia habebat librum Alberti Magni, de proprietatibus rerum, lingua vulgari impressum, cū neque leges, neque iura nosset.

Ezechielis cap. 27.

11 Sapientes tui Tyre, facti sunt gubernatores tui. & ibidem sanctus Hieronymus addit: Ad sapiètes enim propriè pertinet gubernatio.

QVO PACTO QUI IUS
IGNORAT, BENE GVERNARE
POSSIT. CAP. II.

1 Euenire nonnunquam solet, vt regna, prouincias, ciuitates magnas, iuris periti soli administrare non queant: quãobrem ducibus & præsidibus opus est, qui arma magis, quàm leges sciant. Hi verò vt rectè rempublicam regant, iuris peritorum consilio negotia ciuilia tractare debent.

Hesiodus lib. 1.

2 Optimus ille quidè est, ex sese qui omnia nouit, Prospiciens rerum fines meliora secutus.

Is

Is rursus bonus est, qui parat recta monenti. At qui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures Vt bona percipiat; demens & inutilis ille est.

Laërtius lib. 7.

Aiunt Zenonem Hesiodi versus mutare solitū in hanc sententiam:

Optimus ille quidem, qui parat recta docenti: Nec malus ille, potest qui per se noscere cuncta. Præstantiorem enim eū esse, qui bene quod dicitur, audire possit, atque eo vti; quàm qui per se ipsum omnia assequitur: huic enim solum adesse intelligentiam; qui verò obtèperet, inesse præterea & affectū.

Liuius lib. 22.

Sæpe ego audiui, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in re sit: secundum eum, qui bene monenti obediat: qui nec ipse consulere, nec alteri parere sciat, eum extremi ingenij esse.

Alciatus oratione de Legibus.

Cū eos cæterorum primores esse constet, qui sibi ipsis quid in re sit sciant consulere: sicut secundos, qui rectè admonentibus obediant: postremos verò & omnium deterrimos, qui nec ipsi quid agant, norint, nec bene suadentibus parere in animum inducere possunt. Meritò iuris consulti cæteros omnes excellent, qui non solum sibi sciunt prospicere, sed etiam sui muneris id præcipuū habent, vt alios quoque tueantur, bonoque consilio confirmant. Hi respublicas ferè omnes tractant, nihil in domesticis, extraneisque negotiis sine his fieri tuto potest, horum vigilantia ciuilis concordia feruatur. &c.

Ferus in Ecclesiastem c. 7.

Mundus sapientem iudicat eum, qui aliis consulere

lere

lere potest: è contrario autem stultum iudicat eum, qui consulere aliis nescit. Salomon autem sapientem iudicat, non qui bene aliis consulit, sed qui bonis consiliis obtemperat, & contrà. Iuxta æstimationem igitur Salomonis, pauci sunt sapientes, quia pauci sunt qui obtemperant sanis consiliis.

Cicero pro Cluentio.

- 7 Sapientissimum dicunt esse eum, cui quod opus sit ipsi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius bene inuentis obtemperet: in stultitia contrà est, minus enim stultus est is, cui nihil in mentem venit, quàm ille, qui quod stultè alteri venit in mentem, comprobatur.

Beda in Collectaneis.

- 8 Tres infelices in lege leguntur, qui scit, & non docet; qui docet, & nō facit; qui nescit, & nō interrogat.

Et quidam cecinit.

- 9 Infelix, cuius nulli sapientia prodest:
Infelix, qui recta docet, cùm viuat iniquè:
Infelix, qui pauca sapit, spernitque doceri.

Iustinianus de Iudiciis, constit. 82.

- 10 Nostris magistratibus omnino ad manum sunt & assessores, qui legum placita explicet, & illorum suppleant occupationes; quandoquidem multis vndiq; curis impliciti, meritò iudicarias partes assessorum suorum suppleant presentia.

Idem Iustinianus de moderatore Arabia, constit. 102.

- 11 Nullum habeat cum paganis causis commercium, quandoquidem magnum in medium intervallum est, inter civilem & militarem administrationem.

Lampridius in Alexandro Severo.

- 12 Assessoribus salaria constituit, quamvis sæpè dixerit,

rit, eos esse promovendos, qui per se rempublicam gerere possent, non per assessores: addens, militares habere suas administrationes, habere literatos; & ideo vnumquemque id agere debere quod nosset.

Ammianus Marcellinus lib. 23.

Apud Persas ad iudicandum vsu rerum spectari destinantur, & integri, parum alienis consiliis indigentes. vnde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos, iurisque publici peritissimos post indoctorum iudicium collocat terga.

Ergo provinciarum præfides & urbium præfecti, assessorum suorum consilio civilia omnia gerere debent: nec enim iuris ignorantia excusari poterunt, si suo ipsorum arbitrio iniquè aliquid aut perperam egerint; quia satis est (vt Iulius Paulus inquit) copiam eorum, quos consulerent, habuisse. Labeo quoque ait: Iuris ignorantiam ei non prodesse, qui iuris consulti copiam habuit.

DE ELECTIONE MAGISTRATVVM. CAP. XII.

Primum ac summum principis studiū esse oportet, vt quàm optimè de republica mereatur. Nec alia re melius mereri potest, quàm si curet, vt magistratus viris integerrimis, ac publici commodi studiosissimis committantur: hi enim rectissimè rempublicam gubernabunt.

Laurentius Grimalius lib. de optimo Senatore.

Inter omnia quæ rempublicam eiusq; felicitatem conseruant, nihil est vti ius, nihil præstantius, quàm viros ad magistratus gerendos eligere summa prudentia, sapientia & virtute præditos; qui que ad honores

nones obtinendos non potentia, non vi, non ambitione, non largitionibus; sed lege, virtute, modestia, dignitate, sibi parent aditum.

Isidorus lib. 3. cap. 54.

3 Ad delictum pertinet principum, qui prauos iudices contra voluntatem Dei populis præficiunt. nam ut populi delictum est, quando principes mali sunt; sic principis est peccatum, quando iudices iniqui existunt.

Diuus Gregorius in lib. 1. Regum, cap. 11.

4 Peccata reliqua singularis pœnæ meritum obtinent; qui verò carnalem præpositum constituit, tot incurrit pœnarum merita; quot ille fidelibus subditis præbet prauitatis exempla.

Agapetus ad Iustinianum.

5 Terrarum orbis à Deo cum concreditum tibi sit regnum, caue ne aliquo vtaris ex prauis ad rerum administrationem: quæ enim illi perperam fecerint, eorum rationem reddet Deo, qui peccandi facultatem ipsis indulserit. magna igitur & diligenti cum per-
scrutatione magistratuum promotiones fieri oportet.

Nazianzenus epist. 128.

6 Eleuatus es magistratibus non modicis, imò non paucos ipse eleuasti: si quod magis verum est, dicere oportet, peruenisti ad summam potestatem, non fortunæ donum, sed virtutis præmium; hanc suscipiens, quo & ipsa fiat honoratior, & rex laudetur ob factum de te iudicium.

Ex Lampridio in Alexandro.

7 Alexander Seuerus optimus imperator, proconsules, præsides, & cæteros magistratus, nunquam fecit ad beneficium, sed ad iudicium vel suum vel senatus. Et vbi aliquos voluit prouinciis iudices dare, aut præfectos

fectos facere, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis aduersus eos quid haberet criminis, probaret manifestis rebus. Dicebaturque graue esse, cum id Christiani & Iudei facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt; non idem fieri in prouinciarum rectoribus, quibus fortunæ hominum committerentur, & capita.

Plinius in Panegyrico ad Traianum.

Salua est omnibus vita, & dignitas vitæ: nec iam & consideratus, ac sapiens, qui ætatem in tenebris agit. Amas constantiam ciuium, rectosque ac viuidos animos, non ut alij, contundis ac deprimis, sed foues, & attollis. His honores, his sacerdotia, his prouincias offers: hi amicitia tua, hi iudicio florent: acuuntur isti integritatis, & industriæ pretio, similes & dissimiles alliciuntur: nam præmia bonorum malorumque, bonos ac malos faciunt. Pauci adèò ingenio valent, ut non turpe honestumque, prout bene aut secus cecidit, expetant fugiantve. cæteri vbi laboris, inertia; vigilantia, somno; frugalitatis, luxuria merces datur; eadem ista, quibus alios artibus affectos vident, consecretantur: qualisque sunt illi, tales esse, & videri volunt; & dum volunt, fiunt.

Dion Cassius in vita Nerua.

Traianus adoptatus à Nerua, deinde imperator factus; atque in hoc bonitas Neruæ, & studium in rempublicam maximè apparuit. Nulla intercedebat cum adoptato cognatio; immo verò propinquos & cognatos quàm plurimos habebat: publicæ tamen vilitati, atque saluti, societate sanguinis postposuit.

Zonaras in Macrini imperio.

Macrinus non per omnia rectè gessit imperium: nam 10

N n magi-

magistratus indignis largiebatur : quæ maximè pars est imperatorij muneris.

- 11 Et vt quidam rectè inquit, præcipua reipublicæ felicitas in hoc sita est, vt purè creentur magistratus, & purè mandentur officia. Purè autem creabuntur, si princeps eos asciscat, non qui plurimò emant, non qui improbissimè ambiant, non qui cognatione cōiunctiores, non qui ad illius mores, aut affectus, cupiditatésque sint accommodi; sed qui moribus sint integerrimis, qui virtute ambiant, non fauitoribus, & qui ad functionem mandati officij aptissimi sint: certè ea respublica felicissimè gubernatur, in qua maximo consilio magistratus eliguntur.

Diuus Gregorius in lib. 1. Regum, cap. 2.

- 12 Nonnulli sunt, qui ipsos spirituales honores carnaliter exhibēt, & quod meritis debetur, propinquitati tribuunt, honorantes consanguineos magis quàm Deum. *Et paulò post*: Carnales prælati spiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideo tribuunt, vt ecclesiasticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumuletur abundantia vbertatis; nec curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt; sed tantum, vt temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur. *Et paulo procul*: Rectum itaque promotionis ordinem pervertere comprobantur, qui propinquos prouehunt non ad intentionem ministerij, sed ad propositum dignitatis. Hæc ille, dicturus eadè de his, qui præferunt dignioribus amicos, familiares, & alios quoslibet.

Sanctus Hieronymus epistola 128.

- 13 Multa nos facere cogit affectus, & dum propinquitata-

quitatè respicimus corporum, & corporis, & animæ offendimus creatorem.

Cassiodorus lib. 11. variarum

Dignus est nostro iudicio promoueri, qui à multis meruit approbari: vni enim acceptum fuisse, interdum gratia est; multis placuisse, iudicium.

Ex concilio Tridentino sessione 25. cap. 1.

Omnes & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcūque ius à sede Apostolica habēt, sacrosancta Synodus hortatur, & monet, vt in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quàm si bonos pastores, & ecclesiæ gubernandæ idoneos promouere studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores & ecclesiæ magis vtilis ipsi iudicauerint; non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorū exigētibus meritis præfici diligēter curauerint, & quos vita, ætate, doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ iuxta sacros canones, & Tridentinæ huius Synodi decreta requiruntur.

Diuus Chrysoft. lib. 3. de sacerdotio.

Vnde nam quæso existimas, tam multas in ecclesiis turbas nasci? equidem non aliunde opinor, quàm ex episcoporum, antistitumque electionibus, casu potius, ac temerè, quàm diligenter, atq; accuratè factis.

Leo Magnus epistola 90.

Ad omnium fidelium decus atque vtilitatem re- dundat, cum talis habetur antistes, cuius plurimi & adiuentur præsidio, & incitentur exemplo.

In vita eiusdem.

Peccatorum veniam ieiunando & prædicando pe-

tens Leo, hoc responsum à sancto Petro tulit: Deprecatus sum pro te Dominum; remisit ille tibi peccata, ut solum hoc expendendum, & à te postulandum superfit, quibus aduersus Apostolicam legem temerè manus imposueris.

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

- 19 Eligendi sunt ad iudicandum disciplina sapientes, auctoritate graues, moribus incorrupti, virtute constantes: qui facillimè scientia & animi magnitudine, atque pietate tantam personam tueantur atque sustineant. Hi autem sunt opibus augendi & honoribus illustrandi, & pro virtutis merito præmiis cumulandi, ne vnquã propter inopiam vel humilitatem contemni possint.

Q V A N T I R E F E R A T P R O B O S
E S S E M A G I S T R A T V S .

C A P . X I I I .

Ecclesiasticus cap. 10.

- 1 Secundum iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.

Diuus Gregorius epistola 156. lib. 5.

- 2 Præpositorum bonitas subiectorum salubris est regula.

Idem diuus epist. 60. lib. 9.

- 3 Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus quibus præpositi fuerint, dona suæ pietatis impendat.

Plato lib. 4. de Rep.

- 4 Magistratus, si custodes legum non sint, omnem ciuitatem simul perdunt: contra verò, si verè custodes

des sunt, beatam vel soli ut eam efficiant, opportunitatem habent.

Xenophon lib. 8. de pedia Cyri.

Vbi non essent hi quales oportet ex quibus maximæ ac plurimæ res forent gerendæ, futurum censebat Cyrus, ut res suæ malè haberet: si hi essent quales oporteret, putabat omnia pulchra fore.

Idem in eodem.

Quales fuerint præfecti, tales etiam qui sub ipsis sunt, frequentius fiunt.

Idem lib. de Vectigalibus.

Ego semper illud verum esse putavi, quales essent gubernatores, tales respublicas existere solere.

Isocrates ad Nicoclem.

Non ignores totius ciuitatis mores ad exemplum magistratuum confirmari.

Idem in Panathenico.

Ego verò formas rerumpublicarum tres dumtaxat esse dico; oligarchiam, democratiam, monarchiam: qui igitur his vtuntur, si magistratus, & cætera munia ciuium prudentissimis, & optimè ac iustissimè curaturis omnia mandent, eos in quauis republica, cum inter se, tum erga alios felici statu futuros. Qui verò improbissimos & audacissimos deligunt, qui cum reipublicæ utilitatem negligant, tum ad explendam suam auaritiam, quiduis parati sint & facere & perpeti, & ciuium eandem, quæ magistratuum est, improbitatè esse velint: hos contra, & sibi metipsis & ciuibus pessimè consulere iudico.

Idem ad Mitylenaerum principes epist. 8.

Demiror equidem eas ciuitates, quæ maiora præmia victoribus in ludis gymnics decernunt, quàm

his qui ingenij solertia & industria sua vitæ aliquid utile repererunt: neque considerant, pedum celeritatem & robur morte vnâ cum corpore interire: artiû autem eam naturam esse, vt perpetuò durent, sui que studiosos semper iuuent. Hæc prudentibus consideranda sunt, vt maximi faciant bonos & iustos rerum publicarum gubernatores.

Cedrenus in compendio Historiarum.

- 11 Quoties in prouinciis præfecti fuere moderati atque iusti, subditi quoque tranquillam egerunt vitam. cum verò iniusti & auari præfecti essent, ij & subditos vexabant, & pacem labefactabant.

Biesius lib. 4. de Rep.

- 12 Optimi magistratus felicem ciuitatem reddunt. Certè legimus eas respublicas semper maximè diuissimèque floruisse, quæ magistratibus sapientissimis & optimis utebantur. Quemadmodum enim in grauissimis tempestatibus, nisi peritissimus nauclerus sit, necessarium est summis periculis nauem exponi; sic in tantis rerum humanarum fluctibus, magistratus nisi variis experimentis, & eruditione cum probitate coniuncta, rerum momenta didicerint, nequam incolumem seruare possunt rempublicam.

Leo Magnus epistola 87.

- 13 Integritas præsentium salus est subditorum; & vbi est incolumitas obedientiæ, ibi est sana forma doctrinæ.

Orosius lib. 2. de Regis institutione.

- 14 Nihil est omnibus rebus publicis magis infestum, quàm regentis amentia. nunquam ne legistis apud poëtas, quantam inflammationem terris attulerit Phaëthō, Solis filius, cum à patre impetrauit, vt vice illius

illius vno saltem die lucem terris diffunderet? non igitur solùm, vt perhibent, omnes terras, & flumina, & fontes flammis exussit, sed ipse tandem fulminis incendio conflagrauit. non autem existimetis, fuisse hanc fabulam ab hominibus summo ingenio & eruditione præditis temerè confictam: hoc enim significare voluerunt, rerum omnium interitum fore, cum potestas regendi atque moderandi, immoderatis hominibus, & huius tam præclaræ artis ignaris cōcessa fuerit.

REGEM ESSE GUBERNATIONIS REGVLAM.

CAP. XIII.

Cum sit princeps lex viua & videns, sitque subiectis exemplum & norma; dubitabile non est, quin bona vel mala gubernatio reipublicæ ex regis ipsius moribus & vita pendeat.

Plato lib. 4. de Legibus.

Non multo labore, nec longo tempore principi opus est ciuitatis mores mutare volenti. Nam siue ad virtutis officia, siue contra, ciues perducere velit, ipse primus viam, per quam sequantur ceteri, ingrediat. oportet; omniâque in se ipso primùm expressa præscribat agendo: alia quidem laudans atque honorans, alia verò vituperans; & eos qui non obediunt, in singulis actionibus semper dedecorans.

Idem post pauca.

Nemo vobis persuadeat, ô amici, aliter vnquam citius & facilius, quàm principum exemplo, leges in ciuitate mutari. *Et paulò procul.*

Cum in eodem homine bene cum prudentia & 4

Nn 4. tem-

temperantia simul potentia summa conuenerit. tunc demum gubernationis optime, optimarumque legum elucebit origo, aliter autem nunquam.

Cicero lib. 3. de Legibus.

5 Vt cupiditatibus principum, & vitiis infici solet tota ciuitas, sic emendari & corrigi continentia. & post aliqua: Nec enim tantum mali est, peccare principes (quanquam est hoc magnum per se ipsum malum) quantum illud, quod permulti imitatores principum existunt. Nam licet videre, si velis replicare memoriam temporum, qualescunque summi ciuitatis viri fuerunt, talem ciuitatem fuisse; quaecunque mutatio morum in principibus extiterat, eandem in populo secuturam: quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes, quod non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem: neque solum ob sunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt; plusque exemplo, quam peccato nocent.

Isocrates oratione de Regno.

6 Extra controuersiam est, quemadmodum reges animos suos excoluerint, talia eos regna habituros esse: quare nulli pugili tam opus est corpus exercere, quam regibus animum & ingenium.

Plinius in Panegyrico ad Traianum.

7 Vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus est, quam exemplo: quippe infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur: quae in primis hoc in se boni habent, quod approbant, quae praecipunt, fieri posse. Et quis terror valuisset efficere, quod reuerentia tui effecit?

Fabius

Fabius declamatione 3.

Hæc superiorum conditio est, ut quidquid faciunt, præcipere videantur, & perniciosissimus sit, male rei maximus quisque auctor.

Claudianus de 4. Honorij consulatu.

Componitur orbis

Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Nicetas in imperio Ioannis Comneni.

Ut principis mores sunt, ita res ferè administrantur, ut pote à quo pendeant; qui si ignauus sit, ruunt in deterius: si bonus est & strenuus, eriguntur & florēt.

Cassiodorus lib. 3. variarum.

Facilius est quippe (si dicere fas est) errare naturam, quam dissimilem sui princeps possit formare rempublicam.

Velleius Paterculus lib. 2.

Facere rectè ciues suos princeps optimis faciēdo docet: cumque imperio sit maximus, exemplo maior esse debet.

Lampridius in Alexandro Seuero.

Prorsus censuram suis temporibus de propriis moribus gessit: imitati sunt eum magni viri, & uxorem eius matronæ pernobiles.

Seneca in Thyeste.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Principem facere, quod ab aliis fieri velit, genus efficacissimum est exhortationis.

Biesius lib. 4. de rep.

Principes intentissimis oculis ad diuinam voluntatem semper aspiciant, & ad eam instituant omnem

N n 5

nem

nem rerum cum priuatarum, tum publicarum gubernationem. Aulas eorum oportet esse gymnasia quaedam sapientiae & pietatis, unde ciues omnes omnium virtutum exempla sumant. Oportet enim à suis principiis causas felicitatis publicae deduci. &c.

Ferus in Math. cap. 16.

17 Obserua hic, quod Petrus in cœtu discipulorum confitetur Christum, in aula autem pontificis negat se Christianum; vsque adeò in aulis & magnificis tectis rara Christi professio est.

Basilius Magnus oratione de principatu, & potentia.

18 Honestum sanè & æquum est, vt semper deterius à præstantiore gubernetur. proinde necesse est huiusmodi viris mandari magistratus, atque eos aliorum constituere duces, qui cæteros omnes prudentia, constantia, & vitæ probitate antecellant, vt virtutes quibus præditi sunt, communes fiant eorum omnium, qui eos imitantur. Nam ad mores eorum qui gubernacula tenent, componere sese totos ij qui parent, solent; ita vt quales duces fuerint, tales etiam necesse sit esse eos omnes, qui sequuntur: & quales fuerint in republica principes, tales vt plurimum existere solent etiam reliqui ciues.

Chrysof. lib. 3. de sacerdotio.

19 Sic natura comparatum esse videmus, vt subditorum multitudo, magna quidem ex parte principum suorum mores, tanquam exemplarem quandam imaginem spectent, seque ad illos formare studeant.

Gregoras lib. 3. historia Byzantine.

20 Subditi quantum licet, principum sequuntur cupiditates; idque lex eis est & honor, quod principibus visum fuerit,

Idem

Idem lib. 5.

Plerunque solent subditi ad principum voluntatē se accommodare, ad eamque animum, & linguam, & omnes actiones referre: his enim obsequiis eorum beneuolentiam redimi sciunt.

Damasceus in historia.

Qualibus potestas conformatur, talibus semper subiectus sibi populus inhiat, & ambit illa, in quibus principem gaudere sentit.

Gregorius Palamas in Prosopopeia.

Nihil tam ad virtutem & vitium allicit, quam princeps ea faciens, quæ ad alterutrum exhortantur, & exemplo suo ad similia perpetranda trahens.

Sanctus Fulgentius epistola 6.

Ita fit, vt qui sunt in seculi culmine constituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant; magna tales, aut pœna manet, si multis præbeant malæ imitationis laqueum; aut gloria, si multis ostendant sanctæ conuersationis exemplum.

Ferus in Genesim cap. 12.

Fermè aulici nihil aliud faciunt apud principes, quàm adulari, & lenones esse. amat etiam sui similes rex: & ex vita, & moribus ministrorum, facilè manifestum fit, qualis sit princeps. si adulter est, lenones fouet, & adulteros; si aleo, omnes aulici ludunt; si scortator, scortantur omnes; si potator, bibulos amat.

Sannazarius ad Federicum regem.

Publica nimirum res tunc sibi constat, & æquum Imperium, cum rex, quod iubet, ipse facit.

DE

1 Auferam hominem bellatorem, & iudicem, *ubi Chrysoftomus inquit*: Iudices nihilominus sunt vsui moderandis ciuitatibus, atque eisdem tuendis sunt bellatores: dum enim pacem æquis legibus attemperant, sæpenumero, & in tempore non defuerunt propulsandæ eruptioni hostium. hostes enim cùm continenter suboriantur ab radice peccatorum, non difficile est legum custodes, ac eos, qui præsentia iuri dicundo, omnium diligentia plurâ è medio tollere, ac suppressere peccata, quæ occasionem præbent excitandis bellis.

Aristoteles lib. 7. Polit. cap. 14.

2 Bellicas exercitationes non idcirco cogitare homines debent, vt in seruitutem redigant ea conditione indignos: sed primùm ne ipsi aliis seruiant: deinde vt principatum quærant, quo subiectorum vtilitati consulant, non vt in omnes dominatum exercent.

3 Ceterum legumlatori id potius elaborandum esse, vt tum leges, quæ rem bellicam attingunt, tum cætera instituta ad otium, & pacem referantur, res ipsæ docent, cum rationibus congruentes.

Cicero lib. 1. Officior.

4 Bella non nisi iustis de causis suscipiantur; ne inferantur, nisi rebus repetitis, nisi solemniter denunciata: ne sæuiatur supra modum in victos.

Plutarchus in Annibale.

5 Sapientes viros, & optimos rerum publicarum gubernatores finem magis in rebus humanis, quàm initium spectare; & priusquam ad arma, bellaque prorumpant,

prorumpant, experiri omnia consilio decet.

Sextus Aurelius Victor in Casare Augusto.

Dicebat Octavianus, iactantis ingenij, & leuissimi esse, ardore triumphandi in discrimen per incertos euentus certaminum securitatem ciuium præcipitare: neque imperatori bono quicquam minùs, quàm temeritatem congruere: satis celeriter fieri, quidquid commodè gereretur; armæque nisi maioris emolumentum causa, nequaquam esse mouenda: ne cõpendio tenui, iactura graui, petita victoria, similis sit hamo aureo piscantibus; cuius abrupti, amissique detrimentum, nullo capturæ lucro pensari potest. Eadem commemorat Eutropius libro 7. rerum Romanarum.

Cùm nunquam oporteat principem præcipiti esse consilio, tum haud alibi cunctantior, quàm in suscipiendo bello: quòd ex bello simul omnium bonarum rerum naufragium oritur, omnium malarum rerum pelagus exundat. Calamitosa quidem res est bellum, & magnum malorum agmen secum trahit, etiam si iustissimum sit.

Expende & considera curas, sumptus, pericula, molestum & longum apparatus, ac dubium euentum belli. Accersenda est fex sceleratissimorum hominum, quibus data pecunia blandiendum ac seruiendum est.

Salomonius lib. 4. de Principatu.

Quid ab his præclarum expectare possumus, qui stipem quàm se ipsos habent chariorem, aut stipe se putant viliores?

Nihil principi magis in votis esse debet, quàm vt suos incolumes, & florentes videat: In bello autem subiectos periculis obiicere cogitur: & vna sæpe hora tot

ra tot orphanos, tot viduas, tot orbos senes, tot mendicos, tot infelices reddit.

11 Moueat & hoc principem piū, & clementem, quod perspiciat, ex tam immensis malis, quæ bellū omne secum inuehit, maximam partē ad eos redire, ad quos bellum nihil attinet, qui quæque his calamitatibus sunt indignissimi. Ad hæc ita secum cogitet vnus, ego tot malorum auctor fuero, tantum humani sanguinis, tot viduæ, tot luctu funestæ domus, tot orbi senes, tot indignè egentes, tanta morum, legum, ac pietatis pernicies mihi vni imputabitur: hæc mihi luenda sunt?

12 Non potest princeps vlcisci hostem, nisi prius hostilia fecerit in suos: vexandus est populus, accipiendus miles, excludendi ciues ab hisce regionibus, quibus antea suo bono fruebantur; includendi ciues, vt includas hostes: & sæpenumero fit, vt isti mercenarij milites atrociora committant in nostros, quàm in hostes.

13 Sepe maiore negotio, & impensa demolimur hostium oppidum, quàm aliud nouum vtile nobis edificari potuisset, ac bellum quidem tanto sumptu, tanto dispendio, tanto studio, curaque molimur, vt decima earum rerum portione pax constare potuisset. Præterea seditiones, proditioes, ac defectiones, mercenariorum militum, ac denique incertum exitū, & ancipitem belli fortunam.

Ionianus lib. 1. de bello Neapolitano.

14 Qui dominari in bello fortunam dicunt, non temerè illi quidem mihi & sentire videntur, & dicere: propter ea quæ repentè accidunt, quæ nunquam satis perspici possunt. longissimo rerum vsu, qui humanarum

narum actionum optimus ac sapientissimus magister est, animaduersum est à me, non semel etiam leuissimum casum ex victo victorem, ex victore victum exercitum reddidisse.

Nicephorus lib. 14. cap. 2.

Sola vera pietas satis est principibus ad salutem: vsicuti contra, absque illa nihil profunt exercitus, equi, satellites, ensium vis, virorumque innumerabiles copie; aurum item & argentum, plurima terræ iugera; & quicumque alius præterea est apparatus.

Ferus in Exodum, cap. 17.

Inter omnia mala, quibus discruciatur vita mortalium, nihil bello sceleratius, nihil nocentius, quod atrocius exitium infert corporibus, facultatibus, animabus, & moribus bonis.

Platina lib. 1. de optimo ciue.

Nunquam bella suscepit David ille fortissimus, nisi prius sacrificia Deo exhibuisset. parta autem victoria, hymnos statim cecinit, eidem gratias agens, vt ostenderet Dei benignitate & gratia, non suis meritis aut viribus, tantam felicitatē se cōsecutum fuisse.

Ferronus lib. 4. de gestis Gallorum.

Veniat nobis in mentem Mosis bellum, quod aduersus Amalechum regem fecit. videbis populū Deo charum gladiis fidentem semper vinci: contra precibus supplicantem, semper vincere, dum Moses manus attollebat, noster vincebat exercitus; dum manus remittebat, exercitus inclinabat.

DE PACE. CAP. XVI.

Sacer Dionysius lib. de diuinis nominibus, cap. 11.

Pax est, quæ omnia coniungit, atque inter omnia concor-

concordiam connexionemque & gignit & absoluit.
itaque omnia eam expetunt.

Diuus August. lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 13.

- 2 Pax hominum est ordinata concordia . pax ciuitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia ciuium.

Xenophon lib. de Vectigalibus.

- 3 Hæ dicuntur beatissimæ resplicæ, quæ plurimo tempore in pace vixerunt.

Herodotus lib. 1.

- 4 Nec enim quispiam ita amens est, vt bellum quam pacem præoptet . Nam in pace filij patres, in bello patres filios sepeliunt.

Cicero Philippica 8.

- 5 Dulce est nomen pacis, res verò ipsa cum iucunda, tum salutaris.

Diuus August. lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 11.

- 6 Tantum est enim pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inueniri.

Et cap. 12.

- 7 Et ipsi qui bella volunt, ad gloriosam pacem belando volunt peruenire . Nam quid est aliud victoria, nisi subiectis repugnantium: & pacem constat belli esse optabilem finem: omnis enim homo etiam belligerando, pacem requirit; nemo autem bellum pacificando.

Prudentius de concordie & discordie pugna.

- 8 Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque pericli.
Sidera pace vigent, consistunt terrea pace;
Nil placitum sine pace Deo: non munus ad aram

Cùm

Cùm cupias offerre, probar, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro.

Cicero Philippica 8.

Leges, aut iudicia esse non possunt, pace sublata. 9

Euripides in Erichtheo.

Inquirunt, vt audio, philosophi, 10

Et multum in hoc absumunt temporis,

Quidnam sit bonum, necdum vllus inuenit, quid sit;

Alius virtutem, alius prudentiam inquit: &

Hæc etiam intricant magis, quam quid bonum sit.

At rusticus ego, terramque fodiens,

Nunc bona quæ sint pacis inueni,

Amabilis illius, & benignissimæ diuæ

Nuptias, festa, cognatos, liberos, amicos,

Diuitias, sanitatem, annonam, vinum, voluptatem

Pax confert: quod si hæc omnia defecerint,

Periit omnis communiter viuientium vita.

Vegetius in prologo libri tertij.

Qui desiderat pacem, præparet bellum. 11

Philo lib. de Charitate.

Maximè ciuitatibus hoc præceptum vtile fuerit, vt 12
in pace de bello, in bello de pace cogitent.

Diuus Thomas in Matth. cap. 12.

Sicut vita in homine, ita pax in regno; & sicut sa- 13
nitas nihil est nisi temperantia humorum, sic pax est,
cùm vnumquodque retinet ordinem suum. & sicut
recedente sanitate tendit homo ad interitum, sic dis-
cedente pace regnum tendit ad desolationem. ideo
vltimum quod attenditur, est pax. vnde Philosophus
inquit: Sicut medicus ad sanitatem, sic defensor
reipublicæ attendere debet ad pacem.

O O Plutar-

14 Cyneas vir magni ingenij, Demosthenis auditor, qui maximè vires dicendi illius assequi videbatur; Pyrrhum ad Italiam inclinatum cernens, nactus illu aliquando otiosum, in huiusmodi sermonem adduxit: Egregij quidem bello Romani esse dicuntur, multisque bellicosis gentibus imperare; quòd si eos superare dii nobis dederint, quid tunc agemus, Pyrrhe? Ad hæc Pyrrhus: De re haud quaquam obscura, inquit, ô Cynea percontaris: neque enim barbara nobis, neque Græca ciuitas illic resistere valeret, Romanis superatis; sed habere mus confestim Italiam totã, cuius magnitudinem & potentiam minimè te ignorare arbitror. Parumper ergo commoratus Cyneas, enimuerò cum Italiam ceperimus, inquit, quid tum agemus? Et Pyrrhus nondum mente eius intellecta, Proxima, inquit, Sicilia est, insula felix ac populosa; capi verò facilis ob seditiones ac discordias ciuitatũ. Rectè dicis, inquit Cyneas: sed an finis militiæ nobis erit, Sicilia cepisse? Deus modò, inquit Pyrrhus, victoriam præstet. nam his veluti præludiis vtetur ad res maximas conficiendas. Quis enim se Libya abstineat & Carthagine? his autem victis, nullus nobis resisteret hostis. Ita est, inquit Cyneas: sed victis omnibus ac subiectis, quid faciemus tandè? Et Pyrrhus ridens, Otium, inquit, agemus, & quotidiana festiuitate, mutuisque sermonibus lætitiæque perfruemur. Cùm ad hæc Cyneas Pyrrhum adduxisset: At quid vetat, ô rex, quominus nunc ista lætitiæ & festiuitate & otio perfruemur? Adest quippe nobis sine labore facultas eorum, ad quæ per sanguinè, molestias & pericula nostra, & aliorũ, peruenturi sumus.

His

His Cyneas verbis turbauit potius regem, quàm ab incepto retraxit, spem eorum, quæ conceperat, depone- nere nequeuntem. Deinde ad bellum profectus, & otium, & lætitiæ, & festiuitatè cum vita simul amisit.

Atque ea quidem omnia si principes considerare 15 velint, & ipsi tranquillam, & felicem vitam degerè poterunt, & subiectos suos longissima pace beatos efficiunt. Itaque dabit operam bonus princeps, vt cum omnibus pacem habeat, sed præcipuè tamen cū finitimis, qui plurimum nocent infensi, profunt autem amici: & sine quorum mutuo commercio ne durare quidem posset respublica.

Denique vt canit Silius noster Italicus lib. 11.

Pax optima rerum,

16

Quas homini nouisse datũ est, pax vna triumphis
Innumeris potior: pax custodire salutem
Et ciues æquare potens,

Beatus August. de verbis Domini, serm. 57.

Est pax serenitas mentis, tranquillitas animi, sim- 17
plicitas cordis, amoris vinculum, consortium chari-
tatis: hæc est, quæ similtates tollit, bella compescit,
comprimit iras, superbos calcit, humiles amat, dis-
cordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placita.

Bonsinius lib. 35. rerum Vngaricarum.

Absurdum est cùm de pace agitur, de belli causis 18
accuratissimè disputare, refricantur per iniuriarum
memoriam sæpe vulnera, & remolliti dudum animi
redurescunt.

Cutopalates in historia.

Corpus legati sacrosanctum habetur, vel apud in- 19
fideles ipsos, quasi pacis proxeneta, & pugnantium
conciliator, bellicarumque seditionum depulsor,

002 Hiero-

Hieremia cap. 29.

20. Querite pacem ciuitatis, & orate pro ea ad Dominum; quia in pace eius erit pax vestra.

Apostolus 1. Tim. 2.

21. Iubet orationem fieri pro regibus, & omnibus in eminentia constitutis, addita causa, vt placidam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honestate.

Sapiens Quidam.

22. Ora pro pace regni, nisi enim metus esset legum, & magistratum, alter alterum viuum deuoraret, bellis quidem ac seditionibus videmus labefactari omnia honesta studia, mores corrumpi, perire honestatem, solui fidem, & pudicitiam. breuiter, arma, (vt ille inquit) non seruant modum.

Baptista Egnatius in Valerio Martiano.

23. Pacem, quo ad eius fieri potuit, coluit, illud saepe vsurpans, dum in pace esse possumus, arma non induamus.

DE MILITARIBVS OFFI-

CIIS. CAP. XVII.

Prouerb. cap. 20.

1. Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella: gubernaculis, id est, prudentia & consilio.

2. Quod si forte bellum ineuitabile sit, oporteatque vel nostra tueri, vel ab hostibus ea recuperare, diligendi sunt ad milites administrationes, clari bellica virtute viri, ac duces in primis prudentes, & fortes.

Orosius lib. 7. de regis institutione.

3. Merito semper in omnibus regnis & imperiosis populis summa laus fortibus hominibus attributa est;

est, maximaque premia persoluta sunt: illorum namque virtus continet patriae firmamentum, reipublice vniuersae propugnaculum, ciuium libertatem, tutissimumque in omni rerum discrimine & calamitate perfugium.

Dionysius Halicarn. lib. 6.

Nulla re ad victoriam aequè opus est, ac bonis du-
cibus. Numerosa porro turba si imperitos duces habeat, nihil agit vt decet, sed sua se impedit multitudine; tantoque magis conflictatur, quanto maior est. Boni verò imperatores etiam si paruas acceperint copias, augent eas celeriter. Proinde quantisper bonos duces habuerimus, non deerunt, qui eorum ductu libenter militent.

Sed (vt Euripides inquit) cautus imperator praefendus est audaci. Et Polybius ab eodem Euripide dictum scribit, consilio sapienti magnam vinci militum manum.

Lib. 1. Machabaorum cap. 5.

In die illa ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in praecelium.

Vitichindus lib. 3. gestorum Saxoniorum.

Rarum est audacibus bono esse consilio.

Thucydides lib. 2.

Magna ex parte bellum vincitur consilio, & pericula.

Cicero in Catone maiore.

Dux ille Graeciae nunquam optat, vt Aiacis similes decem habeat, sed vt Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin Troia breui sit peritura.

*Nam Agamemnon apud Homerum lib. 2. Iliados.**cum Nestore loquens,*

Certe, inquit, venerande senex, te plurima linguarum Gratia commendat: prudenti pectore cunctos

O O 3

Haud

Haud dubiè Graios superas, vincisque loquendo.
Atque utinam tales mihi dij bis quinque dedissent,
Nempe breui nostris manibus caperentur, & alto
Pergama conciderent à culmine.

Valerius Flac. lib. 4.

11. Nec solis viribus æquum
Credere, sæpè acri potior prudentia dextra.
Ioannes Magnus lib. 4. historia Gotthica, cap. 20.

12. Quamuis multa sint ad rem bellicam necessaria,
nihil tamen æquè ac consilium valere putandum
est, idque non solum publico omnium consensu, sed
ipsa experientia (quæ rerum est omnium magistra)
compertum habemus. equi, arma, opes, fortuna de-
nique ipsa, quæ in bellicis rebus plurimum posse
existimatur, nisi bono consilio dirigantur, tanquam
fluxa, & caduca evanescent: sæpèque illis perniciem
afferre solent, qui eis uti nesciunt

Ex Aristide oratione in regem.

13. Xerxem, qui multa hominum millia contra Græ-
cos adduxerat, nec vel terra, vel mari poterat capi,
vnius Themistoclis industria superavit. sanè contra
hostes non armis solum, sed consilio in primis uten-
dum est. Nam cum consultatione possumus superio-
res evadere, quid opus est pericula suscipere?

*Rutilius lib. 1. Itinerarij, de imperio Romano
loquens, ait:*

14. Omnia perpetuos quæ seruant sidera motus,
Nullum viderunt pulchrius imperium:
Quid simile Assyriis connectere contigit arma,
Medi finitimos cum domuere suos?
Magni Parthorum reges, Macedumque tyranni,
Mutua per varias iura dedere vices.

Nec

Nec tibi nascenti plures animæque manûsque,
Sed plus consilij, iudicijque fuit.
Iustis bellorum causis, nec pace superba
Nobilis ad summas gloria venit opes.

Herodianus lib. 6. de Alexandro Severo.

Res autem cunctas, atque administrationes, civi- 15
les quidem & forenses, insignibus doctrinæ vitis, le-
gumque peritissimis; militares autem claris bellica
virtute hominibus commendabat.

Diuus Ambrosius epist. 30.

Si de re militari est consulendum, debet exercita- 16
ti in præliis viri expectari sententia, consilium com-
probari.

Thomas Morus lib. 1. de optimo reip. statu.

Quam sit perniciosum, præsidia militum otioso- 17
rum alere, & Gallia suo malo didicit, & Romanorû,
Carthaginensium ac Syrorum, tum multarum gen-
tium exempla declarant: quorum omnium non im-
perium modò, sed agros quoque atque ad eò vrbes
ipsas parati ipsorum exercitus aliis atque aliis occa-
sionibus euerterunt. certè illud mihi nequaquam
videtur publicæ rei conducere, in euentum belli,
quod nunquam habetis, nisi cum vultis infinita eius
generis turbam alere, quod infestat pacem: cuius
tanto maior haberi ratio, quam belli, debeat.

Quidam in Politicis.

Naturâ omnes disciplinam ægrè ferimus, ac liber- 18
tatem dissolutè viuendi appetimus; sed maximè mili-
tes, qui sæpius animum ad militiam adiungunt, ea
spe confisi, quòd omnia in hoc vitæ genere licitè atq;
impunè agantur. ad officium autem ducum in primis
pertinet, ut eos in officio cõtineant, ac seuerè puniant.

O o 4

Et

Et paulò pòst.

- 19 Iusti ergo præfecti ac centuriones vituperantur, qui emerendi atque conciliandi fauoris causa & gratia, clementes atque benigni dici & videri volunt, cum nimis leniter sceleratis militibus veniam dant, atque eorum delicta dissimulant: sed hæc stulta lenitas & humanitas summam adfert licentiam, omnemque disciplinam militarem euertit; qua sublata, nihil laude dignum efficitur, atque turpiter & infeliciter in hostem pugnatur. *Et post aliqua.*
- 20 Cauebunt præfecti, ne quam militibus seditionis causam præbeant: quod fiet, si nihil de ipsorum iure diminuunt, si nihil auarè, nihil iniuste committant. *Idem.*
- 21 In primis cauendum est, ne quam fraudem præfectus in stipendiis distribuendis faciat: quæ auaritia & fraus nunc ætatis nihil fermè ignominia hæbet: quo fit, ut hi qui maxima pericula subeunt, exiguis stipendiis fruantur; & eorum præfecti, qui maiora stipendia percipiunt, militum iura iniquissime rapiunt. *Idem.*
- 22 Prouidendum quoque est, ut ad certum diem stipendia soluant. quod si pecuniæ non fuerint in promptu, moram solutionis se dolere atque ægrè ferre demonstrent, ac dent simul operam, ut quam primum solutio fiat: atque interim bonam spem illis faciant, omnemque humanitatem præstent, ne solutionis mora seditionem excitet.
- 23 Ergo viris prudentibus, militarium rerum peritis opus est, ut regi sint à consiliis. Nam (ut inquit Cicero libro 1. Officiorum) parua sunt foris arma, nisi est consilium domi.

*Lampri-**Lamprius in Alexandro Seuero.*

Consuetudo illi fuit, ut si de iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet. Si verò de re militari, milites veteres & senes bene meritos, & locorum ac bellorum, & castrorum peritos, & omnino literatos, & maxime eos qui historiam norant: requirens quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium fecissent.

Belisarius apud Procopium lib. 2. de bello Persico.

Bellum sana ac diligenti consultatione administratum, feliciter succedere solet. in quo ante omnia deliberaturos vos ab omni pudore ac metu vacuos esse decet. timor enim mentem agens attonitam non finit utiliora decernere: pudor verò sæpè adumbratam bonorum opinionem cogitationem in contrariam deducit sententiam.

Maximè autem prospiciendum est apparatusi bellico tempore pacis: Nullum enim malum grauius est, quam inopinatum. sic videmus innumeras ciuitates improviso bello facillimè oppressas. Et quia plurimi extant libri de re militari, atque ea quidem mei muneris non est, pauca quædam retulisse sufficiet.

Gregoras lib. 6. historia Byzantina.

Liberales & humanos esse erga inferiores, præclarum ducibus viaticum est ad victorias & triumphos.

Egesippus lib. 3. cap. 24.

Non tam numerus plurium conficit pugnam, quam virtus paucorum: multitudo enim disciplina insolens ipsa sibi est impedimento in prosperis ad victoriam, in aduersis ad fugam.

O o 5

Sam-

*Sambucus præcepta quadam collegit, ex quibus
elegimus quæ sequuntur:*

- 29 Iustam causam faueto.
30 Castra in alieno metator.
31 Tempus ne terito.
32 De summa rerum per paucos decernito.
33 Secreta tua sint consilia, inimicorū exploratissima.
34 Viribus impar propugnacula custodito.
35 Cùm par fueris in plano resistito.
36 Hostem præuertito.
37 Famem prouideto.
38 Occasionem sanam arripito.
39 Victoriam persequitor.
40 Militi sua reddito.
41 Noxia terreas disciplina.
42 Concordia omnia ligato,

Ferronius lib. 3. de gestis Gallorum.

- 43 Equitum peditumque stipendium præfecti fraudauerant, falsum interea equitum numerū deferentes. Herouetus ab ipsis Gallicis Italicisque præfectis, ita aiebat fraudari stipendia, vt nunquam copiarum quo debebant numero, viderentur: quin & in transuectione publica alij alijs equos comodarent. id quidem furtum, quo frequentius, eo grauius puniendū.

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

- 44 Quodnam nobiliū opus est? num delitijs affluere, & dicteria iacere, & de amore conqueri, & vulnus sibi cupidinis sagittis inflictum assidue lamentari? negabit is opinor. num noctes atque dies in aleæ ludo consumere? non profecto. Quodnam igitur hominū nobilium opus est? armis tutari rempublicam, & consilio, cùm ætate progressi fuerint, stabilire; omnesque

nesque opes suas ad patriæ salutem, atque ad dignitatem suam conferre.

DE ARMIS, EQVIS, ET NAVIBVS. CAP. XVIII.

Armis, tormentis, & equis optimis, & plurimis instructam remp. esse oportet, ne ciues inermes ab armatis hostibus facillimè opprimantur.

Chrysof. serm. de Ascensione.

Imperatoris optimi prouisione vrbes omnes, vniuersæ ciuitates, castella singula, manu militari aduersus hostilem muniuntur aduentum, & omnia loca diligenter armantur, ne barbarica incurfione deleantur.

Arist. lib. 7. Polit. cap. 8.

Qui reipublicæ præfunt, hos armis, tum ad tuendum imperium, vt detrectantes coërceantur; tum ad vim, si quis iniuriam extrinsecus inferre conetur, propulsandam instructos esse necesse est.

Philo lib. 1. de vita Mosi.

Viris armisque florentes copiarum, sunt murus inexpugnabilis.

Iustinianus in proemio institutionum.

Imperatorem maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, vt vtrumque tempus & bellorum, & pacis rectè possit gubernari, &c.

Idem de Iustiniano codice confirmando.

Summa reipublice tuitio de stirpe duarum rerum, armorum atque legum veniens, vimque suam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque gentibus dominari, tam præteritis effecit temporibus, quam Deo propitio in

tio in æternum efficiet: istorum enim alterū alterius auxilio semper eguit; & tam militaris res legibus in tuto collocata est, quàm ipsæ leges armorum præsidio seruatae sunt.

Zonaras in imperio Aureliani.

7 Romanorum principatu potius Aurelianus magnates rogauit, quo pacto imperandum esset. quorum vnus ei respondit, Si rempublicam ritè administrare volueris, auro & ferro te munitum esse oportebit; ac ferro quidem contra hostes uti, tui verò obferuantes auro remunerari.

8 Abundat Hispania viris fortissimis; & contra ciues improbos & seditiosos iustitiæ imperio satis armata est: armis tamen, & exercitio militari deficitur.

9 Archidamus Agefilai filius, cum catapultæ iaculum tunc primùm ex Sicilia aduectum vidisset, exclamauit: ô Hercules, viri perit virtus. Auctor Plutarchus in Apoph.

10 Quanto magis hodie exclamare licebit, posteaquã inuenta sunt instrumenta bellica, quibus vnus quiuis è fece populi, emissâ pilula ferri aut plumbi, Hectorem, aut Alexandrum facillè possit occidere?

11 Itaque non ad eò securi esse debemus, aut ita tui nostratium fortitudine, ut sine armis putemus hostes armatos à nobis superari posse. Mouere certè nos debet exemplum illud lamentabile Roderici Regis fortissimi, qui vniuersam ferè Hispaniam infanda clade cõfecit, ob hanc potissimùm causam (ut Historici tradunt) quòd subiectos suos in prælia trussit inermes.

Demosthenes Philippica 4.

12 Vnusquisque cognoscere atq; videre potest, quotidianam

tidianam segnitiam & socordiam, ut in priuata vita, sic etiam in vrbibus, non in singulis quæ negliguntur, statim animaduerti, sed in summa rerum occurrere.

Saris constat, ciues Romanos olim arma priuatim non habuisse, sed in rupe Tarpeia fuisse condita; & inde accipiebatur, quoties exercitus deducendus erat. Et Iustinianus constituit, ut in publicis vniuscuiusq; ciuitatis armamentariis arma publica reponantur, reparentur ac renouentur. de armis const. 85. Lazius lib. 4. reipublicæ Romanæ cap. 6.

Pericles apud Thucydidem lib. 1.

Magna res est maris imperium.

Thucydides lib. 6. in oratione Alcibiadis.

Nostri progenitores hoc imperiũ comparauerunt nullo alio, nisi quòd magnitudine classis pollebant.

Abundat quoque Hispania omni materia nauium ædificandarum, qua olim quoque affluebat. Cæsar discedens à Belgis, ea quæ sunt vsui ad armandas naues, ex Hispania apportari iussit. ut ipsemet Cæsar lib. 5. de bello Gallico retulit.

Sidonius in panegyrico ad Maioranum.

Quæque suos prouincia fructus
Exposuit, fert Indus ebur, Chaldæus amomum,
Assyrius gemmas, Seruella, thura Sabæus. &c.
Sardinia argentum, naues Hispania defert.

Equorum quoque magna cura esse debet, quandoquidem eos omnium optimos iam diu procreat Hispania.

Strabo lib. 3. Geographia.

Equi Hispaniæ sunt Parthicorum similes: nam & agilitate, & currendi dexteritate ceteros antecellunt.

Lex Valentini, Valentis, & Gratiani lib. 15.

C. Theod. tit. 10.

20 Equos Hispani sanguinis vendendi solitam factionariis copiam non negamus.

*De exercitatione militum Iustinianus const. 16.
de pratore Thracia.*

21 Curæ autem habebit, ut milites quidem bellicis exercitationibus meliores & alacriores efficiat: paganos verò per legem componat, ut iusti & ab omni improbitate & malitia immunes reddantur: quo magis, hi quidem ad iustitiam, illi verò ad virtutem & fortitudinem progressus faciant.

Idem lib. 1. C. tit. 27.

22 Conuenit, ut semper custodes fines prouincię feruent, ne detur hostibus licentia incurreridi aut deuestandi loca, quæ nostri subiecti possident.

23 Si aliquas ciuitates seu castella, per limites Africae constituta, prouiderit tua magnitudo nimiae esse magnitudinis, & propter hoc non posse bene custodiri; ad talem modum ea construi disponat, ut possint per paucos bene seruari.

Trebellius Pollio de triginta tyrannis cap. 17. hanc epistolam Valeriani memorat:

24 Valerianus Ragonio claro præfecto Illyrici & Galliarum, si quid in te bonæ frugis est, quam esse scio, parens clare, dispositionem balistæ persequere. Hac in forma rempublicam vides, ut nec ille prouinciales grauet; ut illic equos contineat, vbi sunt pabula; illic annonas militum mandet, vbi sunt frumenta: non prouincialem, non possessorem cogat illic frumentum, vbi non habet, dare; illic equum, vbi non potest, pascere: nec est vlla alia prouisio melior, quam
ut in

ut in locis suis erogentur, quæ illic nascuntur; ne aut vehiculis, aut sumptibus temp. grauent.

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

Legite historias, videbitis omnes propemodum 25 nationes, quæ ad summas opes & imperium peruenere, postquam intoleranda superbia & iniquitas in illorum mores inuasit, præter alias pœnas, quibus à Deo muldatae sunt, hanc etiam dedisse, quòd omnes artes militares abiecerint, & se luxu atq; delitiis corrumpi & effeminari permiserint: ut enim alias omitam, Hispania certè nostra prius quàm Arabes, qui Mauritaniam incolebant, illam vastarent, iam erat armorum desuetudine & disciplinæ militaris obliuione à Deo punita. Cùm igitur Arabes in Hispaniã traiecere, vix erat quisquã, qui illorum vultum aspiceret; sed omnes cum summa turpitudine & ignominia terga vertebant.

DE OFFICIO PRINCIPIS.

CAP. XIX.

Rex quidem neque iudex neque dux esse debet, 1 sed iudicibus ducibusque præesse: bonos præmiis, malos pœnis afficiens, & vtrorumque curam summam gerens.

Plato diuinus lib. Ciuili.

Regiæ maiestatis officium est, non ut ipsa quidem 2 agat, sed ut agere valentibus imperet; cognoscâtque imperium & vim eorum, quæ in ciuitate sunt maxima: tum quid decorum, quid opportunum sit, quid contra: ceteras verò facultates, ussã capessere, & madata transigere. Quod ciuis meus Seneca lib. primo de Clementia confirmat exemplo illo regis apum, qui

qui onere ipse vacat exactor alienorum operum.

Ex Orosio lib. 7. de Regis institutione.

3 Prisci reges, & iudices, & imperatores, & oratores & sacerdotes erant: tunc enim singulis ciuitatibus singuli homines imperabant. postea vero reges nationes vniuersas sub imperium subiugarunt: quo factum fuit, ut ea omnia munera ab aliis gerenda essent. & post aliqua: Rex igitur non imperator est, sed imperatorum rector atque moderator. nec iudex quidem in causis debet esse, sed iudicia dare & leges, cum opus fuerit, atque iura describere. & sapientes homines, & constantes, & integros deligere, quibus iudicandi munus assignet.

Isocrates in Symmachico.

4 Nicoclem regem inducit cum subditis suis ita loquentem: Iubeo vnumquemque vestrum, id, quod sui officij est, recte & diligenter administrare. Nam quatenus alterutrum horum omiseritis, eatenus actiones deteriores esse necesse erit: quare nihil ex mandatis negligite aut contempnite, cogitantes, non eo quidem, quod violetur, per se tantum esse momenti; sed sic intenti estote, ut sentiat singulas partes id efficere, ut res vniuersa vel preclare vel male se habeat.

Chrysof. in cap. 1. Isaiæ.

5 Principum enim est licentiosam & inconditam populi rebellionem comprimere, & in officio continere, utque ad legum formulam obsequentes reddat.

Diuus Thomas lib. 4. de regim. princip. cap. 23.

6 Tunc est perfecta ciuium congregatio, quando quilibet in suo statu debitam habet dispositionem & operationem. sicut enim ædificium est stabile, quando partes eius sunt bene sitæ; sic de politia contingit, que

que firmitatem habet & perpetuitatem, quando vnusquisque in suo gradu, siue officialis siue subditus, debite operatur, ut suæ conditionis requirit actio: & quia sibi nulla est repugnantia, consequenter ibi erit summa suauitas, & perpetua firmitas status: & hoc est proprium felicitatis politicæ, ut Philosophus tradit.

Orosius lib. 1. de regis institutione.

7 Omnis reipublicæ interitus in munerum perturbatione consistit. dum enim quilibet suum negotium non facit, sed alienum officium atque munus usurpat, nihil recte, nihil ordinate fieri potest, sed omnia perturbari & commisceri necesse est.

8 Quod autem rex iudex esse non debeat, exemplo Moysis, quod iam antè retuli, cuius perspicuum esse poterit. Ne vero rex ipse militis vel ducis fungatur officio, Isocratis epistola secunda ad Philippum Macedonum regem satis superque planum efficit, cuius partem describere non erit alienum.

9 Equè turpe est, inquit, & hostibus circumdatum strenuè pugnando aliis non superiorem esse, & cum nulla talis vrget necessitas, in ea te discrimina coniecere, quibus superatis, nihil memorabile gesseris; interfectus, omnes fortunas vnà euerras. Neque vero semper præclarum habendum est, in bellis oppetere; sed quando id fit pro defensione patriæ, parentum & liberorum, laudabile est. Eam potius in gerendis bellis rationem tibi sequendam censeo, qua vrbes vruntur. nam hæ omnes, quum aliò mittunt exercitus, rempublicam & senatum de rebus præsentibus deliberantem in tuto collocare solent: vnde id etiam euenit, ut si qua plaga fuerit accepta, non tamen vnà po-

P p tentiam

sentiam omnem amittant, sed & multas clades perferre, & tandem vires suas recuperare possint. quod & tibi propositum esse debet: neque vllum salute maius esse bonum existimandum; vt etiam victoriis, quæ tibi contigerint, rectè vt queas.

10. Neque illa ignoras, quæ Xerxi Græcos opprimere seruitute conato, & Cyro Persicum regnum sibi vendicare aggresso acciderunt. Alter enim tantis præliis victus, tot cladibus affectus, vt nullum simile exemplum quisquã norit: tamen, quia vitam suam conseruauit, non ipse regnum modò recuperauit, sed idem filiis suis reliquit, & Asiam ita firmavit, vt nunc nihilo minus sit, quàm prius, formidabilis. Cyrus autem cum, victis omnibus regis exercitiibus, summam rerum potitus esset, temeritate sua non se ipsum dumtaxat tanto imperio priuauit, sed & milites suos in summas clades coniecit. Innumeros commemorare possem, qui cum maximorum exercitiuum duces essent, quia ipsi immaturè perierunt, vnà secum multa millia in exitium traxerunt. Hæc exempla tibi consideranda sunt, vt eam fortitudinis laudem, quæ cum intempestiua ambitione coniuncta est, non appetendam iudices: neq; cum alioqui regum imperiis multa pericula impendeant, tute ipse insuper alia ignobilia & militaria discrimina tibi accersas: neque cum illis certes, qui aut vitam calamitosam perdere volunt, aut, vt maius stipendium impetrent, temerè in pericula se coniciunt.

Nicetas lib. 5. de imperio Manuelis Comneni.

11. Imperator legionibus in vnum conductis, deliberandum proponit, vtrum ipse quoque bello Vngarico interesse, an summam rerum duci alicui committere

mittere debeat: vbi omnibus placuit, vt ipse Sardicæ maneret, & generales belli duces crearet, vt absente imperatore incerti bellorum euentus, acceptæque cladis dedecus mitiora essent, & victoria plus laudis haberet.

Ex libro 2. Regum, cap. 18.

Volens David rex pugnare cum hostibus, dixit ad 12
populum: Egrediar & ego vobiscum. respondit populus; Non exhibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt; quia tu vnus pro decem millibus computaris. melius est igitur, vt sis nobis in vrbe præsidio. ad quos rex ait: Quod vobis videtur rectum, hoc faciam.

Vt autem regem suum tueantur, viri fortissimi 13
pugnare cum hostibus plerunque non possunt: ac ne regem in discrimen adducant, ancipitem belli fortunam tentare non audent. Certè maiore sumptu, & minus vtili euentu rege præsentè bella geruntur, vt quotidianis exemplis, omnibus perspicuis, comprobari potest.

Beatus Thomas lib. 2. de regim. principum, cap. 12. 14

Hoc officium se rex suscepisse cognoscat, vt sit in regno sicut in corpore anima, & sicut Deus in mudo: quæ si diligenter cogitet, ex altero iustitiæ in eo zelus acceditur, dū considerat, ad hoc se positum, vt loco Dei iudiciū in Regno exerceat. Ex altero verò mansuetudinis & clementiæ lenitatem acquirit, dum reputat singulos, qui suo subsunt regimini, sicut propria sui corporis membra.

Idem diuus in librum 5. Polit. lectione 8.

Officiū regis est, esse custodem iustitiæ: & idè re- 15

P p 2 currens

currere ad regem, est recurrere ad iustum animatum: & hoc apparet, quia rex intendit bonum commune seruare, & custodire: hæc autem non potest, nisi sit custos iusti: & ideo officium eius est, ut sit custos iusti, & omnem iniustitiam, & iniuriam puniat.

Ex Aegidio lib. 3. parte 2. cap. 9.

16 Ad officium regis pertinet curare, ut bona & iura regni conseruentur, & ut reditus expendantur in bonum commune: ut nemini iniuriam inferat, ut ornet ac reficiat ciuitates, & arces: ut sapientes & bonos honore ac præmio afficiat. Postremò ut veram religionem ac res diuinas tueatur, & colat.

Viues in Satellitio.

17 Hoc demum est principem agere, publicas utilitates suis anteponere, existimareque neminem esse inter subditos, cuius cura peculiatiter ad se non pertineat: itaque princeps officium suum implet, propria comoda, & proprios affectus exuendo, induendo communes: idcirco enim electi sunt principes, ut essent, qui suis priuatis soluti curis, publicis excubarent. licebit ergo dicere, officium est imperare, nõ regnũ.

Ammianus lib. 29.

18 Nihil aliud est imperium (ut sapientes definiunt) nisi cura salutis alienæ.

Idem lib. 30.

19 Finis iusti imperij, ut sapientes docent, utilitas obedientium æstimatur & salus.

Rectè quidam in Politicis.

20 Vriliſſimum est, ut princeps consilio frequenter intersit, præsertim cum de arduis rebus agitur: nec enim satis est, ut decretum ei recitetur, quod nonnunquam plenè perfectèque non intelliget, nisi coram

audiat

audiat disceptari. Accedit hæc utilitas, cum princeps ipse disputationibus interest, melius suorum cognoscit ingenia, ac intelligit, quibus feliciter uti possit; & excitat in illis studium, ut omnia diligentius ponderent ac considerent, quando suæ eruditionis & animi cum testem, atque iudicem præsentem conspiciunt.

Sanctus Hieronymus in Hieremiam cap. 22.

Regum autem proprium est, facere iudicium & 21 iustitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos; & peregrino pupilloque, & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.

Orosius lib. 1. de Regis institutione.

Regis officium est, non solum commodis patriæ 22 atque salutis consulere, & hostium impetum à finibus regni, magna belli contentione reprimere; sed multo etiam magis refecare libidines, coercere petulantiam, iniquitatis & iniuriæ fibras euellere, vniuersamque rempublicam honestatis ornamentis afficere, virtutumque omnium præfidiis firmare. aliter enim neque resp. beata, neque rex officio suo satisfacere vllò modo potest.

Idem lib. 3.

Officium regis in eo positum est, ut remp. opibus 23 locupletet, præfidiis firmet, moribus ornet, dignitate illustret; atque, ut vno verbo dicam, beatam efficiat.

Et lib. 8.

Hoc regi onus incumbit, hoc illius officium & munus 24 est, hoc intueri, hoc moliri & efficere debet, ut resp. sit voluntate consentiens, ordine constans, viribus firma, opibus abundans, moribus ornata, gloria præcellens, in bello semper inuicta, in pace & otio moderata.

- 1 Nulla re magis rectè respública gubernari potest, quàm præmio & pœna. Boni enim efficiuntur homines (vt ait Vlpianus) non solùm metu pœnarum, sed etiam præmiorum exhortatione: atque ea est optima gubernatio (vt iam antè dixi) quæ meliores homines facit.
- 2 Solon ille, qui sapiens vnus ex septem, & legum scriptor solus ex septem fuit, rempublicam duabus rebus cõtineri dixit, præmio & pœna. Propter quod Democritus duos esse omnino deos censuit, pœnam & beneficium. *auctor Plinius lib. 2. natur. hist. cap. 7.*
Plato lib. 5. de Rep. inquit:
- 3 Munera & præmia danda esse viris præstãtoribus, siue in rebus militaribus, siue in aliis quibusdam excellant. *Aristot. lib. 5. Polit. cap. 8.*
- 4 Oportet honores esse propositos iis, quorum industria fuerit approbatione omnium commendata.
Demosthenes aduersus Leptinem.
- 5 Studio & magnæ curæ vobis esse debet, Athenienses, cum, vt omnes leges vestræ præclarissimæ sint; tum verò hæ in primis, quæ ciuitatem aut magnam aut paruam efficere possunt. Eæ verò quæ sunt; hæ nemirum, quæ & bene meritis honorem habent, & improbos suppliciis coërcent. Nam si omnes pœnarum metu, quæ legibus sancitæ sunt, maleficiis omnibus abstineant, & omnes præmiis beneficiorum inuitati officium facere studeant, quid obstat quo minus ciuitas florentissima efficiatur?
Stobæus ferm. de Rep.
- 6 Solon illam ciuitatem optimè habitari dixit, in
qua

qua viros bonos honoribus affici, contrà autem, improbos pœnis, mos fuerit.

Socrates ciuitatem opimam pronuntiauit, in qua 7 plurima virtuti præmia proposita sint.

Thucydides lib. 2.

Inter quos maxima virtutis præmia proponuntur, 8 apud illos optimi etiam viri rempublicam gubernât: quæ enim vberissima virtutis proposita sunt præmia, ad ea optimo quisque in remp. animo contendit.

Cicero lib. 2. de natura Deorum.

Neque domus neque respública stare potest, si in 9 ea nec rectè factis præmia extent vlla, nec supplicia peccatis.

Idem Cicero lib. 1. Tusculanarum questionum.

Honos alit artes, omnésque incendimur ad stu- 10 dia, gloria: iacéntque ea semper, quæ apud quosque improbantur.

Idem pro Rabirio.

Nemo nostrum in reipublicæ periculis cum lau- 11 de ac virtute versatur, quin spe posteritatis fructuque ducatur.

Liuius lib. 4. ait,

Eò impendi laborem ac periculum, vnde emo- 12 lumentum atque honos speretur: nihil non aggressuros homines, si magnis conatibus magna præmia proponântur: magnos animos magnis honorib⁹ fieri.

Plinius in Panegyrico ad Traianum.

Præmia bonorum malorumque, bonos ac malos 13 faciunt. Omnium beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quàm ad similes redundat.

Vbi malos præmia sequuntur, haud facilè quis- 14

P p 4 quam

quam gratuito bonus est. quis enim virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas? Nam etsi virtus præmium sibi sit optimum, & ut Silius Italicus inquit lib. 13. Punicorum,

15 Ipsa quidem virtus sibi met pulcherrima merces:
Cæterum, sicut alius cecinit,

Non tamen inuenies multis de millibus vnum,

Virtutem pretium qui putet esse sui.

Ipsæ decor recti, facti si præmia desint,

Non mouet, & gratis penitet esse probum.

Diogenes Laërtius lib. 1.

16 Solon eos, qui in præliis occubuissent, præmiis esse illustrandos, eorumque filios publico nutriendos erudiendosque præcepit; quo sanè animati, vniuersi fortiter atque strenuè in bellis dimicabant.

Agathius lib. 5. Historiarum.

17 Sanè maximorum plerunque animorum vis hebetatur, cum nec honoribus hi extolluntur, nec digna factis recipiunt præmia. Sic fermè respUBLICÆ pro sapientium prædictionibus labefactantur, in quibus ea sit consuetudo, ut nullis digni deferantur honores, siue in literarum disciplinis præstiterint quidam, siue opportunius aliquid, vel per necessarium laudabiliter gesserint.

Euripides in Hecuba.

18 In hoc multæ pereunt respUBLICÆ, cum qui bonus & strenuus est vir, nihil plus quam ignauus fert præmij.

19 Honor non solum alit artes, verum etiam virtutem.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

20 Rex opes suas cum fortibus & spectatis hominibus, qui respUBLICAM virtute & industria tuentur, munificè

munificè atque largè communicabit. quod ut rectius facere queat, erit in priuato sumptu continens, in publico liberalis, domi frugalitatis laudem quæret; in templorum verò ornamentis, & in regni totius patrocinio virtutis & magnificentiae nomen immortale consequetur.

DE HONORVM DISTRIBUTIONE. CAP. XXI.

Honores pro meritis singulorum, & vtilitate rei publicæ distribuendi sunt, ut alibi retuli.

Basilii Magni hom. 3. in Psalmos.

Generosa mente, & ad nihil rerum humanarum declinante opus est & viro, qui iustitiæ habitum ad summum produxit, ut vnicuique pro dignitate distribuatur.

Proclus lib. de anima, & demone.

Est autem duplex iustum, vnum quidem in contractibus, quod arithmetica conseruat æqualitatem: alterum verò in distribuendo versatur, in geometrica æqualitate consistens. tum igitur arithmetica seruat æqualitatem, ne socium suo in contractibus defraudemus, plus videlicet, quam dederimus, ipsi recipientes: tum verò in æqualibus distribuit inæqualia pro dignitate, cuique geometrica proportione seruata: ut quemadmodum differunt inter se personæ, sic & differant inter se distributa personis. itaq; omne iustum æquale.

Callistratus lib. 50. Digest.

De honoribus siue muneribus gerendis cum queritur, in primis consideranda persona est eius, cui deferatur honor, siue muneris administratio: item origo

Pp 5 nata-

natalium : facultates quoque an sufficere iniuncto muneri possint : item lex secundum quam muneribus quisque fungi debeat.

Modestinus ibidem.

- 5 Ut gradatim honores deferantur, edicto; & ut à minoribus ad maiores perueniatur, epistola diui Pij ad Titianum exprimitur.

Xenophon lib. 1. de expeditione Cyri minoris.

- 6 Militari virtute præstantibus hominibus maximum honorem Cyrus habebat. quos alacriter belli se periculis obicere animaduertent, iis earum, quas armis subegissent, prouinciarum imperia, & alia item præmia ac munera detulit. Quibus ex reb' efficiebatur, ut fortissimi quique fortuna etiã excellerent. quamobrem nunquam deerant, qui vltro se periculis offerrent, modò id Cyrum resciturum putarent. In primis verò, si qui aliquod iustitiæ documentum dedissent, eos sibi Cyrus multò magis locupletandos putabat, quàm quos lucri cupiditate teneri animaduertisset. Hinc meritò, & adiumenta rerum gerendarum ei omnia vndecunque suppetebant, & firmissimo, ac fidelissimo exercitu utebatur.

Lampridius in Alexandro Seuero.

- 7 Præsides prouinciarum, quos verè non factionibus laudari comperit, & in itineribus secum semper in vehiculo habuit, & muneribus adiuit: dicens, & fures à republica pellendos, ac pauperandos; & integros esse redimendos, atque ditandos.

Iustinianus const. 8.

- 8 Sancimus, ut qui integrè se in officiis gerunt, omni honore, reuerentia, & auctoritate potiantur.

Cicero

Cicero pro Caio Rabirio.

Pro sua patria pauci post genus hominum nati re-
pertifunt, qui nullis præmiis propositis, vitam suam
hostium telis obicerent.

Iustinianus lib. 1. C. tit. 27.

Si vsurpauerint duces, vel officia eorum, seu tri-
buni commeatalem de militibus relinquere, aut ali-
quod lucrum de eorum emolumentis sibi acquirere;
hoc non solum in quadruplum iubemus publico re-
pendere, sed etiam dignitate eos priuari. Magis enim
debent duces & tribuni supra deputata sibi emolu-
menta secundum labores suos, de nostra largitate
remunerationem sperare, & non de commeatis mi-
litum, aut eorum stipendiis lucrum sibi acquirere:
quoniam ideo ordinati sunt milites, ut per ipsos pro-
uincia vindicentur, præcipuè cum sufficienter, & ip-
sis ducibus, & eorum officiis emolumenta præstiti-
mus, & semper prouidimus vnumquemque secun-
dum labores suos ad gradus meliores; & ad maiores
dignitates perducere.

Philo lib. de confusione linguarum.

Deus bonorum tantummodo causa est; mali autè
prorsus nullus. Decet autè suæ naturæ propria ope-
rari; optimum optima: improborum autem pœnas
per eius ministros sanciri.

Idem lib. de Abrahamo.

Æquū Deus iudicat, ut bona per se ipsum largia-
tur, contraria verò exequenda suis potentiis relin-
quat; & sic solorum bonorum auctor præcipuus, ma-
li verò nullius existimetur. Id quod mihi videntur
& reges ad imitationem naturæ diuinæ facere, dum
per se ipsos gratias porrigunt, pœnas per alios faciunt.

Xenophon

13 Censeo viro principi sic agendum, ut si quis eget coactione, hunc aliis puniendum tradat. cæterum cum præmia reddenda sunt his, qui rem bene gesserunt, id per se ipsum faciat. itaque fit ut in his quod gratiosum est, per principem sit factum; quod verò contra, per alios.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 11.

Probos & præstantes viros sic principes honorare debent, ut se non putent à suis civibus plus honoris esse habituros: & hos honores ipsi per se tribuere; pœnas autem per alios magistratus, & iudices irrogare.

Divus Chrysost. in Acta Apost. rom. 43.

15 Nihil ita humanum ostendit characterem, ut misereri, & humanum esse: propter hoc & leges licet, & totum permittunt, volentes iudicem usque ad pronuntiationem sententiæ punire. ita etiam si iuste fiat, non est animæ virtutum studiosæ punire, sed aliquo alio ad hoc habet opus: quia Deus non per se ipsum punit, sed per angelos, qui sunt ultimates potestates, quando Sodoma subversa sunt, per illos facta sunt omnia: similiter & ea quæ in Ægypto acciderunt, igitur quando servare oportet, per se ipsum hoc facit. ita Filium misit in salutem generis; & quando beneficiis opus est, se ipsum benefactorem vocat, Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. & iterum: Euge servus bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.

Sanctus Thomas in epistola ad Gal. cap. 2. lectione 2.

16 Sciendum est, quod accipere personam proprie est in aliquo negotio attendere, quasi regulam ipsius negotij, conditionem personæ nihil facientem ad negotium: puta, cum ideo do beneficium, quia est nobilis,

bilis, siue pulcher; nobilitas enim, seu pulchritudo, nihil facit ad hoc, quod habeat beneficium. si verò conditio personæ facit ad negotium, sic considerando illam conditionem in facto illo, non accipio personam. sicut si ideo do beneficium alicui, quia bonus est, & bene deseruiet Ecclesiæ, quia bene literatus, & honestus, non sum acceptor personæ, nihil est proprie accipere personam, quam considerare conditionem personæ, nihil facientem ad negotium,

Acceptio personarum est vitium iniustitiæ distributiæ, locum habens ubi fidei alicuius commissum est, ut distribuatur aliquid certo respectu, vel publicæ utilitatis, vel in remunerationem impensi in rempublicam beneficij, rei præclaræ, aut periculo pro eadē gestæ, aut etiam alicuius in futurum obeundi muneris; non tamen eo, sed alio respectu, qui ipsum distribuendo, seu muneri, seu beneficio, seu præmio non dignificet, id ipsum distribuit. ut qui episcopatum, sacerdotium, magistratum dat, non illi qui magis idoneus est obeundo muneri, & verisimilius creditur magis profuturus reipublicæ; sed vel consanguinitatis, vel obsequij, seu muneris, aut alterius favoris respectu. sic etiam si imperator præmia, & officia militaria iniquè distribuatur, non meritis, aut minus meritis, præteritis meritis, aut magis meritis; non pro reipublicæ utilitate, sed pro suo privato affectu. merita verò oculis patere solent, ut in re militari facinora fortia; in re civili, longo usu exercitatione, studio, & doctrina comparata providentia, ingenij promptitudo, iudicij felicitas, & virtus, ac probitas: quæ hæc respicit in distribuendo aliquo de publico, non personam respicit, aut accipit. sed quisquis aliquid

in persona respicit, quod eam muneri illi non dignificat, is verè personam accipit. *hec Albertus Pighius lib. 7. de libero hominis arbitrio, cap. 2.*

D E P O E N A.

CAP. XXII.

Plato lib. de Philosophia.

1 Respublice tunc optimè gubernantur, cum iniusti dant pœnas. Interrogatus Theophrastus, quidnam vitam humanam conseruaret, respondit: Beneficia, & honor, & pœna.

Cicero pro Roscio Amerino.

2 Quos ipsa natura retinere in officio non potest, ij magnitudine pœnæ maleficio submoueri debent.

Arist. lib. 10. Ethic. cap. ult.

3 Multitudo necessitati potiùs quàm rationi, & pœnis, quàm honestati paret. Quam obrem improbi, qui voluptatem affectant, virtute relicta, dolore afficiendi sunt, perinde atque iumenta.

Diuus August. lib. 3. contra Cresconium.

4 In hoc reges, sicut eis diuiniùs præcipitur, Deo seruiunt in quantum sunt reges, si in suo regno bona iubeant, mala prohibeant; non solum quæ pertinent ad humanam societatem, verùm etiam, quæ ad diuinam religionem. Frustrà dicis, relinquer liberò arbitrio. Cur enim nò in homicidiis & stupris, & in quibuscunque aliis facinoribus & flagitiis libero te arbitrio dimittendum esse proclamas? quæ tamen omnia iustis legibus comprimi vtilissimum & saluberimum est. dedit quidem Deus homini liberam voluntatem; sed nec bonam infructuosam, nec malam esse voluit impunitam.

Idem

Idem diuus de Sanctis, sermone 11.

Sancti etiam cum Domino manentes, petunt vindictam de inimicis, duobus modis, & hoc causa charitatis: vt scilicet, qui ad vitam æternam prædestinati sunt, conuertantur à malo ad bonum; qui verò præsciente Deo damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant; vt per hoc minorem pœnam in inferno habeant, vbi vnusquisque secundùm qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum.

Iustinianus de proconsule Cappadociae constit. 21.

6 Atrocia crimina ita acerbè punito, vt paucorum hominum supplicio omnes reliquos continuè castiget. Neque enim inhumanitas hoc, sed potiùs summa quædam humanitas est, cum multi paucorum animaduersione saluantur.

7 Sed cum reipublicæ salus in magistratibus ciuilibus & militaribus pendeat, hos in primis præmiis, & pœnis afficere oportet, vt alibi retuli.

Lex Constantini lib. 1. C. Theod. tit. 6.

8 Cessent iam nunc rapaces officialium manus: cessent inquam. Nam si moniti non cessauerint, gladiis prædentur. Non sit venale iudicis verbum, non ingressus redempti, non infame litigatoribus secretarium, non visio ipsa præsidis cum pretio: æquè aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur.

Alia eiusdem lex memorabilis lib. 9. codicis Theod. tit. 1.

9 Si quis est cuiusque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcunque iudicum, comitum, amicorum, vel palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè atque iustè gessisse videatur; intrepidus & securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam:

& si

etsi fuerit cōprobatum, ipse me vindicabo: dicatsecu-
rus, & bene sibi conscius dicat; si probauerit, vt dixi,
ipse me vindicabo de eo, qui me vsque ad hoc tem-
pus simulata integritate deceperit: illum autem qui
hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus,
& rebus augebo. ita mihi summa diuinitas semper
propitia sit, & me incolumem præstet, vt cupio feli-
cissima, & florente republica.

*Lex Gratiani, Valentini, & Theodosij lib. 9. eiusdem
Cod. tit. 27.*

10 Hi qui in republica versati sinistrè sunt, perpetuò
sibi omnes dignitates sciant esse præclusas. Quo circa
iubemus, vt illustris magnificentia tua nullum om-
nino, qui superiore tempore malè vsæ administratio-
nis crimen excepit, ad prouincias patiatur accedere,
sed de his ad nos referat.

Plutarchus in Polit.

11 Quoniam iuris dicendi tribunal velut commune
omnibus templum patet, è vestigio quemque inde
mouere oportet morbum auaritiæ, & se ipsum alior-
sum vertere ad recta munera expeditum; admonitum
prius, & pro comperto habentem, eius semper cor-
ruptam futuram rationem vitæ, qui semel depecula-
ri rempublicam, legere sacra, bona amicorum surri-
pere, negare credita, clientes prodere, falsum pro te-
stimonio dicere, animum induxit: hunc, inquam, fu-
turum consiliarium perfidum, iudicem irreligiosum,
in magistratu gerendo quæstui & muneribus inhian-
tem, nullius, vt semel dixerim, iniuriæ expertem.

Beatus August. de verbis Domini, serm. 15.

12 Si seueritas disciplinæ dormiat, repressa disciplina,
sæuit impunita nequitia.

Chrysof.

Chrysof. serm. de Absalon.

Semper scelera, dum non resecantur, crescunt; 13
& in augmenta facinorum profilitur, quoties secura
impunitate peccatur.

Diuus Bernardus lib. 3. de confid. ad Eugenium.

Impunitas, incuriæ soboles, insolentiæ mater, ra- 14
dix impudentiæ, transgressionum nutrix.

Iustinianus constit. 129. de Samaritanis.

Nullum adeò magnum cuiusquam subditorum no- 15
strorum est delictum, quod tandem aliquando beni-
gnitate, ac quadam venia dignum non habeatur.

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo senatore.

Religionis violatæ culpa, iusta excusatione carere 16
putanda est. Nulla pestis capitalior est ad euertendum
reipublicæ statum, quam religionis mutatio; verum-
que illud est, quod Tullius dixit: Turbata religione,
turbari totam rempublicam.

Idem post aliqua.

Constans igitur religio, legum, consuetudinum, 17
virtutum, ipsiusque reip. perpetuitatem efficit: quæ
vbi est in hominibus mutata, eorum mutationem in-
ducit; cum qua & virtutem, & leges, & mores tolli
necesse est: quibus sublati, perturbatio vitæ sequi-
tur, & omnis confusio. vnde seditiones, discordiæ
inimicitia, odia, bella; ad extremum, interitus reipu-
blicæ consequitur.

Et mox.

Quomodo enim de pace, concordia, iustitia, reli- 18
gione tractabunt seditiosi, discordes, iniusti, impij?
quæ verò iustitia potest esse in ciuitate, & republica;
quæ fides, & societas humani generis, pietate, & re-
ligione aduersus Deum sublata? fidem qui Deo non

Q 9 seruat,

seruat, quomodo seruabit homini? inconstans in religione est, quomodo stabilis in dictis, factis, pactis-ue seruandis erit? pax in republica expetitur: quæ verò ab his sperari potest, qui cum religione, fide, conscientia belligerant?

Et statim.

19 Optandum est reipublicæ, uti religionem puram & sanctam habeat, nec eam immutet vnquam, sed retineat constanter. Omnis enim in republica mutatio mala est: at religionis pessima. quot regna propter religionem mutatam aut afflicta nimis, aut eversa miserè sunt? Græcia certè cum Latinis dissentiens, non modò religionem, sed libertatem, & linguam amisit, Turcisque est ignominiosè subiecta. Iam Germaniæ sanguinem quis non potius deplorandum, quàm commemorandum malit? cæteræ gentes pro religione bella suscipiunt: hæc contra religionem armis correptis, tota se proprio cruore consperfit, & contaminavit. Taceo Galliam & Flandriam, quæ ex recenti vulnere nondum conuàluerunt: Prætereò alia regna, quæ religionis mutatæ poenas propriis hucusque gestant ceruicibus. Nihil peræquè mentes obæcat, & exacerbatur, amentes, vecordes reddit, quàm temeritas ex mutata religione concepta. quare omni quidem magistratui, sed maximè sacerdoti publico curandum est, ne nouæ religiones in rempublicam inducantur, inductæ damnentur, impiæ iudicentur, atque cum suis auctoribus exterminentur, euellantur, extirpentur.

Saxo lib. 14. historia Danica.

20 Helias Ripensis antistes hortulanum regi emulandum aiebat, qui utilibus herbis incrementa conciliat,

ciliat, noxiis locum vacuefacit. quod dictum specie horridum, si quis altiùs mente perspiciat, summa industria procuratum fateatur necesse est.

Orosius lib. 8. de Regis institutione.

Qui in officio sibi commissio deliquerint, & honore priuentur, & grauem poenam peccati luant: nisi sit eiusmodi peccatum, quod mediocri poena corrigi & emendari possit. inhumanum enim est, spem de illo, qui leue aliquod flagitiù admisit, abiicere. quis enim est, qui possit vitæ cursum sine aliquo lapsu cõficere? magni tamen refert qualis ipse lapsus extiterit. qui enim pecunia corruptus, aut malitia & improbitate cæcatus, malè suum officium gerit, acerrimè plectendus est. malum enim quo premitur, vix sanari potest. is autem, qui per rei alicuius imperitiam aut incuriam errauit, facile potest ad officium reuocari.

DE IUDICIBVS QVÆSITORIBVS, QVOS PERQVISITORES VOCANT. CAP. XXIII.

Quamuis ad iudices criminum, causarum omnium criminalium cognitio suo iure pertineat, cum tamen in prouinciis scelus aliquod atrox committitur, iudex à principe mitti solet, qui crimen illud perquirat & puniat: & hi iudices, à perquirendo, Perquisitores appellari solent. quo verbo & Plautus utitur in Stichio.

Est autem è republica, ut qui spretis suis iudicibus facinora atrociora perpetrare non timent; hi seueriorè alium extraordinarium iudicem metuant, qui acerbis suppliciis eos afficiat.

Q q 2 Adde

- 3 Adde quòd iudices ordinarij multis negotiis occupati (ne quid verius ac durius dicā) remissius nonnunquam talia crimina puniunt, & (vt inquit Vlpianus) ea quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta. quamobrem prudenter admodum receptum est, vt in prouincias nonnunquam criminum perquisitores mittantur.
- 4 Sed quia nonnulli eorum, vt aliquid agere videantur, & vt ingentem laudem, magnum & memorabile nomen adquirant, legum & humanitatis obliti, quo iure, qua iniuria, ignorantes & innocentes interdum punire solent: expediret fortasse, vt confestim peracta causa muneris à se gesti rationem redderent. Sic enim proculdubio fieret, vt iustius & circumspectius de fortunis, fama, membris, & vita hominum iudicarent. Nonnunquam euenit (fateor) vt quorūdam criminum supplicia exacerbari oporteat, nimirum quoties multis grassantibus exemplo est opus. Non tamen idcirco plectendi sunt innocentes, nec excrucianti ac trucidandi sunt homines, ob suspiciones fallaces, aut pro culpa aliqua leui; sed iuris & legum æqualitate seruata, perpensio iudicio, prout quæque res postulat, statuendum est. Et in leuioribus causis proniores ad lenitatem iudices esse debēt, & in grauioribus pœnis, seueritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi, vt rectissimè tradit Martianus.
- 5 In carcerem coniciant, sed suspectos; torqueant nonnunquam, sed conscios; idque probatis vrgentissimis indicis, & eorū copia reis data. Exilio, multa, verberibusque coërceant, sed nocentes: vltimis etiam supplicis facinorosos afficiant, sed confessos dumtaxat

dumtaxat & planè cōuictos. Postremò, meminerint Apostolicarum sententiarum, non esse facienda mala, vt veniant bona; & iudicium sine misericordia manere illum, qui misericordiam non fecerit, Rom. 3. Iacob. 2.

DE TRIBUTIS.

CAP. XXIII.

Regibus tributa debentur, non humano iure modo, sed etiam diuino. Pharisei miserunt discipulos suos ad Iesum, dicētes: Dic nobis, quid tibi viderur, licet census dari Cæsari, an non? qui ait: Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denariū. & ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. Et Paulus Apostolus inquit: Principibus tributa & vectigalia esse præstanda, quia ministri Dei sunt. Matthæi 22. Rom. 13.

Diuus Chrysof. in epist. ad Romanos, homilia 23.

Cum vectigalia regi damus, nunquid tanquā prospicienti, nunquid tanquam præfidenti, curæ tuitio- nisque mercedem soluentes? Atqui nihil illi soluissemus, nisi ab initio vilem nobis talem fuisse præfecturam cognouissemus, verum propterea ab antiquis temporibus communi omnium sententia principes à nobis sustentari debere, visum est, ob id, quòd sua ipsorum negligentes, communes res curant; vniuersumque suum otium ad ea impendunt, quibus non solum ipsi, sed & quæ nostra sunt, saluantur.

Diuus Thomas ibidem cap. 13. lectione 1.

Principes tributa recipiunt, quasi stipendia sui ministerij

nisterij ad sustentationem : laborāt enim ad omnium pacem & quietem seruandam. peccant autem principes, si utilitatem populi non procurant, aut violēter tributa diripiunt ultra statutam legem, quæ est quasi quoddam pactum inter regem & populum : item si exigunt ultra populi facultatem.

Rex Archidamus apud Thucydidem lib. 2.

4 Magna ex parte bellum vincitur consilio & pecuniæ vi. *Iustinianus constit. 8. nouella.*

5 Inevitabilis est tributorum exactio, siquidem militares expensæ magna indigent assiduitate, & sine pecuniis omnino confici nequeunt.

Idem const. 161.

6 Non aliter conseruare licet rempublicam, nisi præstationes importēt in publicum : ex quibus & militares nutriuntur copiæ, vt resistatur hostibus, & per agros ac vrbes agantur excubiæ. perfruūtur item reliqui ordines attributis sibi salariis, reparātur quoque muri & vrbes : denique omnia alia proueniunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt.

Iustinus const. 4. in supplemento nouellarum.

7 Impossibile est, vt tributis non illaris, respublica conseruetur : militares namque copiæ assignato sibi salario inde percepto, hostibus resistunt, & ciuitates agrisque defendunt ; & quæ à collatoribus contribuantur, partim in ipsos, partim propter ipsos insuntur & impenduntur ; nobis autem prorsus nihil inde præter istarum rerum curas habere contingit.

Stephanus lib. sententiarum.

8 Alexander cū audisset, longè plus vectigalium à ciuitatibus auferri posse, dixit : Olitorem odi, qui radicibus herbas excidat.

Suetonius

Suetonius Tranquillus in Tiberio Cesare.

Præsidibus onerandas tributo prouincias suaden- 9
tibus rescripsit : Boni pastoris esse, tondere pecus, nō deglubere. id quod Græcè ferunt dicere solitum : Tonderi pecus meum, non rasitari volo. vt Eudaus in posterioribus annotationibus ad Pādectas retulit.

Cū apud Andrum argentum peteret Themisto- 10
cles, duos, inquit, ad vos adduco deos, vim ac suasionem. at illi responderunt, apud se quoque duas magnas esse deas, inopiam, & impossibilitatem : per quas non dare liceret quæ peterentur.

Si vitari nō possit, quin vectigal nouum exigatur ; I I
onerentur barbaræ ac peregrinæ merces, quæ non tam ad vitæ faciunt necessitatem, quàm ad luxum ac delicias ; & quarum vsus diuitum est peculiatis : velut aromatata, vnguenta, gemmæ, atque id genus alia. Nam hinc incommodum sentient hi tantum, quorū fortunæ id ferre possint, nec ob hanc iacturā ad inopiam redigentur, sed fortasse reddentur frugaliores, vt pecuniæ iactura morum bono farciatur.

Dio Cassius lib. 52.

Mæcenas Augusto Cæsari dixit : vectigalia impe- 12
randa subditis sunt, neque clam me est, nonnullos tributa, & vectigalia constituta ægrè laturos esse ; verum & ipsi, si neque alio præterea damno afficiantur, & re ipsa comperiant, hæc ipsorū salutis causa, atq; vt ceteris suis bonis rutò perfrui possint, exigi : magnas etiam tibi gratias agent, quòd exiguam suorum reddituum partem tibi conferentes, reliqua omnia sine damno percipere possint ; idque eò magis fiet, si te continentèr viuere, ac nihil prodigere videant. quis enim cū videat te in re familiari summa parsimonia

Q q 4 vti,

viri, in publica liberalissimum esse, non vltro velit aliquid cōferre, cum tuas diuitias suam securitatem ac copiam esse iudicet? Itaque pecuniæ etiam publicæ tibi suppetent.

Diuus August. de verbis Domini sermone 19.

13 Quod Cæsar præcipit, ferendum est; quod imperator indicit, tolerandum est: sed fit intolerabile, dum illud præda exactiois accumulatur.

Ex diuo Thoma lib. 3. de regim. princip. cap. 11.

14 Quia nemo militat suis stipendiis vnquã, & quodam iure naturæ vnusquisque de suo labore debet reportare mercedem, vt probat Apostolus in epistola prima ad Corinthios: hinc est, quod licet principibus à suis subditis tributa, & annuos census percipere. vnde cum Apostolus in ea epistola, quæ est ad Romanos, probasset, omne dominium à Deo esse prouisum; tandem persuadet eisdem retribuere pro labore: ideo inquit, & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsi seruietes. item quod pro bono reipublicæ, vt pro defensione regni, vel pro quacunque alia causa pertinente ad bonum commune, possit rex tributa exigere, ratio est in promptu: quia cum societas humana sit naturalis, omnia necessaria ad eius conseruationem erunt de iure naturæ: igitur ad conseruationem, & bonum commune reipublicæ, poterit rex iuste à subditis pecuniam exigere. postremò, ars imitatur naturam, & ea non deficit in necessariis, ergo neque ars. sed inter omnes artes, ars viuendi est melior, vt probat Cicero in Tusculanis quæstionibus; eo quod cæteræ artes ordinantur ad ipsam: ergo in necessariis regni rex non debet deficere, sed potest supplere omnem defectum ad regnum conseruan-

seruandum: & ideo potest legitimas exactioes facere, sed moderatæ debent esse, ac tolerabiles. vt inquit August. de verbis Domini, exponens illud Matthæi, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. & iterum explicans illud Ioannis Baptistæ, neminem concutiat, sed estote contenti stipendiis vestris. hæc beatus Thomas.

Ferus in Matth. cap. 22.

Attendant principes, si Christiani sunt, si grauis-
simã Dei vindictam incurrere nolint, ne nimirum grauent, ac deglubant plebem: Cum constitueris, inquit, regem, non multiplicabit sibi equos. quo verbo omnes inutiles impensæ prohibentur, propter quas populus grauatur: qui contrarium facit, iniuste facit, atque ad restitutionem tenetur.

Suetonius in Caligula cap. 38.

Absumptis immensis opibus exhaustus atq; egens
ad rapinas conuertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum, & auctiois, & vectigalium genere.

Idem in Nerone cap. 32.

Exhaustus & egens, calumniis, rapinisque inten-
dit animum. &c.

Idem in Vespasiano cap. 16.

Sunt qui opinentur, ad manubias, & rapinas ne-
cessitate compulsus summa ærarij fiscique inopia.

Idem Suetonius in Domitiano c. 12.

Exhaustus operum ac munerum impensis, stipen-
diisq; quod adiecerat, prædabatur omnimodo, bona viuorum, & mortuorum vsque quaque quolibet & accusatore & crimine corripiebantur, &c.

1 Ex educatione mala, prauis pueri, peiores adolefcentes, & viri pessimi solent euadere. cum igitur ea sit optima reipublice gubernatio, quae ciues meliores facit; summopere curandum est, ut pueri atque adolefcentes recte educantur: non enim alia re meliores homines fient. Nam, ut ciuis meus Seneca inquit, educatio mores facit.

Danielis 1 3.

2 Susanna erat timens Deum; parentes enim illius, cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Vbi Sanctus Hieronymus addit; hoc vtendum est testimonio ad exhortationem parentum, ut doceant iuxta legem Dei, sermonemque diuinum non solum filios, sed & filias suas.

2. Timoth. 3.

3 Tu vero permane in his quae didicisti, & credita sunt tibi; sciens, a quo didiceris: & quia ab infantia sacras literas nosti.

Diotogenes lib. de Sanctitate.

4 Adolescentium educatio fundamentum est totius reipublicae.

8. Politicorum, cap. 1.

5 Legumlatori plurimum operae ponendum est in puerorum educatione: quod in ciuitatibus praetermissum, reipublicae vehementer nocet.

Plat. 6. de Rep. & 6. de Legibus.

6 Puerorum natura conuenientem nata disciplina, semper proficiendo, ad omnem peruenit virtutem: enutrita autem si fuerit peruersa, ad contraria facile dilabitur.

Prover-

Proverbiorum 1 3.

Qui parcit virgae, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.

Proverbiorum 2 3.

Noli subtrahere a puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.

Ecclesiastici 30.

Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut letetur in nouissimo. equus indomitus euadit durus, & filius remissus euadet princeps. Lacta filium, & parentem te faciet: lude cum eo, & contristabit te: non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius: curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi; & erit tibi dolor animae.

Socrates in Areopagico.

Plerosque iis moribus & institutis similes euadere necesse est, quibus singuli educati fuerint.

Plato in Clitiphone.

Socrates crebris sermonibus hoc vsurpabat: Quorum sum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis vestrum studium facitis; filiorum vero, quibus eas relinquitis, nullam sane curam suscipitis?

Xenophon epistola ad Critonem.

Scias Socratem frequenter ad nos dixisse: Quod illi, qui filiis de multis opibus prospiciunt, ut autem boni atque egregij euadant, negligunt, simile quid agant equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, multum vero pabuli exhibent: sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum, quas praestare oportet, imperitos.

Plutarchus

Plutarchus in Apoph. Laconicis.

13 Lycurgus legumlator, volens ex eo viuendi modo, qui antea fuisset, ad temperantiorem vitæ ordinem suos ciues traducere, ac honestos fortesque efficere, duos educavit catulos, ex iisdem parentibus natos; quorum alterum quidem gulæ assuefecit, domi esse permittens; alterum autem educens, ad venationem exercuit: deinde, illis in concionem adductis, disposuit & spinas, & quædam gulæ irritamenta; posteaque leporem dimisit: sed cum ad consueta vterque cucurrisset, ac leporem alter cepisset; Videte, inquit, ô ciues, cum ex eodem sint genere, quam diffimiles ob educationem inter se euaserint; quantoque efficacior, quam natura, ad res honestas sit exercitatio.

Chrysof. in Matth. homil. 38.

14 Otiosa iuuentus impudenter educata, omni ferocissima bestia immanior est.

Diuus Hieronym. epist. 9.

15 Non est parui apud Deum meriti, bene filios educare.

Jeremie 13.

16 Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.

Ferus in Exodum, cap. 10.

17 Pessimè faciunt, qui filios suos in pueritia negligunt, nec in timore Dei educant: nisi enim in pueritia timor Dei cordibus hominum imprimatur, ad omnia mala prolabuntur. Hæc non temerè moneo, quia video iuuentutem hoc tempore miserè negligi, in magnam perniciem ecclesiæ, & in nostram ipsorum damnationem.

Idem

Idem in librum Iudicum, cap. 10.

Iuuentus ex sese est feruens, temeraria, inconsulta, improvida futurorum; ducitur & regitur affectibus, non attendit ad aliorum admonitiones, nec sibi ipsi rectè consulere potest. non igitur mirum, quod facit, quæ non decent. quid autem boni sperari potest, ubi filij iuuenes malè educantur?

Prouerbiorum 22.

Prouerbum est, adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.

Biesius lib. 1. de Rep.

Puerorum ingenia, tanquam agri, ex quibus res publica suos omnes fructus est perceptura, diligentissimè colantur, & rebus optimis serantur. prohibeantur inseri quæcunque reipublicæ noxia sunt, & insita confestim à magistratibus euellantur. Nam semina virtutis admodum rara sunt, & sterile solum vel incultum nacta, prouentu malarum herbarum facillimè marcescunt.

Quidam.

Quemadmodum canes ad venatum habiles redduntur educatio, ita viros bello & reipublicæ vtilis, reddit recta institutio.

Idem.

Quales nascantur liberi, nulli in manu est: at ut recta institutione euadant boni, nostræ potestatis est.

Idem.

Res efficax est natura, sed potentior est institutio, quæ malam naturam corrigit.

Stobæus sermone 122.

Primum, medium, & vltimum est, educatio diligens, & institutio recta. hæc enim sunt, quæ ferunt & du-

& ducunt ad virtutem & felicitatem.

Origenes lib. 1. in Iob.

25 Omnia quę deliquerint filij, de parentibus eorum requirentur, qui non erudierunt neque corripuerunt eos.

Quidam.

26 Si adolescentes malè morati euadāt, id primę ætatis formatoribus potissimùm imputandum est.

Ioannes Curopalates in Historia.

27 Romanus imperator omnes in honore habebat monachos, sed præcipuè Sergium virtutibus præditum, omnibusque bonis ornatum; qui semper admonebat imperatorem, vt filiorum curam susciperet, neque eos rudes esse permetteret, ne quo modo ei accideret, quod olim Heli euenit.

Auerroës in libros Platonis de rep. tractatu 3.

28 Nulla tam praua, tamque peruersa hominis natura est, quę institutione non possit ad humanas virtutes formari.

Ex Nicephoro lib. 14. cap. 2.

29 Pulcheria sanctissima illud in primis curauit, vt frater eius Theodosius in imperatoriis artibus educaretur, atque disciplinis ætati cuique conuenientibus institueretur: & ab ipsa edoctus est, vt in rebus quibusque se, prout tempus ferret, vel placidum, vel terribilem exhiberet, & commodum audiendis supplicantium precibus præberet. potissimùm verò eum docuit iustitiam, & veram pietatem colere: precati continenter: templa adire frequenter: edes sacras vasis, donariis, & ornamentis locupletare: sacerdotum ordinem, simulque viros bonos, qui Christianorum legibus optimè viuerent, plurimi facere.

Vives in introductione ad Sapientiam.

30 Assuescat vnusquisque iam tum à puero veras habere

bere de rebus opiniones, quę simul cum ætate adolescant: & ea cupiat, quę recta sunt; fugiat, quę praua: vt affuefactio hæc bene agere vertat ei propè in naturam. tota reliqua vita ex hac puerili educatione pendet.

Arnoldus Ferronus de rebus Gallorum lib. 3.

Mihi quidem vetera facta dicta que maiorum repetenti mirum videri solet, quo tandem pacto, qui olim vtrò Gallicum imperium expetebant, nunc tam facile repudient; verisimillimùm verò videbatur, superioribus seculis viguisse Gallicam domi forisque industriam: honestam de omni virtute inter nobiles fuisse contentionem: certamen eis fuisse, domine antiquiores prudentia & consilio meliùs, an foris iuuentus magnitudine animi, ac industria res bellicas gererent.

Et mox.

Ita seniores, quorum virtus multis magnisque rebus esset cognita, prouinciis regedis præponebantur: iuuenes ad maxima pericula ad eunda parati, seniorum præmia expectabant: ipsique ita educabantur à maioribus, vt equitando, iaculando, semper aliquid agerent, quo aleretur virtus.

Et statim.

Nunc instituuntur ad otium, & illecebras: choreas ducunt: epulis instruendis regiam magnificentiam imitantur. inde procax & superbus fastus, pro rebus blanda vnoquoque suggerente: ita delitiis, languore, desidia inficiuntur, & vanis assentationibus, opinionibusque delinitum animum molliunt, vt iam verisimum vetus illud reddiderint, quo dictum est, ætatem parentum peiorem auis, ferre nos nequiores, mox duros progeniem vitiosorem.

TUM

Tum adiicit.

34 Alea, & fritillus in manibus est: pro magistris vitæ instituendæ, agmen canum, & auium: ita dū sumptus fiunt ingentes, ad rapinas conuersi, tum freti malitia peruertere vrbes, & expilare, decoraque omnia labefactare assuescunt. nec mirum, si cū ita instituti ad gubernacula accedant, teneant clauum, sedeant in puppi, naufragia facta plerunque audiamus. Hæc ideo prolixius retuli, vt caueant nostrates, ne quid simile illis contingat.

Chrysof. lib. 3. aduersus vituperatores vitæ Monastica.

35 Etsi vitam nostram omnem summa cum diligentia & cura disponamus, extrema tamen animaduersione puniemur, si liberorum salutem neglexerimus.

Et post aliqua.

36 Hos ego patres parricidæ ipsi immaniores, sceleratiorésque dixerim: illi enim corpus ab anima dissepant, isti & animam & corpus æternis ignibus tradunt. atque is quidem qui corpore occiditur, necessariò naturali lege, etiam si necatus non fuisset, moreretur: hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi consciuisset paterna negligentia.

Sanctus Hieronym. in epist. ad Titum cap. 2.

37 Matres ita diligunt filios, si eos in Dei erudiant disciplina: cæterum nolle eos cõtristare docendo que bona sunt, & libertatem tribuere peccandi, non est amare filios, sed odisse.

Orosius lib. 1. de Regis institutione.

38 Vt ager neglectus & incultus, quò fertilior est, eò magis spinis & vepribus, & agrestium plantarum asperitate vastatur: ita cū animus minimè colitur liberali disciplina, quò clarior est illius indoles,

eò

eò pluribus & tetrioribus vitiis obruitur.

Idem lib. 7.

Parētibus, qui liberis suis id, quod non decet, indulserint, grauis ignominia pœna constituta esse debet: si enim quilibet domi suæ filios rectè educauerit, & honesta disciplina deuinxerit, multò mentis negotij reip. moderatores in ciuibus vniuersis regendis & continendis habebunt.

Et post aliqua.

An id obscurum est, si filios suos quilibet pessimè instituerit, futurum, vt illi omni se scelere & flagitio contaminent? an parum constat, si maximã ciuium pars flagitiosa fuerit, remp. funditus interituram? qui igitur filios suos malè instituit, remp. funditus euerit quod enim est aliud rerum publicarum exitium & funus, nisi id, quod corrupta & vitiosa ciuium institutione comparatur?

Tobia cap. 1.

Tobias docuit filium suum ab infantia timere Deum, & abstinere ab omni peccato. & alia memoralia capite 4.

Et cap. 10.

Ipse & vxor eius monuerunt filiam suam honorate soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum; & se ipsam irreprehensibilem exhibere.

Et cap. 14.

Filiis vestris mandate, vt faciant iustitias & elemosynas, vt sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua.

R r D E

1 Quam sint reipublicæ necessaria literarum studia, quam viles academiæ & scholæ, non tantum quotidianis exemplis experimur, sed etiam ex his, quæ iam subiiciemus, liquidò perspicere potest.

Dion Cassius lib. 52.

2 Mæcenâs Augusto Cæsari dixit: Hoc te summo-
pere hortor, instituas, ut patricij equestrisque ordinis homines, dum adhuc pueritiam agunt, ludos literarios frequentent; adolescentes autem facti, equos & arma tractare discant, ad utrumque doctoribus publicis certo stipendio cõductis: ita enim statim à puero discentes atque exercentes, omnia ea quæ adultis sunt vsurpanda, ad omnia negotia aptiores habebis. optimi enim ac egregij principis est, non modò ipse, ut omnia ex officio agat, verum ut qua ratione etiam reliqui omnes quam optimi fiant, prospicere.

Cicero lib. 3. de diuinatione.

3 Nullum munus reipublicæ afferre maius melius-
ve possumus, quam si doceamus atque erudiamus iuuentutem, iis præsertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda sit.

Pythagoricorum apophthegma.

4 Ætatum habenda cura est, ut pueri in disciplinis exerceantur; iuuenes ciuitatis, morum & legum studiosi sint; viri publicis muneribus incumbant: senes in iudiciis & consiliis versentur.

Suetonius in Vespasiano, cap. 18.

5 Ingenia & artes vel maximè fouit: primus è fisco Latinis Græcisq; rhetoribus annua centena cõstituit.

Idem

Idem in Iulio Cæsare, cap. 42.

Omnes medicinâ Romæ professos, & liberalium 6
artium doctores, quò libentiùs & ipsi urbem incole-
rent, & cæteri appeterent, ciuitate donauit.

Eusebius lib. 5: hist. Eccles. cap. 10.

Cum per idem tempus (Antonini Imperatoris) 7
scholæ Ecclesiasticæ, & doctoris officio præesset vir
in omni eruditione nobilissimus Panthenus, ex quo
apud eos consuetudo antiquitùs tradita, vsque in ho-
diernum permanet, diuinarum scripturarum docto-
res inibi scholæ Ecclesiasticæ haberi, viros dumtaxat
in scientia, & in eruditione probatissimos, &c.

Baptista Egnatius in Carolo Magno.

Nemo bonarum artium studia indulgentiùs fo-
uit, ipse Parisiense gymnasium, & Papiense, viris vn-
dique doctissimis accersitis, instituit.

Ritius in eodem.

Optimarum artium scholas instituit, & studiorum 9
conuentum, quem Parisiis Vniuersitatem vocant.

Ex Ægidio Romano lib. 3. parte 2. cap. 8.

Curare rex debet, ut in regno suo vigeant studia 10
literarum, ut ibi sint multi sapientes & industrij: ne
subditi sui sint ignorantie tenebris inuoluti. addo
etiam, ut ex Theologis, iuris peritis, medicis, & aliis
doctis viris plurimè utilitates proueniant, atque adeò
felicior sit ipsa respublica.

Laurentius Grimalius lib. 1. de optimo senatore.

Ciues in academiis educari debent ad honestè 11
viuendum, & rempublicam gubernandam: ob idq;
respublica curare debet, ut scholas habeat, virtutum
omnium tanquam officinas: ad quas iuuenes sicuti
ad messem bonarum artium commeare debent, vir-

R 1 2 tutum,

tutum, disciplinarumque fructus ex his reportaturi.

Cebes Thebanus.

12 Viros bonos non diuitiæ, sed eruditio facit.

Ecclesiastici 37.

13 Vir peritus animæ suæ suavis est.

Proverb. 17.

14 Pretiosi spiritus est vir eruditus.

Ibidem cap. 10.

15 Qui indocti sunt, in cordis egestate moriuntur.

Quidam poëta Greci.

16 Duplum quàm alij vident, qui literas didicerunt.

Item.

17 Baculus est eruditio vitæ.

Tum.

18 Pulchra est possessio doctrina mortalibus.

Tum illud.

19 Qui literas nouit, fit longè prudentior.

Ac demum.

20 Literarum expertus, non videt videns.

Ex Nicephoro lib. 12. cap. 23.

21 Theodosius Hispanus, diuinissimus Imperator, liberis suis virtutis magistrum Arsenium præfecit: qui disciplina omni præceptoris, & liberali educatione patris illis loco fuit. Cùm autem derepentè Theodosius ad eos aliquândo venisset, pueros quidè splendore magnifico confidentes, Arsenium verò interdendum, eis astantem reperit. Qua de causa imperator indignatus, cùm illos insignibus principibus nudauit, tum sempiterna memoria dignum, & verè imperiale illud verbū est prolocutus: Si tales se præbituri essent, vt mores, vitamque suam ad disciplinā, & leges Dei componerent, propensum & illum fo-

re,

re, vt eis imperium in manus tradat, ad ciuium & subditorum commodum & vtilitatem accommodatum: sin minus, conducibilius esse dixit, vt sic priuati vitam exigerent, quàm doctrina nulla cum periculo imperarent.

Eumenius oratione de scholis instaurandis.

Cæsar pro diuina intelligentia mentis æternæ sentit literas omnium fundamenta esse virtutum; vtpote continentia, modestia, vigilantia, patientia magistras: quæ vniuersa cùm in consuetudinem tenera ætate venerunt, omnia deinceps officia vitæ ad ipsa conualescunt: esseque omnis industria, atque omnis laudes nutrices, aut (vt veriùs loquar) matres.

Petrarcha lib. 1. rerum memorandarum.

Robertus rex Siciliae, Ego (inquit) iuro, dulciores & multo cariores mihi literas esse, quàm regnū: & si alterutro carendum sit, æquanimiùs me diademate, quàm literis cariturum.

Cuspinianus de Cæsaribus.

22 Carolus Magnus liberos suos ita instituit, vt filij primùm optimas disciplinas, tum equitare, venari, ac cætera militaria munera addicerent. filia verò assuescerent lanificio, ac cæteris muliebribus operibus, ne turpi otio torpescerent, Augustum imitatus hac in re.

Idem eodem lib.

23 Audiui ex ore Maximiliani hoc verbum, quod nunquam è memoria mea excidet; quàm multa bonis præceptoribus, qui rectè instituunt pueros, debemus; tam multis plagis sunt onerandi indocti paedagogi, qui pretiosissimum ætatis tempus perdunt;

R 1 3

& ea

& ea docent, quæ dediscere multo labore opus est.

Egnatius in Sigismundo.

- 26 Doctos homines in primis fouit, & dignitatibus etiam amplis honestauit. accusauit sæpe Germanos principes, qui Latinas odissent literas: à quibus reprehensus quandoque, quòd homines doctos foueret, sed humiles genere: Ego, inquit, eos amo, quos natura alios antestare facile voluit.

Appuleius lib. 10.

- 27 Dominus ædium habebat iuuenem filium probè literatum, atque ob id consequenter pietate modestiæque præcipuum.

Beroaldus quadam in epistola.

- 28 Ad vnicum calamitatis letiamentum studia confugiens, id temporis maximè expertus es, literas, sicuti felicibus in rebus sunt maximo ornamento, ita in calamitosis esse maximo solatio, singularique perfugio, ex quo vberimus est fructus, iucunditasque sapièti.

Diogenes.

- 29 Eruditio iuuenibus sobrietas est, senibus solatiū, pauperibus diuitiæ, diuitibus ornamentum.

Idem.

- 30 Filij malè educati, summi hostes patribus in senectute sunt.

Alexius lib. 2. reip. Christiana.

- 31 Puerorum ac iuuenum imperitia omni bellua intractabilior est, propterea quòd prudentiæ fontem adhuc apertum non habeant. *Et paulo post: Iuuenes ad literas inuitentur, quòd peritiam asciscant, sine qua probus iuuenis, immò probus homo quispiam esse non potest.*

Orosius

Orosius lib. 1. de regis institutione.

Hoc negare non possumus, studia literarum homines etiam naturâ ferros, ab agresti quadam immunitate traducere: vnde id euenire cernimus, vt quò quisque magis se ad bonas literas applicat, eò magis clemens atque benignus euadat.

Idem lib. 2.

Omnes qui literis student, & vitiiis cooperti sunt, non sapientes, sed insani sunt.

Et post multa.

Sanitatem in corpore efficit victus moderatio & exercitatio: animi verò sanitas & robur, virtutis institutione & honestatis disciplina continetur.

Idem Orosius lib. 4.

Quamuis Philippus multis laudibus abundaret, nescio an quidquam fuerit in illo maiore laude dignum studio illo, quod in Alexandro instituendo & erudiendo posuit: cum enim Alexander ortus esset, ad Aristotelem scripsit, se non tantas diis gratias agere, quòd ex vxore Olympia filium suscepisset, quàm quòd eo tempore suscepisset, quo posset ab illo clarissimis disciplinis institui, nec solum id scripsit, sed re etiam præstitit.

Ex eiusdem libro 6.

Si hominum, qui nunc viuunt, sapientia & consilio regis status fulciendus est, multò certè magis eorum, qui vita iam functi sunt, consilio & auctoritate principes omnes, qui munus suum tueri cum laude voluerint, instruendi sunt. primùm quidem, quia illi, quorum scripta extant, omnes fermè fuerunt summo ingenio, summa doctrina, summæque eloquentia præditi. deinde, quòd ea, quæ literis mandarunt,

R r 4

non

non suo tantum ingenio pepererunt, sed antiquissimorum hominum scriptis adiuti, & multis etiam rerum euentis edocti, & usu longissimo vitæ confirmati, ea quæ viderunt, esse magnas utilitates rebus humanis allatura, posteritati consecrarunt.

Et mox:

- 37 Adde quod illi homines ingenio atque doctrina præcellentes, non quidquid illis in mentem subito veniret, sed quod lentè & fastidiosè probarent, & diu comprimerent, & sæpe corrigerent, & summo studio limarent, in lucem edendum esse putauerunt. tum illi, qui iam ex hac vita excefferunt, invidia & obtreptione, & odio, & cupiditate, & reliquis moribus animi carent; neque rem suam augere student, neque principum offensionem metuant: ita ut illorum decreta & consilia suspecta esse non possint. postremò id, quod est antiquitate confirmatum, habet quandam religionem, quam violare à plerisque nefas existimatur.

Idem Orosius post aliqua:

- 38 Quamuis homo multis negotiis intersit, ad summamque senectutem perueniat, si nihil aliud nouit, nisi quod ipse vidit atque transegit, semper adolescens, atque penè puer habendus est. hoc igitur, quod vitæ breuitas negat, literæ cumulatè largiuntur.

Idem libro 7.

- 39 Non est hominis nobilis atque virtute præstantis officium, sine vilo modo & ratione patrimonium amplius, quam respublica ferre possit, posteris suis relinquere; sed illam hereditatem satis amplam & copiosam arbitrari, quæ est in clarissimo virtutis exemplo, posteris ad imitandum proposito, constituta.

illa

illa namque hæreditas iniuria plerumque & iniquitate, & hominum odio, & offensione, & invidia comparatur: hæc autem iustissimis officiis, & meritis excellentibus, & virtute diuina conficitur. illa filios plerumque desides, & ignauos, & odiosos reddit: hæc strenuos & industrios, & publicæ salutis atque dignitatis amantes. illa postremò est fluxa, caduca & instabilis, & casibus infinitis obnoxia: hæc verò constans, firma, stabilis atque sempiterna.

DE LIBRIS OBSCŒNIS.

CAP. XXVII.

Ad rectam reipublice gubernationem pertinet, diligenter cauere, ne libri obscœni excudantur aut legantur: hi enim corrumpunt hominum otiosorum mores. Quod autem bonos mores corrumpit, id etiam rempublicam vehementer lædit. Nam (vt Aristoteles inquit) semper optimi quique mores, melioris reipublicæ sunt causa. *lib. 8. Polit. cap. 1.*

Idem lib. 7. eiusdem operis, cap. 17.

Vt cætera mala, sic debet legulator sermonis turpitudinem è ciuitate pellere: nam facilè turpia loquendo efficitur, vt homines his proxima faciant. quod maximè prouidendum est in adolescentibus, ne quid tale vel dicant, vel audiant. Si quis autem dicere vel agere vitiosum quicquam visus fuerit, hunc oportebit castigari, & verberibus punire. Cùm autem ne quis talia loquatur, prohibetur; satis intelligitur vetari, ne turpes vel picturas vel fabulas spectet. Ad officium igitur magistratum pertinet curare, vt nihil nec fictum nec pictum sit, quod turpes actiones imitetur. *hæc ille.*

R r 5

Plato

Plato lib. 10. de Republica.

3 Si voluptuosam musam in canticis & carminibus acceptaueris, voluptas ac dolor in ciuitate, pro lege & ratione, dominabuntur.

Idem lib. 7. de Legibus.

4 Nemo poëta, præter ciuitatis leges, & iusta vel honesta vel bona, fingere quicquam audeat: nec liceat, quæ composuerit, vlli priuatorum ostendere, antequàm constituti hac de re iudices, legumque custodes & viderint & approbauerint. Et paulò post: Infaniremus & nos omnino, & ciuitas omnis, si antequàm magistratus viderint quæ composuistis, & dicenda ad populum iudicauerint, admitteremini.

Idem lib. 8. de Legibus.

5 Nemo audeat musam, horum iudicio non probatam, canere, etiam si Thamyraë Orpheique hymnis sit suauior.

Basilus Magnus ad adolescentes, hom. 25.

6 Ad vitiosos sermones consuetudo, via quedam est ad res ipsas. & inibi post multa: Plurimum refert, sanis aut vitiosis cantilenis aures impleri.

Hermas lib. 3. de instaur. religione, cap. 5.

7 Typographorum licentia seuerissimè cohibenda esset. Hinc enim vbique terrarum tot plaustra aniliù deliramentorum, stultarum historiarum, publico malo effictorum rumorum, superstitionum preclararum, famosorum in omnes omnium hominum ordines libellorum proficiscuntur, quæ nunc in omnium sinu gestantur, senum, virorum, iuuenum, adolescentulorum, atque adèò puellorum ac puellarum, perinde ac si data opera, ab ipsis penè vberibus, teneros omnium animos festinaremus omnibus omnium

nium vanitarum vitiorumque generibus contaminare. Cuius contagij non aliud remedium inueniri potest, nisi quæ dignum est diligentia curetur, ne vsquàm locorum quouis idiomate, siue ferij siue ludicri libri aut libelli imprimantur, vendantur, importentur, legantur, habeantur, nisi quos publica auctoritate delecti censores approbarint; ita planè, vt officinæ excudendorum librorum publicæ vbique auctoritati pareant, non secus atque officinæ cudendæ monetæ: idque tanto maiore sollicitudine, quanto par est existimandum, plus interesse reipublicæ bonos mores incorruptos esse, quàm monetam.

Putherbeus lib. 1. Theotimi.

Ita semper mihi persuasi, nullam esse valentiorè & machinam, ad oppugnandum, cum matronarum pudicitiam, tum virginum ac viduarum castimoniam, ipsa lectione lasciuæ historiæ; neque vllam vsquam esse posse tam bene natam, tamque immota integritate feminam, quæ hac ipsa non corrumpatur.

Et paulò post.

Quot faces suppeditat Lanzelotus à lacu? quot Merlinus? quot incendia suggerit Arturus? quot despumat libidinibus Ogerius? addo etiam, quot Amadisius? quot Cælestina, & alij eiusdem generis plurimi? qui omnes comburendi ac prohibendi sunt.

Et mox.

Et vt ad nãnas horum temporum descendam, quod sulphur violentius vrit Peregrini dictione? quid putidius Galatææ lectione? quid Helisenæ, quid Flametæ ignibus impudentius (tum addo, quid Dianis lasciuus, ac pudicitiaë perniciosus?) vt ne immèsa adducam

adducam rhythmorum, comœdiarum, cantionum
plaustra, quibus nihil unquam sordidius, nihil fo-
tidius vidit hæc ætas: & tamen quæ in his libris plu-
rimùm est edocta puella, quæ ex illis scit eiaculari di-
cteria, & ex horum disciplina cum præcis, aliisque
hominibus ad multas horas facundè confabulari, &
ad hos prolixas architectari literas, ea demum verè
sapiens, gratiosa & aulica est.

DE PERGRINIS MER-

CIBVS. CAP. XXVIII.

Diuis Gregorius in Ezechielem hom. 10.

1 Poterat vnicuique regioni fructus omnes tribue-
re Deus, sed si vna quælibet regio alterius regionis
fructu non indigeret, communionem cum altera nõ
habuisset: vnde fit, vt huic vini, alij verò olei abun-
dantiam tribuat, hanc multitudinem pecudum, illam
verò vberitate abundare fructuum, vt cum illa defert,
quod ista non habet, & ista reddit, quod illa non de-
tulit; per communionem gratiæ sibi simul etiam di-
uise terre coniunctæ sint.

Plato lib. 3. de Legibus.

2 Peregrina omnia nisi necessaria sint, nemo ad-
ducat.

3 Lycurgus quæcunque peregrina, & superuacanea
ex vrbe eiecit, quare neque mercator, neque rhetor,
neque vates, circulatorue; neque apparatus artifex
Spartâ ingrediebatur, auctor Plutarchus in Apoph.
Laconicis.

Cæsar lib. 2. de bello Gallico.

4 Eorum fines Neruij attingebant, quorum de na-
tura

tura moribusque Cæsar cum quæreret, sic reperie-
bat; Nullum aditum esse ad eos mercatoribus: nihil
pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam perti-
nentium inferri: quod his rebus elangescere animos,
eorumque remitti virtutem existimarent; esse homi-
nes feros, magnæque virtutis.

Victorius lib. 1. 2. variarum lectionum cap. 4.

Phœnices vnâ cum mercibus in Græciam etiam
vitia comportantur: dura enim tunc natio Græcorum,
abhorrensque ab huiusmodi deliciis, fracta est, atq;
eneruata copia voluptatum, de quo etiam questus
fuerat Cicero in tertio libro de republica, vt iudi-
cio Nonij cognouimus, qui hoc inde testimonium
citât. Phœnices primi mercaturis & mercibus suis
auaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupi-
ditates, omnium rerum exportauerunt in Græciam.
Hoc autem mali secum ferre hoc studium, corrup-
perque mores earum gentium ad quas commearint
mercatores, perspicuum est: vnde olim a vetere Ger-
mania pellebantur, damnum hoc metuentibus, lon-
gæque incolumitati suæ prouidentibus.

6 Adducuntur iam pridem inutiles merces, quibus
adolescentes otiosi, & vani, & mulieres leues & fa-
tue facile decipiuntur. Nam vt præteream plumas,
telas, picturas, & mille talia; quid dicam de vestibus
istis, quibus iuvenes Hispani, alioqui futuri fortissi-
mi, effeminantur: quibus feminae magno, & paren-
tum, & maritorum malo impudentiores fiunt.

7 Renouantur iam vestes illæ, de quibus Seneca lo-
quens lib. 7. de beneficiis, inquit: Video sericas ve-
stes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo
defendi

defendi membra, aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. Hæc ingenti summa, ab ignotis etiam gentibus, ad commercium accersentur, ut matronæ nostræ; ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.

Chrysof. serm. quod regulares femina, &c.

8 Vestes non sunt datæ ut eis ornemur, sed ut nuditatis fœditatem occultemus; non ut talibus induamur, quæ nos maiori turpitudini, quam ipsa nuditas exponat.

9 Tot peregrinis inuentis, & capita, & aures, & colla, & pectora, & brachia, & manus feminarum ornantur, aut potius deformantur, ut vix diuitum facultates ad ea coemenda sufficiant. Quo efficitur, ut magnis dotibus opus sit, & ut quàm multæ nubere nequeant: Nam (ut Seneca lib. primo naturalium quaestionum ait) quidquid mundus muliebris vocabatur, sarcinæ viriles sunt.

Plutarchus præcepto connubiali 27.

10 Lyfandri filiabus vestes, muliebræque mundum pretiosum tyrānus Siculus misit, ea Lyfander capere noluit, fatus: Hoc ornamentum dehonestabit potius filias meas, quàm ornabit. sed ante Lyfandrum hoc Sophocles dixit: Nō est hic ornatus, ō infelix, verum dedecus videbitur, tuæq; insania mentis. Ornamentum enim est, ut inquit Crates, quod ornat: ornat autem quod honestiorē mulierem facit: talem verò præstat non aurum, non smaragdus, non coccineus color; sed quæcunque grauitatis, moderationis, & pudoris specimen adhibent.

Clemens

Clemens Alexandrinus lib. 2. pedagogi cap. 8.

Rectè mihi quidem videntur nonnulli, cum ægrè ferrent tantum studij in vnguenta conferri, ut vel virilitatem ipsam effeminarēt, & eorum artifices, nempe vnguentarios, à ciuitatibus, quæ bonis legibus & institutis reguntur, expellere; atque aded ipsos etiam floridarum lanarum infectores. nefas est enim vestes dolosas, & vnguenta in ciuitatem veritatis ingredi.

Diuus August. epistola 73.

Verus ornatus maximè Christianorum, & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.

Biesius lib. 3. de rep.

Non tantum prouidendum est, ut intus omnia præclara sint, sed etiam, ut aliunde nihil mali ad remp. accedat. Itaque siquid aduehatur, quod damnosum sit, aut non necessarium ciuitati, ne locum necessariorum occupet, vel magnis vectigalibus impediatur, aut proflus interdicatur, siue morbos aliquos animorum afferat, ut luxum, ut inanem ostentationem; siue corpus deterius, siue pauperiorem ciuitatē reddat. Consideret igitur bonus princeps, quid necessarium, quid vtile, quid superfluū, quid perniciosum sit; & liberum faciat, immo etiam interdum præmiis alliciat, quod populo necessarium est, vel non exigam aliquam afferat vtilitatem. Inutilia verò & noxia, vel suppliciiis propositis interdicat, vel magnis saltem vectigalibus grauet. Præstat enim ut respublica possideat ea quæ ad vitam necessaria sunt, atq; diuitias, quàm res externo tantum artificio elaboratas,

tas, quæ in magnos, & necessarios vsus fermè permutari nõ possunt, & cum magna pecuniarum iactura facilè deteruntur. Inter has autem minimum admittenda sunt, quæ breuissimo tempore pereunt, & maximo pretio constant.

DE SVMPTEBVS IMMOR-
RATIS. CAP. XXIX.

Musonius lib. de supellectile.

1. Multa in sumptibus, acquirere multa conetur oportet; qui autem id conatur, auarus, & iniustus fit necesse est: nec enim magnæ opes iustè parari possunt.

Aristoteles lib. 2. Polit. c. 7.

2. Ut vir, & mulier domus partes sunt; sic haud dubiè ciuitatem in duas æquas partes virorum mulierumque diuisas esse, putare conuenit. In quibus ergo rebus publicis, quod ad mulieres pertinet, perperam sancitum est; in his dimidium ciuitatis prauè institutum esse putari debet.

Basilii Magni concione ad diuites.

3. Quædam à diabolo infidiæ excogitatæ sunt, quæ infinitas sumptus faciendi occasiones diuitibus suggerunt, vt superflua & inutilia velut necessaria habeantur. &c.

Et post aliqua.

4. Porrò si etiam vxor diuitiarum amans cohabitauerit, duplicatus morbus erit. delicias enim accendit, & voluptates auget, & curiosis cupiditatibus stimulos immittit: lapides quosdam excogitans, & aurum partim fabricans, partim texens, & per omnes ineptias morbum

morbum augens. *Hæc ille, atque in eandem sententiam plura.*

Idem ibidem.

Melius est nullam, aut paruam, aut mediocrem dotem esse constitutam, quàm dores magnas cum mulieribus tradi.

Quin etiam vniuersa respublica malè se habet, vbi feminarum sumptus non cohibentur. nec enim se ipsas dumtaxat, sed & patres, filios, fratres & maritos perdunt, ac totam ferè rempublicam secum trahunt in perditionem.

Timendum quidem est, ne illa tempora redeant, de quibus Propertius cecinit:

Matrona incedit census induta nepotum,

Et spolia opprobriis nostra per ora trahit.

Nulla est poscendi, nulla est reuerentia dandi,

Aut si qua est, pretio tollitur ipsa mora.

Nicias in vita Ioannis Comneni prope finem.

Luxum vestium ac mensarum, tanquam corrupte-
lam & vitæ pestem, à palatio pepulit.

Ammianus Marcellinus lib. 16.

Democritus dicebat, Ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus apponit. & *Cato Censorius*: Magna cura cibi, magna virtutis incuria.

Zonaras lib. 2. Annalium.

Cum post Cannensem cladè lex data esset, ne mulieres aurum gestarent, nè vehiculis aut varia veste vterentur; & populis, vtrum ea abroganda esset, necne, deliberaret; Cato pro concione, eam retinendam esse suavit, cum hac conclusione: Ornentur igitur mulieres non auro, non gemmis, non acu pictis

S s

aut

aut byssinis vestibus, sed modestia, maritorum obseruantia, liberorum amore, obedientia, moderatione.

Cyrillus lib. 1. in Isaiam, oratione 3.

- 11 Est genus muliebre rebus prosperis & florentibus quodam modo gloriosum & ostentabundum, in primisque splendide vestiri cupit, auro ornari, elatum supercilium tollere, corporis formositate gloriari.

Diuus Hieronym. epistola 8.

- 12 Ad margaritas, smaragdos & hyacinthos, aliisque pretiosos lapides, ardent & insaniunt studia matronarum.

Antiqui poetae Graeci.

- 13 Mulier prorsus est, quae magnos sumptus facit natura.
- 14 Mulieri ornatus mores sunt, & non ornamenta aurea.

Naumachius:

- 15 Auro ne studeas nimium, neque lactea colla,
Purpurei ve hyacinthi onerent viridis, vel iaspis,
Ista quibus nimis incumbit gens nescia recti.

Hesiodus lib. 1.

- 16 Adde parum paruo, paruo superadde pusillum,
Fiat & hoc magnum, infelix pelletur egestas.

Biesius lib. 3. de Rep.

- 17 Oportet, ut quam commodissime minimoque pretio tota ciuitas viuat: oportet ut ciues in supellectilibus etiam atque etiam vestibus reliquisque rebus omnibus suam teneant mediocritatem. Nulla namque respublica nisi frugalis, fuerit unquam beata.

Iam

Iam verò non sat est, habere vestes innumeras atque mollissimas, nisi plurimis futuris iterum exasperentur. Quid ego nunc mundos muliebres recenseam, quibus magna ex parte reipublicae pecunia continetur? Necessè est ab ultimo terrarum orbe quærere gemmas, quibus scilicet pretiosarum istarum feminarum inexplebilem inanis ostentationis libidinem expleamus. At ineptissimi sumus, qui non videmus hoc pacto nimis onerari praeque respublicas: aut si videmus & negligimus, scelerati etiam & nefarii.

Marcus Portius Cato apud Liuium lib. 34.

Sæpe me quærentem de feminarum, sæpe de virorum sumptibus audistis, diuersisque duobus vitiis, auaritia & luxuria, ciuitatem laborare: quæ pestes omnia magna imperia euertunt. Hæc ego, quo melior lætiorque indies forma reipublicae est, quò magis imperium crescit, eò plus horreo, ne illæ magis nos ceperint, quam nos illas. *Et post aliqua:* Simul lex modum sumptibus vxoris tuæ facere desierit, tu nunquam facies.

Quamobrem bonis legibus occurrendum est, malis moribus: & puniendi sunt sartores & sarcinatores seuerissime, si quid in vestibus contra leges fecerint: & ut feminarum licentia reprimatur, expediret fortasse, ut lex fieret contra mulieres nobiles & illustres, addito proœmio, quia honestatis, modestiæ atque frugalitatis exemplum cæteris omnibus esse debent. Ac simul permetteretur vsus illarum vestium plebeis feminis & meretricibus: tunc enim infames fierent vestes illæ, atque ab omnibus repudiarentur. Nulla enim esset mulier, quæ nobilis & honesta existimari

non vellet. Contrà, cùm lex nobiles excipit, rixarum & iniuriarum est causa, & vix ad effectum perducipotest.

Heraclides de politis.

- 20 Lacedæmoniorū feminis omnis ornatus, & mundus muliebris ereptus est; neque enim comam nutrire datur, neque aurum gestare.

Clēmens Alexandrinus lib. 2. pedagogi, cap. 10.

- 21 Laudo & admittor veterem Lacedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aurum mundum gestare permisit; à probis mulieribus mundi studium auferens: quòd solis meretricibus se ornare concederet.

Diuus Cyprianus libro de disciplina & habitu virginum.

- 22 Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia formarum, non nisi prostitutis & impudicis feminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est. *hæc ibi, & alia in eandem sententiam.*

Hippocrates in epistola ad Dionysium.

- 23 Semper eget mulier moderatore. habet enim à natura in se lasciviam, quæ nisi quotidie refecetur, velut arbores, in materia multæ effusionem exuberat.

Iosephus lib. 2. contra Appionem.

- 24 Moyfes neque in filiorum natiuitatibus concessit, epulationes aggregari, & fieri occasiones ebrietatis. Prospexit etiam funeribus mortuorum, vt neque sumptuosa ad sepeliendum celebrentur exequiæ, neque insignium fabrica sepulchrorum: sed necessaria
quidem

quidem circa elationem funeris imperavit domesticos adimplere.

Cicero lib. 2. de Legibus.

Minuendi sunt sumptus, lamentationesque fune- 25 ris. postea quàm sumptuosa fieri funera, & lamentabilia cœpissent, Solonis lege sublata sunt: quam legem eisdem propè verbis nostri in decimam tabulam coniecerunt.

Paulus Manutius lib. de Legibus Romanis.

Priuari sumptus non sunt ab iis, qui reipublicæ 26 præsumunt, negligendi; domus enim exhauriuntur: & domibus ciuitas constat. Itaque valere non potest, quasi corpus aliquod, membris malè affectis: propterea leges sumptuariæ multæ ad coercendam luxuriam diuersis temporibus, omnes vtilissimæ latæ sunt, vt de modo supellectilis, funerum, cœnarum, aliòque de genere.

Verum quidem dictum est: Qui abundat super- 27 fluis, deficitur necessariis. Itaque oportet sumptibus superfluis detrahere, vt necessariis & vtilibus rebus prouideri possit. quod non in priuatis tantum familiis est attendendum, sed multo magis in rebus publicis, quæ maioribus indigent sumptibus: ne propter inordinatas & immoderatas impensas, exactiones illicitæ fiant, vt inquit beatus Thomas opusculo de regimine Iudæorum.

Laurentius Grimalius lib. 2. de optimo Senatore.

Legibus præcédenda est omnis peccandi occasio, 28 & prouidendum, vt iusti homines efficiantur, potius quàm vt peccatores occidantur. quis enim lasciuientem vitii reipublicam, luxuriamque perditos ciues,

non sumptuaria potius velit, quam sanguinaria lege coercere? præclare Tullius auaritiam, inquit, si tollere vultis, mater eius est tollenda luxuria.

Appuleius lib. de Deo Socratis.

29 Quidam villas opiparè extruunt, & domos ditissimè exornant, & familias numerosissimè comparant; sed in istis omnibus, in tanta affluentia rerum, nihil est indignum præterquam ipse dominus ædiū, igitur illas ædificationum species, in quas patrimonia sua profuderunt, amœnissimas, & exstructissimas deprehendas, omnia affluentia, omnia ornata præter ipsum Dominum, qui veræ beatitudinis, & sinceræ vitæ & prudentiæ fortunatissimæ inops, egens, & expers semper esurit, & sitit

Vida lib. 2. de dignitate rei publicæ.

30 Romana republica antiqua nullam vnquam neque maiorem, neque sanctiorem, neque bonis exemplis magis abundantem fatebitur, qui apud optimos scriptores legerit, quæ vita ciuium, qui mores fuerint, quibus artibus, & domi, & militia Roma creuerit, partimque sit & auctum imperium: cum domi, bellique, boni (inquam) mores colerentur, hominesque malarum artium essent planè insolentes: in quorum domibus nihil splendidum fuisset præter ipsos: nondum in ciuitatem auaritia & luxuria migrauerant.

31 Cohibendi sunt immoderati sumptus funerum, & nuptiarum; quia in his faciendis dolore, atque amore homines rapiuntur ad superuacua, & sui iuris omnino non sunt.

Heraclides

Heraclides de Politiis.

Iacensibus non licebat in celebrandis nuptiis plures ad conuiuium vocare, quàm decem viros, & totidem mulieres; neque nuptiarum celebritatem vltra bidaum producere.

Platina de vitis Pontificum.

Innocentius sextus, vir integerrimæ vitæ, impensam domesticam, quæ magna erat, imminuit; familiam suam ad certum, & honestum redigens numerum: nec domi voluit nisi viros habere probatissimos.

Diuus Chrysof. in Genesim hom. 37.

Immoderantia est malorum omnium fons, & quoddam transgredi volumus suum quisque usum. Nam si vellemus in alimētis, & vestibus & domiciliis, & aliis corporalibus cunctis vsibus, nihil immodicè concupiscere, sed necessaria tantum quærere, multis damnis liberaretur humanum genus.

Et post aliqua.

Maximè autem sermo ille aduersus mulieres congruerit, maiorem enim apud eas inuenimus ornandi cupiditatem & intemperantiam, cum auratis vestibus, & auro in capite, in ceruice, & in aliis corporis partibus ornantur; & in his quoque superbiunt. quot pauperum greges poterant inde pasci, & quot corpora nudè agentium, poterant contegi ex his, quæ à solo collo & humeris pendent, nullius alterius vsus gratia, quàm in damnum & nocumentum animæ?

Tertullianus lib. de habitu muliebri.

Habitus feminae duplicem speciem circumfert, cultum & ornatum. cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant; ornatum, quem immundum

Ss 4 mulie-

muliebrem conuenit dici .ille in auro, & argento, & gemmis, & vestibus deputatur: iste in cura capilli, & cutis, & aurium partium corporis, quæ oculos trahunt. alteri ambitionis crimē intendimus, alteri prostitutionis.

Viues in introductione ad sapientiam.

37 Vtile indumentum excogitauit necessitas; pretiosum, luxus; elegans, vanitas.

Mercantus de rebus Flandriae.

38 Cū Ioanna Nauarria Philippi pulchri, Gallia regis vxor, ingressa Brugas, feminarum in cultu corporis & vestitu luxum indignabunda conspiceretur, Ego, ait, me solam esse reginam arbitrata, sexcentas hic aspicio.

Rectè quidam in Politicis.

39 Praua consuetudo & antiqua est, vt ij qui aulam sequuntur, exquisitis vestibus & pretiosis non modò vtatur, verum etiam omnem immodicum luxum in cibo & potu exerceant: quem abusum principes comprimere debent. nam is luxus præter alia, hoc etiam gignit incommodum, quòd maioribus egent stipendiis, & maiori oneri sunt vniuersæ reipublicæ,

Orosius lib. 5. de regis institutione.

40 Quis non videt, ex profusis sumptibus egestatem, ex egestate desperationem, ex desperatione facinora capitalia, quibus respublica in extremum discrimen inducitur, exoriri?

Et lib. 8.

41 Rex opes reip. nec in leuitate, nec in rebus ludicris, nec in hominibus ignauis temerè saginandis, neque denique in explenda libidine consumet. semper

per igitur illi copiarum suppetent, quibus sine suorum vexatione bellum sustineat, & homines fortes benignè remuneret. facillimè namque rex sumptus necessarios faciet, qui minimè necessariis sumptibus modum constituet.

Ælianus lib. 14.

Timotheus in Aristophontem prodigum grauissimè inuehebatur, inquit: Cui nihil satis est, eisdem etiam nihil turpe.

N E V N V S M V L T A

OFFICIA GERAT.

C A P. XXX.

Ad rectam reipublicæ gubernationem pertinet, vt vnus homo plures magistratus simul non gerat, id enim regiis legibus & externis vetitum est, & bono communi aduersatur, quia occupat vnus multorum præmia, & varia officia gerere non potest, & omnibus satisfacere nequit.

Plato lib. 2. de Rep.

Impossibile est vnum plures artes bene exercere. 2

Idem lib. 3.

Singuli singula rectè conficere possunt, plura verò minimè. quòd si quis plura tractare aggrediatur, in singulis ita deficiet, vt in nullo euadat egregius.

Xenophon lib. 8. de patria Cyri.

Fieri non potest, vt qui multis vitur artibus, is homo omnia pulchrè faciat. 4

Aristoteles lib. 2. Polit. cap. 9.

Improbandum est, vt idem homo pluribus magistratibus

S s 5

stratibus præsit. nam vnum opus ab vno optimè perficitur.

Idem libro 4. cap. 15.

6 In magnis ciuitatibus vnus magistratus ad munus vnum obeundum constitui, & potest, & debet: quia multi magistratibus præfici propter ciuium multitudinem possunt. Et profectò munus quodque melius, si quis vnitantùm procuratori vacet, obitur, quàm si multis negotiis distineatur.

Lex Iustiniani lib. 1. C. tit. 47.

7 Nemo audeat in vno eodèmq; tempore, tam aduocatione vti, quàm consiliarij cuiuscunque magistratus, quibus respublica gerenda committitur, curam arripere: ne cum in vtrunq; festinet, neutrum bene peragat. Nec sit concessum cuique duobus magistratibus adsidere, & vtriusque iudicij curam peragere (nec enim facilè credendum est etiam duabus necessariis rebus vnum sufficere; nam cum vni iudicio adfuerit, altero abstrahi necesse est: sicque nulli eorum idoneum in totum inueniri) sed altera adfessione penitus semota, vnus magistratus esse contentum iudicio.

Plutarchus in Politicis.

8 Athenis Metiochus in ore omnium erat, vulgo iactantium Metiochus ducit copias, Metiochus vias curat, Metiochus exercet panarium, Metiochus farinam tractat, Metiochus præest omnibus. Metiochus ergo lugebit.

Ex eiusdem Plutarchi similibus.

9 Nauis gubernator quædam suis manibus facit, quædam per alios; & aliquando aliis ad clauum ad-

missis,

missis, ipse in proram demigrat: sic in republica non debet vnus occupare omnia munia, sed aliis vicissim dare locum. rectius enim fiunt, quæ multorum manibus peraguntur.

Quidam poëta Græcus.

Multa facere etiã dolores multos complectitur. 10

Cum autem vnus plures magistratus simul gerere non queat, efficitur inde, vt contra leges, & utilitatem publicam, per substitutas personas reipublicæ munera exercent: & is cuius industria eligitur, per quemlibet alium seruiat. Itaque substitutus onera subit, & fert alter honores. & vt quidam rectè inquit: Hoc præcipuum vlcus est rerum publicarum omnium, quòd omnia munia per vicarios administrantur, interdum alteros, ac tertios. Et multi præterea magistratus premunt rempublicam, qui nullius ferè sunt utilitatis publicæ.

Ferus in Ecclesiastem cap. 6.

Vult Deus, vt quilibet suum negotium agat, alia aliis relinquens, hoc autem non attendit hominum vanitas. anima enim non fatiatur, negligit suum opus, & in alieno est occupatissima. itaque neutrum rectè facit. quilibet putat se melius facturum, si esset huius vel illius status, & interim negligit sua. hinc est tanta rerum omnium deordinatio.

Orosius lib. 1. de Regis institutione.

Fieri nequit, vt mens humana multis simul muneribus intenta sit. cum enim vis illius sit exiguis terminis definita, fieri necesse est, vt quò se vehementius ad studium vnus applicat, eò magis de studio alterius remittat.

Et ibidem.

Et ibidem.

14. In publicis muneribus, qui plus vno fungi cupit, & plura onera subire non dubitat, oneribus ipsis cum magna reipublicæ pernicie succumbit.

Idem paulò post.

15. Multa tunc incommoda reipublicæ subeunda sunt, primùm enim natura humana non patitur, vt vnus homo ad multa simul natus & aptus sit. deinde, in eo tantùm munere versari possumus, in quo multum operæ & studij consumpsimus. deinde, negotiorum multitudine distentus animus, nullum poterit feliciter expedire, cùm in nullo queat tota mente versari. & cetera.

DE RATIONE IUDICIO.

RVM. CAP. XXXI.

Plato lib. 6. de Legibus.

1. Nulla ciuitas reuera ciuitas erit, nisi debito ordine iudicia fuerint constituta. Iudex autem mutus, qui nec instar arbitri, aliquid plus quàm litigantes dixerint, in causis discutiendis percontatur, nunquam ad ius declarandum sufficiens erit: oportet autem semper, vt quod quæritur, ab vtrisque declaretur. Tempus autem & mora, frequènsque inquisitio, ad aperiendum controuersiam conferunt.

Vlpianus lib. 11. Digest. tit. 1.

2. Vbicunque iudicem æquitas mouerit, oportere fieri interrogationem, dubium non est.

Ex lege Arcadij, & Honorij lib. 8. C. tit. 5. & C.

Theod. lib. 4. tit. 20.

3. Negotiorum merita partium assertione panduntur.

Beatus

Beatus Chrysof. in cap. 6. Isaia.

Mos obtinuit apud iudices, vt de quauis controuersia pronuntiaturi, non hæc faciant clàm, sed pro sublimi, & eleuato tribunali confidentes, astantibus vniuersis, & cortinis vndique contractis iudicia exercent.

Idem Diuus aduersus Iudeos oratione 2.

In forensibus iudicijs, quoties aliqua incidit controuersia, & alter alterum scripto conuenit; deinde is aduersus quem agitur, inficiatur ea quæ obiiciuntur; cogitur is qui negat, postea testes, & alias adferre probationes, quibus doceat, non esse vera, quæ scripto continentur; non is qui scriptum produxit.

Diadorus Siculus lib. 2.

Apud Ægyptios iudicia non casu fiebant, sed ratione. Existimabant enim rite facta plurimùm vitæ mortalium prodesse. Mos illis erat, accusatorem scribere ea, in quibus alium accusabat, modumque patratæ iniuriæ aut damni facti, quanti eam æstimaret. Reo autem dabatur tempus rescribendi ad singula, & aut se id non fecisse, aut rectè fecisse purgandi, aut iniuriam, vel damnum minoris æstimandi. Rursus accusatori, reoque inuicem respondendi locus erat. Ita bis auditis litigatoribus, cùm iudices de controuersia quæsisissent, princeps signo veritatis in partem veriore verso, sententiam ferebat. Hic mos iudiciorum apud Ægyptios erat, existimantes, accusantium, excusantiumque altercatione, & scriptis veritatem maximè elici posse.

Eodem ferè ordine iudicia Hispaniæ tractare solemus, sed tria ego desidero, quibus fortasse nihil addi

addi posset. vnum vt dilationes, quas vltimarinas vocant, aut prorsus abrogarentur, aut vix vnquam concederentur. Alterum vt aduocati, qui causis iniustis suffragantur, multa & ignominia afficerentur. Tertium, vt ij qui malitiosè ac temerè litigarent, omnes omnino sumptus, damna, & incommoda victori præstarent. Quæ omnia, vt mihi quidem videtur, iustissimè sanari possent, & magnam reip. utilitatem afferrent. Atque hoc postremum Diuus Bernardus mecum sentit lib. 3. de consideratione ad Eugenium.

- 8 Lex quæ perrarè prodest, & sæpissimè nocet, quæ periuriorum plurimorum euidentis occasio est, quæ plerasque lites magnas efficit immortales, abroganda, explodenda, eiiciendaque est: atque hoc solo (vt audio) apud Mahumetanos pauca breuè que lites sunt, quod temerè litigantes publicè flagellis caduntur.

Aristeas in historia.

- 9 Ptolemæus rex interrogauit vnum ex Septuaginta interpretibus, quid esset in regia gubernatione maximum? ad quod ille dixit: Vt subditi habeant perpetuam pacem, & celeriter consequantur in iudicij ius suum.

Quidam rectè in Politicis.

- 10 Princeps communicato cõsilio cum viris doctis, & reipublicæ studiosis, minuendi ac finiendi controuersias forenses inire debet rationes, ne in infinitum producantur. hac enim sola causa multi ad inopiam redacti sunt, & plures quia sumptus litium ferre non queunt, bonas causas deserunt, & suis rebus carere coguntur.

Orosius

Orosius lib. 7. de Regis institutione.

Animaduertendum est, omnem modestiæ & humanitatis rationem in legum disciplina, & in iudiciorum seueritate consistere. illis enim iustitia continetur, qua quidem nihil potest excogitari, nec ad populum continendum vehementius, nec ad pestem auertendam salutarius, nec ad nominis immortalitatem diuinius.

Et post aliqua.

Omnes, qui boni rerum æstimatores extiterint, facile coniciunt, rempublicam illam, in qua peruersa iudicia fiunt, diu stare non posse.

Idem lib. 8.

Omne reipublicæ firmamentum in iuris æqualitate, & in iudiciorum integritate consistit.

Alia est iudicij ratio à singulis obseruanda. cuius diuus Augustinus eleganter meminit homilia vltima lib. 50. quam commemorare, non tam vt politicus, quam vt episcopus volui. Air enim: Minatur Deus peccatori, dicens, Arguam te, & statuam te ante faciem tuam, atque ita constituto in corde iudicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor: postremò ab ipsa mente talis sententia profertur, vt se indignum homo iudicet participatione corporis, & sanguinis Domini: & cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ sententiã, veniat ad Antistites per quos illi in Ecclesia clauis ministrantur, & à prepositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum.

Idem diuus de tempore sermone 170.

Ora Deum, quem fallere nemo potest, interpella hunc iudicem, vbi nullus tabellarius conturbat, nullus

lus officialis remouet, nullus emitur aduocatus, qui possit pro te preces effundere, aut verba dicere, quæ non didicisti.

DE LIBERATIONVM DE

REPUBLICA CAP. XXXII:

Arist. lib. 4. Polit. cap. 1.

Non minus negotij est, rempublicam emendare, quàm ab initio constituere, vt dedoceri nihilo facilius est, quàm à principio discere.

Est quidem respublica nostra, vt mihi videtur optima: sed nihil est in rebus humanis vsque adeò partibus suis omnibus expletum, vt perfectionem aliquam recipere non queat. Idcirco quædam nunc adiciemus, quæ prudentium virorum iudicio vtilia esse possent reipublicæ.

Ac primùm expedire aiunt, vt ad reposcendas à præfectis vrbium muneris gesti rationes, mitterentur à rege consiliarij Valdolitani, Granatensis, aut Hispalensis conuentus: qui nihil agerent aliud, quàm intra duos, vel tres menses, inquirere in decessores, & senatores, & scribas, & cæteros qui publica ciuitatum officia gerunt; & causis cognitis iudicare, & sententias latas ad effectum perducere, & acta omnia summo iustitiæ tribunali exhibere. quo efficeretur, vt vrbes longè rectiùs gubernarentur, & sexcenta reprimerentur incommoda, quæ nunc omnibus perspicua sunt. Præterea cum hi qui rationes reposceret, ad summum illud regium tribunal prouerentur, quæ praua aut recta in toto ferè regno gerantur, planè scirent.

Aiunt

Aiunt præterea, equites istos cataphractos, qui agricolarum hospitibus excipiuntur, & otiosi degentes facinora magna nonnūquam perpetrare solent; multo minori regis sumptu deligi posse ex finitimis municipiis, vbi & cum vxoribus & parentibus habitantes, nemini essent iniurij, & facile conuenirent, cum opus esset, cursu publico conuocati: & commodiùs ipsi equos curare, atque arma custodire in patria sua possent.

Sunt etiam qui dicant, prouidendum esse, vt cauponæ atque stabula (ea præsertim, quæ in locis desertis ad excipiendos viatores habentur) locari non possint, nisi pretio iusto atque taxato: ne caupones & stabularij, vt mercedem locationis persoluerent, hospites spoliare cogantur.

DE DIVERSIS CAPITVLIS.

CAP. XXXIII.

Non facile quidquam est innouandum, sed tum demum, cum vrgens necessitas aut euidentis utilitas id exposcit. Vrgentis autem necessitatis illud erit exemplum. Si fortè ciuitas factionibus opprimatur, vt earum causa & origo protinus reprimatur.

Iustinianus de proconsule Cappadocia, const. 30.

Quia factionibus inter se diuisa est ciuitas; & cum existat ambitu murorum vna, duplex est sententia: vnde & seditionum & dissensionum occasiones, & si quid omnino mali fatigat homines, id ex hac prouenit causa; qua sublata, robur simul & concordiam negotio addemus, qua nihil vnquam inter homines

T t præ-

præclaritis extitit & præstantius. &c.

- 3 Hoc verò utile esse videtur, ut fures, qui hostes sunt vniuersæ reip. & nunquam corrigi aut meliores effici solent, pro quolibet furto aut septuplum soluant, aut damnentur ad remos.
- 4 Tum illud addo, ut hospitia pauperum, quæ Hospitalia vulgò appellantur, visitentur: ita ut ne quid pauperes detrimenti capiant, prouideatur.
- 5 Item illud magnis pœnis sancendum esset, ne tutores aut curatores, sine iudicis & consanguineorum consensu, pupillos aut pupillas connubio iungant.
- 6 Atque hoc quidem è republica foret, ut Canon vndecimus secundæ concilij Hispalensis renouaretur, portigeretur, & ad effectum perduceretur, cum Iustiniani nouella const. 133.

Biesius lib. 3. de Rep.

- 7 Cùm legamus in antiquis bene formatis ciuitatibus præscriptos fuisse per census, cuiusque mensæ familiæque sumptus, non video cur id facere non liceat, immo verò deceat apud Christianos. sic enim fieret, ut diuitum parsimonia pauperes aleret, & angustia familiarium multos, qui tantum inseruiunt ostentationi, vel potius consumendis frugibus, excluderet, ad vtilem aliquam operam ciuitatis. Nunc maxima pars famulorum inuili tantum pondere familiam, immò rempublicam premit. quid, quòd hoc exemplum plures ad otium prouocat, idque ciues eneruat, & rempublicam exhaurit.

- 8 Ad hæc leges illæ dumtaxat essent colligendæ, quæ vim suam habent, & seruandæ sunt: ne multarum

tarum inutilium legum lectio errorem pariat & confusionem.

Suetonius Tranquillus in Iulio Cesare.

Ius ciuile ad certum modum redigere destinabat, & atque ex immensâ diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in paucissimos conferre libros: sed hæc & talia meditantem, mors præuenit.

Iustinianus de Armeniis, const. 21.

Vetera curiosius perquirere, & ad præterita iam tempora recurrere, confusionis potius quam legislationis est.

Lampridius in Alexandro Seuero.

In animo habuit, omnibus officiis genus proprium vestium dare, & omnibus dignitatibus, ut à vestitu dignoscerentur, & omnibus seruis, ut in populo possint agnosci: ne quis seditiosus esset, simul ne serui ingentis miscerentur. sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus, plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad iniurias.

Biesius lib. 4. de Rep.

Semper præsens rerum status (ut apud Thucydem est) subditis solet esse molestus. Cùm enim semper plus mali, quàm boni sit in rebus humanis, & præsens dolor euidens sit, quàm futurus, illi qui causas & exitus rerum non satis intelligunt, malunt grauioris alicuius fortunæ periculum accerere, quàm præsentem conditionem suam æquo animo ferre.

Idem.

Innumeras quidem causas mutandæ reipublicæ, sed nullas fermè laudabiles inuenire licet. Itaque le-

T t 2 ginus

gimus in sacris literis, Deum fuisse Iudæis infer-
sum, dum regem peterent; non quòd monarchiam
non approbaret, sed quòd etiam illam immutatio-
nem ægrè ferret.

DE CONSERVA-
TIONE REIPUBLICÆ.

CAP. XXXIII.

Proverb. cap. 16.

- 1 Iustitia firmatur solium regis, id est, thronus, au-
toritas, & progenies regis.

Ecclesiastici cap. 10.

- 2 Regnum à gente in gentem transfertur, propter
iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos
dolos.

Publius Mirnus.

- 3 Malè imperando, summum imperium amittitur.

Aristoteles lib. 5. Polit. cap. 7.

- 4 Maximè tum respublica, tum status optimatum
dissoluitur, si ius in ipsa republica violetur.

Diuus Thomas ibidem lectione 6.

- 5 Respublicæ corrumpuntur propter transgressio-
nem iustitiæ. & ratio huius est, quia respublica sal-
uatur propter mutuam communicationem secun-
dum aliquam proportionem; huiusmodi autè com-
municatio secundum proportionem, iustitia est: qua-
re respublica saluatur iustitia existente. si ergo fiat
transgressio, corrumpitur.

Aristot. lib. 5. Polit. cap. 8.

- 6 Dubitari non potest, quin cognitis iis, quæ re-
bus

bus publicis interitum important, ea quoque quæ sa-
lutem afferunt, intelligantur, cum contraria contra-
riorum sint efficientia: interitus autem salutis con-
trarius est.

Et post aliqua.

Licet autem animaduertere, quosdam non solum 7
optimatum, sed paucorum etiam status conseruari,
non quòd sint respublicæ tutæ, sed quoniam qui ma-
gistratibus præsunt, tum in eos qui extra republi-
cam sunt, tum in socios respublicæ administrandæ,
rectè se gerunt.

Et paulò procul.

Conseruantur etiam respublicæ, non solum quia 8
longè absunt ab iis quæ interitum afferunt, sed in-
terdum etiam, quia propè sunt. Nam timor inten-
tione cura respublicæ consulere cegit: quibus igitur
cordi est respublicæ salus, hos oportet timores inii-
cere, ut vigilantiores sint ciues, nec respublicæ cu-
stodiam tanquam excubias remittant, & pericula,
quæ procul absunt, velut impendentia denuntiare.

Hæc obseruanda nobis sunt, ac diligentissimè pro-
uidenda; cum inermes simus, & Mahumetanis &
hæreticis vndiquaque circumdati, & intra Hispaniam
ipsam plurimos ac perniciosissimos hostes pseudo-
christianos habemus, ex Mahumetanorum genere
prognatos, maiorum suorum perfidiam imitantes, &
eorum plurimos armatos. Ad summam, iustitia est,
quæ beatas facit respublicas, easque conseruat; iniu-
stitia verò, quæ subuertit omnia.

Aristot. lib. 5. Polit. cap. 7.

Hoc solum confirmat stabilémque facit statum rei- 10
publicæ.

T t 3

publicæ, si pro dignitate paria tribuantur, & quæ sua sunt, quisque retineat: id est, si iustitia in honorum distributione seruetur, & ius suum unicuique tribuatur. Nam respublica quæ præter ius cõstituta est, & in qua iustitia non dominatur, difficile factu est, ut diu permaneat.

11 Iustitia & æquitas maximè reddunt imperium diuturnum, atque gratissimum.

Agathus lib. 1. historiarum.

12 Iustitia & charitas vbicunque inter mortales fouentur, felicem proculdubio rempublicam reddunt stabilémque, atque aded diu mansuram efficiunt, nec facillè iniuriæ opportunã, vt capi ab hostibus queat.

Aristides in prima oratione Platonica.

13 Non potest meliùs æquitas obseruari, nec tutiùs hominum societas contineri, quàm si suum cuique tribuatur.

Petrarcha lib. 3. epist. Familiarium.

14 Regem à tyranno sola iustitia discernit.

Cicero pro Sylla.

15 Status reipublicæ maximè iudicatis rebus continetur.

Idem libro 1. Officiorum.

16 Tanta iustitiæ vis est, vt nec illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere. Nam qui archipyrata dicitur, nisi æqualiter prædam dispertiat, aut occidetur à sociis, aut relinquetur. Itaque propter æquabilem prædæ partitionem, & Bargulis Illyricus latro magnas opes habuit, & multò maiores Viriatus Lusitanus: cui quidem etiam exercitus nostri imperatorésque cesserunt.

Cùm

Cùm igitur tanta vis iustitiæ sit, vt ea etiam latronum opes firmet, atque augeat: quantam eius vim ad reipublicæ, ac regni cõseruationem fore putabimus?

Aristeas in historia.

Prolemæus rex interrogauit vnum ex Septuaginta interpretibus, Quomodo cùm in regno sit varia hominum multitudo, regi cum illis conuenire possit? ille inquit: Duce iustitia, cuique quod ei conuenit attribuendo.

Antonius Bonfinius lib. 3. rerum Vngaricarum.

Iustitia sola non modò respublicas & imperia, sed societatem omnem munit, & seruat, quin etiam facinorosissimam quamque multitudinem (velut in latronibus videmus, qui partem æquè prædã partiuntur) æquitas ipsa ne solui quidem facillè patitur.

Beatus August. lib. 1. de ciuitate Dei cap. 21.

Lælius apud Ciceronem lib. 3. de reipublica asseruit, quantum potuit, nihil tam inimicum, quàm iniustitiam ciuitati; nec omnino nisi magna iustitia geri, aut stare posse rempublicam.

Diuus Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 19.

Æquitas imperia confirmat, & iniustitia dissoluit. Nam quomodo potest malitia regnũ possidere, quæ ne vnã quidẽ priuatã potest regere familiam? summa igitur benignitate opus est, vt non solùm publica gubernacula, sed etiam priuata iura tueamur.

Hesiodus lib. 1. operum & dierum.

Verùm vbi iustitiæ sancti seruantur honores, Iudicioque pares, & ciuis, & aduena pendent, Vrbs viget, augetur soboles, pax lata vagatur.

T t 4 Fernan.

22 Fernandus quidem, & Isabella, reges iustissimi, ac verè catholici, & nepos eorum Carolus rex, atque Imperator maximus, & inuictissimus, bonis legibus, moribus, & magistratibus, Hispanam rempublicam præclarè fundatam nobis reliquerunt: Philippus optimus, clementissimus, & vt ita loquar, Catholicissimus, felicitatem hanc nostram conseruat, indièsque auget, ac prouehit. Custodiat omnipotens eum, eiusque filios, & natos natorum, & qui nascentur ab illis, vt per secula multa incolumem & florentem rempublicam habeamus, & tandem ad sempiternam felicitatem peruenire possimus, gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi.

Patricius lib. de Regno tit. 3.

23 Vera illa quidem est Xenophontis sententia, qui ait, omnes ciuiles societates vitio eorum ruere, qui illis præfunt. Nam si rectè gubernarentur, perpetuæ omnino vel immortales etiam essent.

Vida lib. 2. de dignitate reip.

24 Respublica siue sit institutio ciuitatis, siue res populi, nisi iustè gubernetur, non habenda est, neque respublica, neque ciuitas, neque populus. Quod etiam dictum volo de qualibet amplissima prouincia, aut regno, quod constet ex pluribus ciuitatibus; est nempe eadem ratio.

Orosius lib. 3. de Regis institutione.

25 Hic statuendum est, cum omnia genera rerum publicarum quamuis labi atque ruere videantur, sapienter atamen atque virtute adhibita, facilè emendari possint, & ad rectissimam in eo genere moderationem reuo-

reuoari; nullo modo optandum esse homini probò vllam reipublicæ præsentis immutationem, nempe quæ nunquam sine maxima morum pernicie hominumque strage fieri possit: sed in eo summo studio elaborandum est, vt idem status, in quo versamur, omni vitio careat, firmissimòque præsidio muniatur.

DE BEATA REPUBLICA.

CAP. XXXV.

Cùm sub luna nihil sit ab omni parte beatum, quanto minus verè beata poterit esse respublica, quæ ex partibus parum felicibus constat: sed beatam eam dicere possumus, cuius est Dominus Deus eius, & cuius populum elegit Dominus in hæreditatem sibi. *Psal. 32. & Psalm. 143.*

Basilus Magnus in Psalm. 45. concione 12.

Definiunt quidam ciuitatem esse congregationem firmam, quæ secundum leges gubernatur; congruit autem etiam supernæ Hierusalem cælesti ciuitati hæc ciuitatis definitio: congregatio enim illic est primogenitorum descriptorum in cælis, atq; ea firma propter vitæ sanctorum immutabilitatem, & quæ secundum legem gubernatur. illius itaque reipublicæ constitutionem & omnem ordinationem perdiscere, nullius humanæ naturæ est. illa enim sunt, quæ oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis descenderunt, quæ præparauit Deus his, qui diligunt ipsum, præterquam quòd aliquot millia angelorum sunt isthic, & conuentus sanctorum, & ecclesia primogenitorum descriptorum in cælis. de illa, *Tr 5* inquit,

inquit Dauid, Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. illi ciuitati per Isaiam promittit Deus, Ponam te exultationem æternam, lætitiã generationum generationibus; & non erit contritio neq; miseria in confinibus tuis, sed vocabuntur salutare muri tui. eleuatis igitur animę oculis, velut dignum est supernis rebus, ciuitatem Dei quære, quam lætificat quidem flumen Dei, artifex verò ipse ac opifex est Deus.

Ex diuo Augustino epistola 52.

- 3 Quoniam verò te reipublicæ scimus amatorem, non aliunde esse beatum hominem, aliunde ciuitatem, vide quã sit in illis sacris literis clarum. Nam quidam in eis sancto Spiritu plenus, hæc loquitur orans: Exime me de manu filiorum alienorum. & cetera. Et paulò post: Philosophi huius seculi beatum dixerunt populum, cui suppetit terrena opulentia, & cui hæc sunt, quibus ea felicitas constat, quam solam dilectores huius mundi inquirunt. proinde, vt transiret omnium vanitatum, & infaniarum mendacium limites, atque ibi beatam vitam poneret, vbi verè est: Beatus, inquit, populus, cuius Dominus Deus ipsius.

Diuus Hilarius in Psalmum 143.

- 4 Hæc sunt, quantum arbitror, huius seculi bona cõmuni vniuersorum beata iudicio: res seculi loqui, atque agere: rapere, aut emere honores: sub pretio falso ditescere: gloriari in adultæ ætatis liberis, quorum efflorescentes anni nouellæ exultationis firmitate cõfidant: optare speciosi corporis filias, atque eas in modum templi damno inutili pecuniæ ingentis ornare: multiplicatis horrea fructibus rumpere: geminatis quoque oues foetibus velle delactari bou suorum

rum sagina: non flere; non lugere, non gemere: sed prospero felicitatis suæ cursu, nulla aduersæ calamitatis molestia impediri. Beatum hunc populum, cui hæc essent, dixerunt; sed Propheta scit falsam esse huius beatitudinis opinionem. quid enim hæc tot, & tanta seculi bona ad vitam, quæ morte intercipienda esset, acquirere. & ideo qui populus beatus esset, ostendit, dicens: Beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Deus ille Dominus, qui cùm superiora hæc terrena præstiterit, æternitatem tamen illis, qui his rectè vtuntur, impertiet, qui cohæredes nos filij sui in ipso ante constitutionem seculi elegit, qui erit Deus omnia in omnibus.

Sanctus Chrysost. in eundem Psalmum.

Postquam omnem virtutē adduxit, & eam verbis perlocutus est, & deinde vulgi de ea re sententiã attulit, ex his nihil ei humani accidit, nec eos esse beatos existimat, qui hæc possident, sed his omnibus prætermisissis, ad verum thesaurum suam extendit beatitudinem; alij, inquit, eos qui hæc habent, beatos esse dixerunt: ego autem beatum existimo populum, cuius est Dominus Deus eius. hoc vno ostendens omnem felicitatem, omnes bonorũ copias, omnes opes: illa enim præterfluunt, & prætereunt; hæc verò beatitudo manet perpetuè: cùm pro ouibus, & filiis, & bobus, & sepi, & vinea Dei sit beatitudo futura, & diuitiæ, & securitas, & murus inexpugnabilis.

Et Theodoretus.

Veritatis expertes, nesciunt rerum naturam discernere, sed deliciis, & opibus, & potentia felicitatem metiuntur: & qui his perfruuntur, felices & beatos nuncu-

nuncupant, veritatis autem studiosi, cum diuinam sapientiam acceperint, populum à te Deo vero gubernatum, beatum esse dicunt, & cuiuslibet vitæ tuam curam præferunt.

Diuus quoque Prosper.

- 7 Vanitate pleni, fide vacui, iniquitate armati, & à forte æternæ hæreditatis alieni, in hoc proruperunt, ut dicerent beatum populum, cui hæc sunt: sed dicant filij promissionis, Beatus populus, cuius est Dominus Deus ipsius.

Titelmannus ibidem.

- 8 Populum cui hæc adsunt temporalia, dicunt seculi homines beatum, & in his felicitatem constituunt. verum nequaquam ita res habet: sed beatus est populus ille, qui est cultor Domini sui, & cuius vicissim protector atque saluator est Dominus: qui ipsum agnoscit, & colit, & qui illum habet adiutorem ac protectorem suum.

Vida lib. 2. de reip. dignitate.

- 9 Non ignoramus respublicas continenter fluere, & labi, ac nunquam eodem statu permanere. sola supera illa immortalis respublica, cælestiumque augustissima, atque amplissima ciuitas, ut pulcherrima, & ex omni parte omnium bonorum confertissima, ita prorsus est immutabilis, æternis legibus firma, ac robusta; semper eadem, semper sui similis, procul omni morbo, ac senio, neque cariem, neque labem sentit vllam; qua nihil exactius nihil perfectius, nihil amplius cogitari potest.

Chrysof. in Psal. 118.

- 10 Charitas perfectos constituit ciues vitæ æternæ, isti

isti ciues sanctæ ciuitatis, vbi nulla malitia, sed tota concordia; vbi perfecta bonitas, & tota charitas; vbi iustitia, & plena mansuetudo; vbi temperantia & prudentia regnant.

Idem diuus in Psal. 109.

Cogita post diem iudicij in cælo esse alterius vitæ **11** constitutionem: non enim amplius erit mors, morbus, & senium: non amplius paupertas, probra, & infidiæ: non amplius domicilia, & ciuitates, artes, & nauigationes: non amplius vestium amictus, cibi, & potus, tecta, & cubilia, mensæ, & candelabra: non amplius infidiæ, pugnæ, & iudicia: non amplius matrimonia, doloresque pariendi, & partus: sed hæc omnia tanquam puluis iactatus euanescent, & alius quidam præstantior vitæ status redditur, cum concedatur corpori, ut sit ab interitu alienum, immortale, & magna sit potestate præditum.

Diuus Gregorius in Psal. 7. penitentialem.

In sancta illa Hierusalem lux est sine defectu, **12** gaudium sine gemitu, desiderium sine pœna, amor sine tristitia, satietas sine fastidio, sospitas sine vitio, vita sine morte, salus sine languore: ibi dies est æternus, ibi certa securitas, & secunda æternitas, æterna tranquillitas, & tranquilla felicitas, & felix suauitas, & suavis iocunditas.

Ioan. Fran. Picus.

Illic perpetuum regnum, & tranquilla voluptas **13**
Omnigenis conferta bonis, penitusque malorum
Expers, perpetuò felix sine fine beata.

Ad summam, verè beata respublica in cælis est, vbi **14**
nec odium, nec lis, nec infamia, nec iniuria, nec iniustitia,

iustitia, nec tyrannis, nec morbus, nec mors; sed omnia pax, charitas, gaudium, iucunditas, voluptas, bonitas, mansuetudo. vbi ciues sancti, ciuitas gloriosa, hierarchia cælestis, regnum diuinum: vbi monarcha est ipse rex regum, & Dominus dominantium; qui summum bonum est: qui sic nos custodire dignetur in seculo, vt faciat participes sanctis suis in regno.

FINIS.

APPROBATIO.

Liber hic doctissime ex variis collectus, omnibus non solum studiosis, verum etiam politica exercentibus utilis est & necessarius; quapropter summo fructu typis excudetur: quod attestor

Sebastianus Baer Delphius, insignis
Cathed. Ecclesiæ S. Mariæ Antuer-
piensis plebanus & canonicus.

SUMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI II. Hispaniarum regis Catho-
lici privilegio sancitum est, ne quis hunc librum,
cui titulus est, Iacobi Simancæ, Pacensis epi-
scopi, de Republica libri IX. citra Christopho-
ri Plantini voluntatem imprimat, aut alibi impres-
sum importet, venalemve habeat, ad decennium;
sub pena confiscationis librorum: vt latius patet in
litteris datis Bruxelle, die decima quarta Nouemb.

M. D. LXXIII.

Subsign.

I. de Witte.